


3  
28-901



24

26


*Del colegio de Sta comp. de S. de granada 1596.  
R. 25414*

CATENA IN  
BEATISSIMUM IOB  
ABSOLVTISSIMA,

E' XXIV. GRÆCIÆ DOCTORVM EX-  
planationibus contexta, à PAVLO COMITOLO  
SOCIETATIS IESV è Græco in  
Latinum conuerfa,

*Et nunc primum opera & studio LAURENTII  
CVM-DEO in lucem edita.*

Adiecto indice rerum & verborum locupletissimo.




LVGDVNI,  
APVD ANTONIVM TARDIE.

M. D. LXXXVI.

CVM PRIVILEGIO PONT. MA





ANTONIO CARAFÆ

CARDINALI AMPLISSIMO


PAVLVS COMITOLVS

Societatis Iesu.



*Interpretis ad Christianum lectorem  
necessaria Admonitio.*

Ex huius nostræ Catenæ marginibus, in quibus Auctoris Catenæ nomen in aliquot primis foliis adscribitur, omnino remouendum esse censuimus. Primum quòd eiusmodi nomen græcæ Catenæ abest. Deinde quòd à nobis in nostra latina est nusquam adscriptum. Postremo, quòd Doctorum explanationes permiscet, atque confundit. Vale.





RESOLVI Deo duce instituta, Cardinalis ampl. & has varias Græcorum Patrum explanationes in Iob, in latinum te auctore conuerti, quanta cum voluptate, non dixerim; non tam, quia tuo delectabar imperio, quod ipsum mihi erat iucundissimum, quam quod res erant eiusmodi, ut statuerem nihil imperari potuisse prudentius. Sentient docti, & qui thesaurum hunc tam diu abditum sumere in manus volent. Sed quoniam placuit consilij tui fructum communicare cum multis, & lucubrationes has nostras in lucem edere, faciendum mihi putavi, ut quo auctore me ad opus contuli, sub eius quoque nomine opus ipsum emitterem. ut meum hoc quicquid est laboris, cum in hominum conspectum venire non audeat, tuis illustratum titulis nullius oculos reformidet. Suadebant hoc officium tum tua vita rationes ab ineunte aetate susceptæ, qui cum sis educatus in literis, & cum Latinis Græca coniunxeris, nemo erat, cui hos meos interpretandi conatus offerr. mallet, nisi is, qui his ipsis rebus excelleret: tum vita ista summa cum innocentia & pietate acta, quam si in priuatis & obscuris  
† 2 hominibus

hominibus admiramur; in Te tanto est admirabilior, quanto est illustrior persona, quam geris. ea fecit, ut in eo dicendo libro, qui de Deo deque rebus altissimis totus est, tu potissimum occurreres: cuius mens in rerum caelestium studio ac tractatione sacrarum literarum tanquam in suo pabulo conquiescit. Suadebant denique vel potius imperabant plurima atque egregia tua in nostrum Ordinem beneficia, & illustres amoris significationes; quibus nisi aliqua vicissim, ubi se dedit occasio, nostrae voluntatis indicia & documenta respondeant, vix videamur effugere posse insignem quandam ingrati animi notam. Perge igitur fouere & colere, quos cepisti, & tenuem hanc vigiliam meam noli aspernari. nam & parentes filiorum munusculis deletantur. Volo hoc omnibus, qui ex his laboribus fructum ceperint, esse testatum (si tamen eiusmodi sunt labores mei, ut aliquid prodesse possint) sed tamen si quid possunt, volo hoc inquam omnibus planum esse, id totum tibi vni deberi, cuius nutu, communi hoc utilitati studium operamque nauavi.

\* \* \*

INTER



## INTERPRES CHRISTIANO LECTORI.



QUINQUE sunt, christiane lector, quæ in huius voluminis primo aditu, vestibuloque te scire arbitror oportere. Primum. A quibus interpretibus huius facta sit libri explanatio. Deinde. Ab huius Commentarij grauissimis auctoribus ad quem scripturæ diuinæ sensum peruestigandum sit magna cura adhibita. Tum. Quam illi ipsi sacrorum librorum editionem sint in commentado secuti. Post. Cuiusnam diligentia, & studio tot explanatorum notatæ interpretationes fuerint, & summo iudicio quasi in vnū corpus illigatæ. Ad postremum. Cur ipsi duplici capitum partitione vsi simus. A primo igitur ordiamur. Nempe ij sunt huius Commentarij auctores; vt nec vetustate nec sapiëntia alios proferre possit Græcia superiores. Quattuor enim & viginti extitere, qui suis doctissimis lucubrationibus difficillimū hunc Iobi librum mirifice illustrarunt. Dionysius Areopagita, Clemens, Origenes, Didymus, Euagrius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Athanasius, Chrysostomus, Cyrillus, Methodius, Apollinarius, Theophilus Alexandrinus, Isidorus, Eusebius, Polychronius, Ephræ, Nilus, Alexāder, Iulius, Iulianus, Seuerus, Seuerianus, Olympiodorus. Qui omnes, vno excepto Olympiodoro, ferme ducentis annis, Magno Gregorio, qui se primū huius libri explicatorem esse existimauit, antecesserunt. Iis autem illa prima cura fuit, vt ea Scripturæ sensa, quæ historiam propius attingunt, sedulo explicarent: de quo gratia est iis Doctoribus habenda maxima. Quod enim est in diuinis scripturis, si D. Hieronymo, & Augustino credimus, difficillimum, id nobis enodarunt. Nec non ad ceteros sensus, quos illi & *Deus*, & *diabolus* nomine significant, vbi res ferat, interpretando, sæpe descendunt. Editionem vero sacrorum voluminum eam secuti sunt, quam à duobus illis, & septuaginta gentis Hebrææ summis viris, trecentis annis ante factam Apostoli acceperunt. Atque ipsi illi sacrorum Principes orbi Christiano tradiderunt: qua ipsos quingentos annos cunctas Orientis, & Occidētis Ecclesias vsas esse non ignoramus. Iam vero de scriptore Catenæ hæc nobis est firma sententia: acerrimo virum ingenio Olympiodorum Diaconum superiorum

*Gregorius in ep. ad Leandrum episc. p. in exposi. lib. beati Iob.*


reriorum Doctorum concinnas, eruditasque interpretationes collegisse; atque ex iis hoc admirabile opus coagmentasse. Illum vero vnum huius coagmentationis auctorem, & architectum extitisse, per multa confirmant, tria præcipue. Primum. Quòd Olympiodori interpretatio, cum cæterorum interpretationibus tanto artificio, tamque apte cohæret, ut non multorum, sed vnius iudicetur esse interpretatio. Deinde. Quia huius Catenæ scriptor in sua præfatione pollicetur se ad singulorum capitum expositionem certis protheoriis vsurū. At nullius alterius nisi Olympiodori esse Protheorias, cuius commentarium hunc legenti, planissimum fiet. Postremo. Quia, si præfatio concedatur Olympiodoro, ut concedenda videtur, quin reliquas interpretationes ipse contexuerit, dubitari minime debet: præfertim cum ipsa præfatio non secus, quàm integer commentarius diuersorum auctorum scriptis, & commentationibus constet. Maneat igitur esse veri quamfissimum huius Catenæ scriptorē Olympiodorum Diaconum extitisse; cuius etiam absolutum, & luculentum Commentarium in totum librum Iob in hac eadem Catena reperies. Alter quidam fuit Olympiodorus monachus, genere Græcus, è Peripateticorum schola nõ ignobilis auctor, qui in Aristotelis Meteora præclaros reliquit commentarios, & Ecclesiastem breuibus, & elegantibus scriptis, triplicem scripturæ sensum collineans euoluit. Neque illud tibi admirationem efficiat: quòd libri partitio in certa capita, quem secutus est Catenæ auctor, cum latinorum Bibliorum diuisione haudquaquam consentiat. Totum enim volumen aliquod in plura, pauciorave capita distribuere permissum est interpreti. Ergo ille ad suam interpretandi rationem diuisionem capitum accommodauit. Nos, ut latinis gratificare mur, latinam etiã diuisionem complexi, eam suis, certisque locis indicauimus. Ipsi autem, qui plenum è tot Patrum interpretationibus effectum Commentarium è græco in latinum conuertimus, illud, quantum in nobis fuit, sedulo curauimus; ut nullum verbum græcum, quod non latino exprimeretur, prætermitteremus. Quamquam eius item rei multo nobis maior est habita ratio, ut, sacra seposita historia, in qua interpretanda verbum pro verbo reddidimus, cæterorum explanatorum non verba lectori annumeraremus, sed tanquam appenderemus. Quod reliquum est, si nostræ interpretationis labor haud fructu caruit suo;

primum Christo Iesu, cuius ope & ductu, quod conati sumus, tandem perfecimus; deinde Antonio Carafæ, Cardinali Amplissimo, qui nostro labori frugiferam segetem subministravit, gratiæ habendæ sunt, & agendæ.  
Vale.


PAVLO



PAVLO COMITOLO  
SOCIETATIS IESV, LAURENTIUS  
CVM DEO.



*C*ATENAM in Iobum vere auream, ex Græcia luminum sententijs confertam, ac abs te elegantissime in latinam linguam conuersam, tandem aliquando typis expressam ad te remittimus. In qua excudenda vel in ipsis typographicis laboribus maximam oblectationem percepi, tot eruditissimorum virorum præclaris dictis, à te pari candore expressis, identidem relegendis. In ea rectissime omnia: vnum illud me torset, quòd huius coagmentationis auctorem esse Olympiodorum, quem tu arbitraris, persuadere mihi minime poteram. Quare, cum græcum exemplar sanequam vetustum apud doctissimum & nobilissimum virum Ioannem à Sancto Andrea, ecclesie Parisiensis Canonicum extare audiuissem, eum per literas rogavi, mihi ut id dubitationis eximeret. Qui, qua est humanitate, statim respondit, in suo exemplari Niceta Heracliensis episcopi nomen inscriptum; quod non subditum esse confirmat, cum, quòd stilus ipse cum ceteris eius operibus plane consentiat; tum, quòd alterum exemplar Regis Gallorum bibliotheca, & non pauca, quæ Constantinopoli visuntur, idem nomen summo cum consensu præferant. De hoc te libenter ante, quam operi postremam manum apponderemus, admonuissem, si mihi per bibliopolam licuisset; qui, cum Francofordienses nundinas videret appropinquare, editionem, vel me inuito, acceleravit. Vale.



# AVCTORVM NOMINA



QVORVM CONSERTAE INTER-  
PRETATIONES HANC IN IVSTVM

*Iob catenam effecerunt.*



DIONYSIVS AREOPAGITA.	THEOPHILVS ALEXANDRINVS.
CLEMENS.	ISIDORVS.
ORIGENES.	EVSEBIVS.
DIDYMVVS.	POLYCHRONIVS.
EVAGRIVS.	EPHREM.
BASILIVS.	NILVS.
GREGORIVS NAZIANZENVVS.	ALEXANDER.
ATHANASIVS.	IVLIVS.
CHRYSOSTOMVS.	IVLIANVS.
CYRILLVS.	SEVERVS.
METHODIVS.	SEVERIANVS.
APOLLINARIVS.	OLYMPIODORVS.

Quem huius Catenae auctorem certo credimus.



# RERVM ET VER-

# BORVM QVAE IN HOC

# LIBRO NOTATIONE DI-

# GNA SVNT, COPIOSISSIMVS

# INDEX.

Cuius a, primam paginae partem significat, b, secun-  
dam, c, autem tertiam.

A



<b>A</b> BORTVS quid sint, & qua re prouentant. 57.c	ibid.
Abstinens tantu ab omni im- probitate, non est inſtus. 7.b	Animae Dei caritate vulnerata dolor maxi- mus. 75.b. illa non ex ſubiecta materia ſu- ctae, expertes corporis & diuifionis. 98. b.
azides quid ſint. 128.b	non fuerunt ante corpora. 116.b
Accipitris natura. 226.b	Animarum tranſmigratione e vno corpore in aliud, vana. 101.b
Adam ſi non peccaſſet, fuſſet immortalis. 57.b	Animus Dei amans ob quid maxime excuſa- ciatur. 51.c
Adhortationes hominibus qualiter adhiben- dae. 61.b	Animi principatus in pectore. 255.b
Aduerſa res Apoſtoliſ latitiam, alijs vero qui anteceſſerunt, maſtitiā attulerunt. 53.a	Antichriſtus cauda Diaboli. 230.b
Adulterium grauiter Deum irrat. 190. b	Antichriſtus Diabolo exaequatus. 234.b
mala multa inducit. c	non poſſunt. 13. a. cum Diabolo contendunt.
Aegris & maſtis apta medicina quies & ſi- lentium. 51.a	14. a. Deo quomodo aſiſtant. b. noſtris re- bus conſulunt. 31. b. natura ſunt mutabiles
Afflictio Iobi non malorum remuneratio ſed virtutis eius probatio. 189.a	quamuis Dei munere non mutantur. 66.b.
Alma herba qualis. 185.b	ſunt incorporei. 67. b non ſunt immutabiles
Amici Iobi reges fuerunt 49. b. quomodo illi maiores calamitatis auſſam attulerint. c.	natura. 122.b
hi quibus in regionibus imperitarunt. 50. a.	ἀνομιλία eſt fortunarum interitus. 173.a
nominum interpretatio. ibid. cur eorum ſermones ſcriptis mandari diuina prouiden- tia permiſerit. 154.c	Apoſtoli columna ſunt terra, quia fluctua- runt. 90.a
Amaltheae cornu, rerum copiam ſignificat. 244.a. Eius fabulae origo. ibid. b	Aſida auis natura. 225.a
Amici qui videntur, nec ſunt. 75. c. veri qui. 76. a	Aſinus ſolitarus cuius hominis figuram gerit. 103.c
Angeli, cuſtodes noſtri. 208.b	Aſinus ſiueſtris non poteſt cicurari. 224.a
Angeli, primi ante mundum effecti. 218.c	Eius ad ſpiritualem ſenſum traductio. ibid. b
Angeli nos tuentur & curant. 12. c. peccare Anima piorum ante Chriſti mortem in liſer- no ideſt, Limbo erāt. 168. c. ex quo per Chri-	Aſpis euomit venenum, quando vult. 145.c
	Aſtri à ſtella differentia. 222.b
	Auſitis regio ex qua erat Iob, quae. 4. a. quid ſignificet. b
	Auſitis prouincia in Idumae, & Arabia conſino. 245.c
	* Bapti

B. **B**aptizantur infantes, ut macula quam ex Adæ peccato contraxerunt, eluatur. 116.a  
 Blasphemiam quàm graue peccatum sit. 42.b  
 Bonitas causse efficit, ut quis aduersario aliquid de iure suo concedat. 227.c  
 Bonum & malum est in nostra potestate. 203.b

C.

**C**ælum fani simile. 223.a  
 Cælum Dei thronus est. 169.b  
 Calamitates non fato vel casu, sed Dei nutu accidunt. 18.c. 30.a. vera calamitas est Deo offeudere. 37.c. in his ferendis quàm facile hallucinamur. 45. curam sex generat. 70.  
 Cæsum id dicitur quod cæsimoniam affert, & eam habet. 104.b  
 Christus mare infidelitatis & peccati placant: & ceterum id est Diabolum prostrant. 170.a. eius vis contra Antichristum. ibid.  
 Christus Diabolum cepit, carne sua, nequam esse, ei obiecta. 332. b. Is eundem captum & vinculum, Christianis tradidit illudendum. ibid.c  
 Christus solus in Inferno liber fuit. 200. b. is morti non erat obnoxius. ibid. Is in Infernum descendit, ut mortuos predicaret. ibid.c  
 Eius illuc descensus fructus. ibid.  
 Christus angularis lapis quomodo. 218.c  
 Christi infirmitas, Diaboli potentiam debellauit. 237.b  
 Christi typus vitulus à Iobo immolatus. 17.c  
 Is humanos affectus induit. 25.b. Eius typus Iob in sterquilino positus. 38.c. A Iobo per eum qui debet subingere Leciatham designatus. 55. c. Eum incarnari quàm conueniens fuerit. 55.c  
 Christus prophetas eodem tempore antiquauit & immanauit. 90.a  
 Clauicula in hominis corpore quid sit. 592.  
 Cogitationis peccatum facile committitur. 11.b  
 Ideoque maxime cauendum. ibid.  
 Conceptio seu generatio animalis quomodo fiat. 93.c  
 Concubinis vi, olim cur licitum. 140.b  
 Confessio peccatorum suadet. 158.c  
 Confessio peccatorum quomodo à Iobo facta. 195.a  
 Consolantes non debent exprobrare mala ijs quos consolantur. 72.b  
 Contumeliam perferre magni est viri. 137.a  
 Cor per perdere debet. 106.b  
 Cor princeps pars animi dicitur. 132.b  
 Coram Deo agere aliquid quomodo intelligendum. 30.b  
 Coronam Iobis cur habuisse dicitur. 118.c  
 Corui ingluuius. 223.b. Eius pulli quomodo se alant. ibid.  
 Creatura caliditas & Dei magnitudinem, & rerum humanarum inconstantiam docent. 195.a  
 Creatura omnes creatorem agnoscunt. 107.a  
 Creatura omnes, tamquam animo prædita esse sentiunt. Ita Dei imperium audiunt. 222.c  
 Cupiditas & misericordiam affectus grauissimi. 45.b  
 Cupiditate capi rerum terrenorum non debemus. 190.a  
 Cupiditas est ab ijs que placent in hac vita auocanda. 133.b  
 Cura, quæ Dei causis suscipitur, omni anxietate vacat. 105.a

D.

**D**æmones inter se ad flagitia, societate iunguntur. 236. Earum varia munera inter se distributa ad hominum exitium. ibid.  
 Dæmones Christum cohorrerunt. 170.a  
 Dei pronuntia à nobis non sunt curiose peruestiganda. 227.b  
 Deus non more hominum loquitur. 217.a. Cur is per turbem & nebes loquatur. ibid.  
 Deus semper est, omnisque æternitas ei præsons. 160. c. est ubique. 161. a. non affert nullam cecitatis humanæ necessitatem, sed liberam arbitrij potestatem dat, vtram maluerint viam ingredi. 164. b. vultus Dei imperio mortui reuocantur ad vitam. 168. b. Prouidet rebus, nec quicquam temere aut fortuito evenit. 173.c  
 Deus aliter filij pater, aliter ceterarum rerum dicitur. 222.a  
 Deus quomodo loquitur nobis. 213.a  
 Deus solus semel quidpiam facit, non paulatim. 201.b  
 Deus quomodo dicatur creaturas gignere. 222.a  
 Deus sua benignitate interdum ex iudicis in litigatoris personam se demittit. 228.a. Eâ quis respondere posse dicitur. ibid.  
 Deus non a primo hominibus loquitur, sed antea præparatis ad suam vocem suscipientibus. 42.a

Deus iustis centenis partibus ampliora premia elargitur. 242.b  
 Deus nullius indigens, partes explere virtutis, ad suam putat pertinere utilitatem. 155. b. ab eo impiorum longe absunt consilia. 158. b. consultatione non indiget. 177.c  
 Dei ira vitari non potest. 92. a. in iudicio non est personarum acceptor. 95. a. non docet quempiam esse impiū vel agere impie. 97. a. peccantem custodit ob penitentiam. 99. c. Est fons sapientie atque potentie. 122.a  
 Deum testem laudare, animi est nulla labe adpersi. 129. c. is nos castigans, mutua à nobis exigit humanitatem. 141. b. non est personarum acceptor. 143. a. dicitur Sufficiens. 151.b  
 Deus solus sue ipsius prouidentie causas tenet. 152.c. est solus qui hominem docet. 155. a. ei nulla res damni lucrive asferre aliquid potest. 7.b  
 Deus rebus omnibus adest. 12. b. est ubique. 13.c. cum Diabolo non per se, sed per angelos loquitur. 14. b. Quomodo & cur interrogationibus utatur. 15. c. Omnia ei presentia. 31.c. Nouit hominum & Dæmonū cogitationes. 2.a. Eum presentem habere à malo arceat. 49.a. Est natura sua incomprehensibilis. 65.b.  
 Deus est incorporeus. 65. b. comprehendi non potest. ibi. 91. b. c. solus est immutabilis. 66. b. potestas eius immensa. 67. a. flagris admonet, non ut perimat sed ut seruet. 70. a. non fuit auctor malorum Iobi, sed Diabolo. 82. a  
 Diaboli tentamenta homini iusto non nocent. 22. a. is fuit Iobi calamitatum & auctor & nuncius. 23. a. auctor est aliquando, ut aliqui mente excidant. 35. a. nunquam de ruina nostra desperat. 44. c. sua voluntate peccant. 66. c. per ceterum designantur, & quare. 92. b. architectus peccati superari facile potest. 93. c. princeps impiorum cur dicatur. 124. a. est pirata. 128. b. tortoris munere fungitur. 146. b  
 Diabolus sine Dei permisso nihil potest agere. 12. b. 34. b. Quomodo Deo asstat. ibid.  
 14. a. Non ab initio ita est factus. 13. a. voluntate sua peccauit. b. cur ita dicatur. ibid.  
 eo ut tortore Deus utitur. 14. c. A Deo prohiberi ne fidelibus noceat fatetur. 17. b. ne scit futura, nec hominum cogitationes. 18. b. 34. a. nullam habet potestatem, nisi quam Deus permisit. c. ignem de celo quomodo demiserit. 20. c. cur homines tentet. 31. c. est prudentior hominibus non sapientibus sed insipientibus. 42. a

Diabolus nec suis parcat. 238. a. Eum temperantia & caritas interficit. ibid. b. Is ex omnibus locis deiectus. ibid. c.  
 Diaboli principatus in homines per tyrannidem occupatus, Christi virtute deletus. 234. a  
 Diabolus, quam olim terribilis fuerit, & quã rursus infirmus post Saluatoris aduentum. 235.c  
 Diabolus est cilius impiorum, sicut Christus fidelium. 232. c  
 Diaboli astutia, & simulatio. 235. a  
 Diabolus, specie boni obiecta, decipere solet. 135. b  
 Dicentis laus est, cum efficaces affert sermones, id est, cum primo facit, deinde docet. 183. b  
 Dies mali cur vocantur. 53. b  
 Digitus ori insertus silentij index. 181. a. vel minimam functionem actionemque declarat. ibid.  
 Diuina derelictionis opus quale est. 76. b  
 Diuinis mandatis parendum potius, quam propria promissi præstanda. 239. c  
 Diuinum contra decretum nihil valere potest. 135. c  
 Diuina ad virtutem sanctis impedito non fuerunt. 9. a. que sint naturales. b  
 Diuina minime fidendum est. 76. c  
 Doctrina diuina partim à rebus, partim per manus traditur. 109. c  
 Domus pacata nihil par reperiri potest. 71. b  
 Dorsum membrorum omnium est nexus. 250. b. eius nomine, robur intelligitur. ibid. c

E.

**E**lius amicus Iob qualis & unde fuerit. 197. b  
 Episcopi nomen Deo tribuitur. 148. c. eius officium. ibid.  
 Episcopi vita qualis. ibid.  
 Errores nostri quomodo Deo adscribantur. 109. b

F.

**F**ames maxime intolerabilis. 73. a  
 Fatis mala nostra tribuenda non sunt, sed infirmitati, libero arbitrio, & diuine prouidentie. 106. c  
 Fato nemo nec fortuito, sed Dei decreto in vitam moratur. 115. c. 116. b  
 Femina est infirma ac despecta condicio. 165. c  
 Feminarum adpectus fugiendus. 188. b  
 Fides sine gratia Dei haberi non potest. 78. a  
 Fides

Fides est valentior quouis diabolico impetu.

- 236.a
Filiy à Deo quomodo petendi & qua ratione educandi. 8.a
Filius Dei dicitur Altissimus. 166.c. eius incarnatio à Iobo predicta. 168.b
Filius Dei potentia & consilium Patris. 103.c
Fily & opes apud prifos in diuinis benedictionibus numerabantur: in maledictionibus vero contraria. 243.b
Filius Dei non est factura & creatura, etiam si à Deo factus dicatur. 8. b c
Filius in parum iniurius est parricida. 33.a. morte resurrectionis fidem cur hi expetebantur. 40.b
Firmamentum quomodo productum. 115.a
Fortitudinis est, in aduersis animum non deijcere. 78.b
Fratres & sorores in sacra scriptura, omnes cognati. 242.b
Fundamenta terra sunt hominibus ignorata. 218.b

H.

- HAeresarcharum non sunt congruentes sententia. 237.c
Heresarche sunt os Draconis. 236.c
Heresuci sunt nares Draconis. 237.a
Heresiticorum conuenientia, latera sunt Satanae. 230.b
Hebraica lingua, Syriaca est finitima. 245.b
Historicus sensus primo est in sacris literis spechundus: deinde Tropologicus, nec commendat anagogia. 220.c
Homo quid physice & theologice. 4.b
Homo mortuus non abiit in nihilum, sed animo vivit, resurrectionem expectans. 118.a. virtute carere, credit ipsam a nemine haberi. 121.c
Homo cur arumnis maximo praeceteris rebus subditus. 68. c. has illo quamdum est in hac vita, patitur. 70. b. qua in re maxime eius excellentia ostenditur. 81.c
Homo admirabile animal. 220.b
Homini in calamitate positi, qualis debeat esse in Deum oratio. 228.b
Homo per se ipsum Demonem debellare non potest, nisi diuina ope adutus. 233.a
Humana natura imbecillitas quibus similibus ostenditur. 115.a
Humani in rebus nihil grane est praeter peccatum. 37. c. in his nullo modo eludendum. 57.a b

I.

- IESUS Christus aduenit, ut, quae sanari non poterant, sanaret. 208.a
Ignis qui non succenditur, est Inferorum ignis. 148.a
Impij sua felicitate sunt deteriores. 150. c. quantis penis demum à Deo afficiuntur. 152.a. sinus eorum mors aeterna. 153.a b
Impij iustis accumulare diuitias probantur. 172.c
Impius ad extremum feliciter non peruenit. 87. b. is mala quae eum manent, vitare non potest. 134. b. ei in hac vita non semper sed in altera pena rependitur. 136.b
Improbi non sunt homines veri sed picli. 4. c. Quomodo piorum virtutes calumniantur. 16.c. vitij virtutum nomina imponit. 17.a
Improbite abstinerere, quando laudandum. 33.a
Improbiorum actio telam arenarum imitatur. 86.b
Inferni tenebrae sempiterna cur dicantur. 101.b
Infidelis cur ne obolum quidem habeat. 122.c. nullum is honorem Deo tribuit. 124.b
Inimicorum suorum pernicie minime letandum. 194.b
Iniuria afficientes, iniuria affectorum clamorem ad Deum perferunt. 206.a
Iniuriam facere, & beneficio non afficere, par est. 191.c
Innocens quis. 5.a. Cur in malorum perpeffione versetur. 85.b. Quomodo nullus innocens in Dei iudicium veniat. 95.c
Insidiatores qui sint. 139.b
Inmeli in afflicto, nefas. 137.b
Iob genealogia. 1. Fuit ante Legem. ibid. b. Eius libri auctor Salomō. ibid. c. Excusantur eius asperè in Deum dicta. 2.a. b. Eius libri utilitas. ibid. Eius nomen quid significet. 4.b. Quomodo iustus fuerit. 6.a. Eum Deus tentari cur permisit. 15.b. Omnia calamitatum genera is perpeffus est. 26. c. Fuit aliorum doctor, & in calamitantibus consolator. 62.b
Iobi voluntas religiosa, quamuis eius sermones obscuriores. 84.a
Iobum auctor Catena inuocat. 153.c
Iobus tum ad Legistum ad Euangelij normam vite rationem expressit. 24. a. b. ei filij cur non duplicati sint restituti. ibid. c
Iobus omnes Legis benedictiones retulit, ut qui Legem etiam si nondum latam, seruauerit. 244.c. Idem ipfos septem annos plaga acerbitatem

- bitatem tulit. 245.a
Iobus quo tempore vixerit. 246.a. Eius historiae lectio utilitas. 247.a
Iobus immemor iniuriarum. 242.c
Iobus non vidit Deum, sed audiuit. 240.b. Is in collocacone cum Deo habita, clarius de Verbi incarnatione intellexit. ibid.
Iobus omni calamitosorum generi propositus ad consolationem. 216.a
Iobus cur permissus à Deo Diaboli potestati. 216.a
Iobus diuino iudicio absolutus. 240.c
Iobi eximia, & omnigena virtus. 215.b
Iracundia iracundo affert interitum. 67.c
Ira Iobi quid sit. 100.b
Iridis procreatio mirabilis. 212.b
Iudas intemperanter est poenitentia vsus. 135.b
Iunior atate, canicem habere potest prudentior. 198.a
Iustificatur nullus nisi quem gratis Deus iustum fecerit. 88.c
Iustus detrahere, capitale crimen est. 241.c
Iusti stellis cur comparentur. 147.c
Iustus etiam pro alijs apud Deum potest esse deprecator. 241.a
Iustus accusare, est nefas. 241.a
Iustus cur cypresso comparetur. 230.a
Iustitia est, quae omnia opera hominis commendat. 5.a. b. est duplex, priuata & communis. b. c. Sine hac felicitas non potest consistere. 85.c
Iustorum actiones Deus non aspernatur. 64.c
Iustus nemo est, si ad perfectam Dei normam eius vita exagatur. 88.c
Iustus, si a ratione aberrarit, in viam facile redit. 131.c
Iustus omnibus virtutibus est cumulatus. 5.b. c. Quis ille sit. 6.b. 7.a. Non omnem humanitatis sensum exiit. 73.b. Superbus quis sit. b. c

L.

- LABORIS nomine peccatum in Scriptura intelligitur. 61.c
Laditur nemo nisi a seipso. 25.a b
Lactia impiorum breuis. 144.b
Lapsus causa non est tentatio, sed torpor & ignorantia. 24.b
Laudare se se quando decet. 113.b
Leo ferarum omnium teterrimus. 74.b
Leo praecipuum animalium & imperiosum. 100.a
Liberum arbitrium habemus, quo vincimus aut vincimur. 12.c

- Liberum arbitrium operum nostrorum origo. 166.c
Liberum arbitrium ad bonum, vel ad malum. 203.b
Lignum insanabile quodnam dicatur. 165.b
Lingua nihil improbius. 70.c
Lucifer est princeps siderum. 219.c

M.

- MAGISTER is spiritualis est, qui suis alumnis Diaboli omnes insidias roegere possit. 234.c
Male parca male dilabuntur. 68.b
Mali nihil patientes facile alios consolantur. 126.b
in Malis qui versantur, nolunt sua mala celari. 129.c. A malis non abstinentum modo, sed recte agendum. 154.b
Manibus suis qui ingrediuntur. 194.a
Mannus Dei duplex, vitiois rna, praesidij altera. 17.c
Mans lautare, innocentiae argumentum. 94.c
Mare non statim omne, sed paulatim produellum. 219.a. Ab eo nubes, nebula, & vapores oriuntur. ibid. Id non solum terra verum etiam aere contineri. ibid. b. Id quomodo contineatur, ne terras obruat. ibid. Cur id ita impacatum à Deo sit conditum. ibid.
Maria, soror Moysis cur lepra sit infecta. 241.a
Medicus iniustus quisquam sit. 110.b
Mendacium, etiam si pro Deo dicatur, reprehendendum. 111.b
Miserum ex beato repente fieri, miserrimum. 47.b
Monachi quomodo iuxta theoriam onagri. 224.b
Monoceros animal quod. 224.c. eius spiritualis sensus in vtramque partem in sacris literis vsurpatur. ibid.
Montes qui sunt, quos Deus transferre dicitur. 89.c
μωζαυοι qui sint. 184.a
Mors delet vniuersi, exceptis iniquis facinoribus. 145.b
Mors somnus quare dicatur. 37.a. portus est & cessatio praesentium malorum. b. eius bonum est, quod per eam à peccato impij arceantur. 58.a. est requies, & cur ad eam non festinant multi. 59.c. cur sit requies. 60.a
Mortem tanquam beneficium Iob sibi dari postulat. 74.c. est miseriarum finis. 78.b
Mortem sibi consciscere, est vitium. 187.a
Mortem sibi inferens, Deo iniuriam facit. 130.b



I N D E X.

Mortuorum cura non omittenda, & pro ijs oblatio facta prodest. 30.b  
 Muliere demon ad viros circumueniendos vsus est. 39.a.b. eius fraudibus multi alias costantes oppressi sunt. 42.a  
 Multiplices homines qui sunt. 69.c  
 Mundani stultam iustorum arbitrantur conditionem. 106.b  
 Mundum dicitur, & quod munditiam affert, & quod eam habet. 104.b  
 Myrmecoleo animal quale. 64.c. significat Diabolum. 64.a

N.

Nelasse auis natura. 225.a  
 Nominum notitia ad rerum subiectarum naturam dirigenda. 222.a  
 Noxce teipsum, a nostris longe ante usurpatum quam a profanis. 71.c  
 Nox obsequitur improbitati. 41.b  
 Nox ad flagitia peragenda opportuna. 164.c  
 Nubes symbolum calis. 217.b  
 Nubes sunt sanctorum vita. 207.c  
 Nudi contra demonem certamen suscipere debemus. 25. c. 26. a. nudi quare nascimur. 29.a  
 Nullus caret peccato. 66.a

O.

O Belisco que notantur in biblijis. 9.b  
 Oculi est dux vie ad intelligendum, pes dux vie morum. 181.c  
 Orbis terrarum angelis & hominibus refferunt. 15.a  
 Originale peccatum adseritur. 116.a. & 236.b  
 Originale peccatum fons omnium malorum. 100.c  
 Organorum vsus in templis licitus. 189.b  
 Orionis sidus. 212.b  
 Os aperire qui dicitur. 52.

P.

Patientia virtutibus omnibus prestat. 47.c  
 Paupertas diuitijs prestat, & morbus similitati. 37.a  
 Parabola in Scriptura no solum similitudinem, sed & sapientem sermonem designat. 171.a  
 Pauperes diuitibus nulla accepta mercede operam nauare, summa iniustitia. 163.a. animo pauperes fuerunt prisci patres, qui diuitijs abundabant. 132.b. Infantibus non parcere, crudelitatis maxima est. 163.c

Pauperes stipem petentes aspernari mali. 156.c  
 Peccas nullus absque pena relinquitur. 107.a. quomodo spem venie habere possit. 117. c. semper timet. 122.c  
 Peccatum in Deum & hominem admittitur, impietas in Deum concipitur. 98.a. Peccata quadam ex animi nostri electione existunt, quadam a parentibus trahuntur. 100.a  
 Peccatum causa omnium suppliciorum. 115.b  
 Peccatum Originale lobus quomodo deplorat. 53.a. id ad nos vsque permanuit. c. peccatum cognosci non potest. 54. c. ad Deum referri nulla ratione potest. 83.b  
 Peccatores Deus tribus modis ad penitentiam excitat. 203.a.b  
 Peccatum intelligentes animi oculos obcecatur. 237.a  
 Peccata interdum condonantur ob honorem iustis hominibus tributum. 241.a  
 Peccata omnia vitare impossibile. 166.c  
 Peregrinatio ad lobi serquilium visendum suscipitur. 36.b  
 Perseuerantia in peccato ob qua accidit. 156.b  
 Personam accipere, quodnam crimen est. 156.c  
 Perturbationes principio leues, postea graues. 64.a. earum effugas sub sensum cadentes. b  
 Philosophia vera sitium & aduersum & prosperum rite moderatur. 22. a. non tollit naturales affectus. 23.c  
 Philosophandi ratio que vana. 178.b  
 Philosophi veri exemplum lobus, quod non tam in aduersis, quam in prosperis sapienter se gesserit. 181.c  
 Phœnicia prius Chanaan vocata. 233.a  
 Phœnices maxime dediti mercatura. ibid.  
 Phorologus quis sit & exactor. 58.b  
 Pietate excepta nihil nostrum in hac vita dici potest. 28.b  
 Pij ac religiosi homines a facinorosis videntur. 193. c  
 Pius quis apud Deum gratuito. 16.c  
 Plaga diuinitus illata, cum deteriores melioribus dominantur. 145.b  
 Plagas suas sancti cur Deo acceptas referant. 82.c. cur de ijs aliquando apud Deum querantur. 97.b  
 Pœnis homines a Deo purgantur. 159.b. eas non tantum ob peccata sed alias etiam ob causas Deo exercere licet. 162.a  
 Pœnitentie fructus. 202.b.c  
 πόνος & græcè quid significet. 7.b  
 Potestates que a Deo ad Satanam defecerunt, obstinate admodum sunt. 237.c  
 Premia post hanc vitam ijs reseruat, quorum probatus est virtus. 227. c. eis saepe etiam in hac

I N D E X.

hac vita premij datur arr. ibo. ibid.  
 Praefens nullum tempus nobis. 160.c  
 Præcepta quanam sint. 161.b  
 Prosperitatis tempore aduersa metuenda. 60.b  
 Providentia diuina ratio nequit comprehendit. 69.a. 103.a 152.b. eius potestas maxima. b. eius signum, castigari diuinitus. 70. eam nihil fugit. 71. c. eam nihil neque paruum neque magnum subterfugit. 86. b. ea in singulis hominibus misericordia dicitur. 98. c. eius opus maximum conseruatio fatus in vtero. 99. a. ea certo adstruitur. 106.a  
 Providentia Dei vel in minimis rebus maxime elucet. 226.b  
 Prudentia quid sit. 30.c  
 Pupillis & viciis maxime subsciendum. 157.a  
 Purum librum impuris legere nefas. 1.a

Q.

Quid seminat quis, hoc & metit. 63.a

R.

Rele facta sua commemorare, quando laudabile, & quando non. 180.b. c  
 Reprehensio in minimis culpis adhibetur. 5.a  
 Rerum opificia, antequam ipse fecerentur, extabant. 221.c  
 Rerum harum amissio, quomodo nihil mali sit. 29.b  
 Resurrectio carnis probatur. 117. b. ea in ictu oculi futura. 118.a  
 Resurrectio corporum clare prædicitur. 142.a  
 Retributio in hac vita non plena est. 63. b. 68.a  
 Rhadamius quid sit. 125.b

S.

Sacrificia per se ipsi homines offerebant ante Legem. 241.b  
 Sacrificia imperium Deus repudiat. 144.c  
 Sales qui sunt sermonibus nostris adspargendi. 73.b  
 Sancti viri, quo magis a Deo exaltantur, eo se magis demittunt. 240.c  
 Sanctorum precibus a Deo opem petendum. 3.c  
 Sanctorum voces utilitatem habent adiunctam. 52.a  
 Sanctis hominibus magnum honorem Deus impartitur. 241.b  
 Sapientia Dei est ratio opifex, qua mundum cõdidit ac moderatur. 175.b. hanc nobis conuocare impossibile. ibid. per gratiam ta-

mẽ eam aliquatenus assequimur. c. 176. a. b.  
 Est item ratio colendi numinis, quam Deus nos docuit. 178. a. vel vera de Deo opinio. ibid. eius laus. b  
 Satanae membra proportionem improbi dicuntur, sicut & boni membra Christi appellantur. 230. c. Eum quidam primum ante omnia creatum dicunt. ibid. Eum quidam vnum ex primis angelis fuisse asserunt. ibid.  
 Is ex principatu deiectus, quod manus contra Deum sustulerit. ibid. Is non imperat hominibus inuitis, sed voluntarie sibi obedientibus. 231. a. Eius perfectum opera, vt Christus cruci suffigeretur. ibid. Is in effeminatis, & nequam hominibus domicilium habet. ibid. b  
 Satanae diuina scriptura corpus affingit. 229. c. Eius primus conatus, vt libidini hominens dedat. ibid.  
 Satanas nunquam ferri potest in bonum. 130. a. is mentem obstinatam atque inexorabilem vsque ad finem seruat. ibid.  
 Satisfactionis pro peccatis ratio. 203.a  
 Scientia & sapientia Dei quid. 108.b  
 Scientie humanae imbecillitas. 103.b  
 Scriptura mos est futura præteritis verbis enunciare. 164. b. dure vocem rebus inuitis. 176.b  
 Scriptura sacra interdum meminit de Græcorum fabulis. 244.b  
 Scriptura veritas adstruitur. 51.a  
 Senem a iunioribus admoneri graue. 184.b  
 Septenarius numerus perfectus. 241.a  
 Septuaginta interpretum expositio commendatur. 1. c. Bini a binis separati interpretationem suam mira consensione ediderunt. 2.a  
 Sepultura carere, graue animaduersionis genus. 123.b  
 Sermo per interrogationem prolatus maxime ad coarguendum valet. 217.c  
 Sermo durus animum male exulcerat. 137. a. rectus nisi recte & prudenter promatur reprehensibilis. 143.b  
 Sermo sale conditus quis sit. 73. b. qui sine opere profertur nec constans nec fide dignus est. 78.b  
 Seruus & Dominus nuda sunt nomina, re earentia. 190.c  
 Simplex & solidum, & vitij expertem significat. 87.b  
 Sinus pro re, que nec diuelli nec disungi potest, accipitur. 142  
 Sirenes aues que sunt. 188.a  
 Soboles copiosa hand magni fieri debet. 119.a  
 Saphir Africa est, rube aurum habetur. 159. a. vel

vel regio apud Indos. 176.c  
 Spes est rerum bonarum expectatio. 86.a  
 Spiritus sancti gratia hominis animum continuo imbuat sapientia. 198.b  
 Spiritus sanctus est Deus, & sicut filius opifex. 200.c. secundum naturam proprius est unigeniti, uelut a filio eternaliter procedit. ibid.  
 Stelle paucae sunt appellatae nominibus. 900.c  
 Stelle ab astro differentia. 222.b  
 Sternutamentum est bonae habitudinis signum. 236.b. Id purgandi cerebri vim habet. ibid.  
 Striphmus quid sit. 146.c  
 Studium improbum fecerit à Deo. 35.a  
 Suadens improba haud aperte loquitur. 142.b  
 Supplicium quod uni debetur, ab altero suscipi non solet. 84.c  
 Syri etiam Palaestini dicuntur. 245.c

T.

Tacere insipientes maxime decet. 110.c  
 Tentationum duo genera, scilicet, egestatis & diuitiarum. 242.a  
 Terramotus tempore mortis Christi maxime generalis. 90.b  
 Terra nullo fulcimento submixta stat. 168. c. ex ea quot & quam varia arguuntur. 173. c  
 174. a. b. terra vis ac robur est fructuum ubertas. 196.a  
 Terra subsistentia & libratio quomodo iuxta philosophos. 215.b  
 Textrix ars non vulgaris. 223.a  
 Timor Domini, castus cur dicitur. 104.b  
 Timor diuinus inuitum virtutum. 166. b. timor eius, opus est nostrum, timor ab eo, gratia & donum. ibid.  
 Tolerantia Iobi unde manabat. 75.b  
 Tolerantia iniuriarum maxime est admirabilis. 204.a  
 Tonitru quomodo fiat, excutitur. 170. b. c  
 Tranquillitas animi rerum omnium pretiosissimum est peculium. 204.a  
 Trinitatis fides omnium bonorum opifex. 8.a  
 Trinitatis mentionem Iobus facit. 161.b

Veneris facietas libidinis est radix. 230.a  
 Verax est, qui nec simulat nec falso praetexit virtutem. 87.c  
 Verbum appellatur etiam dum in mente est, antequam proferatur. 217.c  
 Verbis quis ad peccandum potius inducitur, quam rebus. 49. b. in verbis non labi, non paruum est. 78.c  
 Veritas grauis accidit multis. 77.c  
 Victimae magnitudo, peccati magnitudinem demonstrat. 241.b  
 Victoria quis quando patitur, potitur. 23.c  
 Viduae sunt ingratae ipsae, qui sibi bona contulerunt. 180.c  
 Vincula tentatione quid sit. 31.a  
 Virtus in verorum dogmatum incorrupta disciplinam, adhuc in relictis viuendi ratione consistit. 24.c  
 Visi nocturna unde proficiuntur. 65. a. cur potissimum in grauibus tentationibus emergant. 82.a  
 Vita quomodo sumatur. 116.b  
 Vita nullius hominis usquequaque beata. 43.b  
 Vita haec quam misera. 28. c. omnibus est arumnis & calamitatibus plena. 78.a. b  
 Vitium est flagitiosus habitus, peccatum id quod a prauo habitu proficiuntur. 155.c  
 Vitium non solum virtuti, sed sibi quoque est contrarium. 237.c  
 Vniuersitas haec est nobis pro libro. 215.b  
 Vniuersusque proprium peccatum habet vltorem. 166.a  
 Vota ut Deo reddantur, Deus praestat. 159.b  
 Vulturis vis & natura, quomodo ad theorum adhibeatur. 226.c  
 Vxorem non ducere, Christi est consilium. 188.c

Z.

Zelus Dei est odium in improbos. 67.b



COMMENTARIUS  
 IN IUSTVM IOB.



PROPOSITVM nobis est, cõsiliique ratio, Iobi multorum certaminum viri librum euoluere; cuius memoriam qui vsurpare debent, eos non nisi loto ore illius mentionem facere oportet. \* Purum enim impuris labris contingere nefas est. Igitur operapretium est, ante ingressum vestibula contemplari, certoque numero, quae dignam habent disquisitionem, completi, summamque perfequi. Sciendi enim auidus fortasse quæres, Quis, & vnde, & quãdo iustus hic extiterit, & quis parens libri, & ad quænam liber vilis. Vt hac ratione vtilitate perspecta, libenti, alacrique studio legamus.

CHRYSOSTOMI.


Ergo ab Arabia Beatus hic oriundus fuit, ab Abrahamo quintus: cuius per inuisum Esau ducitur genealogia. Genuit enim Patriarcha ille Isaacum, hic verò Esau, atque hic Raguel; hic autè ipse Zara, à quo ortus est Iob. Quòd verò post legem minimè extiterit, id quod visum est nonnullis ob eius viuendi rationem ad legis normam expressam, sed potius antè legem fuerit, naturæque duce, quæ legis sunt, expleuerit, notitia, quam à docente nemine acceperat, vsus, tum ex genealogia perspicuum est, tum ex maxime diuturna, quam hic vixit, vita. Plus enim ducentos vixit annos. Atqui post legem, qui tamdiu vixerit, de nullo memoriae est proditum. OLYMPIODORI. At de descriptione libri eorum qui Commentarios ediderunt, non vna omnium est sententia, affirmantibus nonnullis, è sapientibus hebraeis hominibus quandam extitisse, qui aduocatione, quæ ad iustum hunc pertinet, primum acceperit. Deinde ad suæ eruditionis speciem hæc literis mandasse; ita nec diuinitus afflatam scriptionem hanc esse confitentur. Quæcunque autem verba iusti asperiora iactantur, scriptoris errata hæc esse constituunt, neque illa esse Iobum elocutum, cuius erga Deum pietas, perfectioque testata sit. Alij ab amicis Iob librum conscriptum esse tradiderunt, siue temporis, cum adessent, recordatis, siue, quòd verius est, gratia illustratis: maxime, quòd id fuerat Iob precatus, cum diceret: Quis det scribi verba mea, poni autem illa in libro in æternum? Voluminis auctorem Moysen quidam alij inscribunt, è caractere orationis ducta coniectura. Sed nimirum Diuino theologo Gregorio Salomonis scriptum hoc iudicatum est. Cum enim hinc testimoniũ de promississet in ea oratione, quæ ab eo \* eis & ieremio scripta est, Paruus, & magnus illic est, & seruus vna cum Domino. subiunxit id quòd Salomonis est, dicam. Valeant igitur, qui scripturam hanc tanquam confirmatam, atque ab humana cogitatione profectam, nec inspiratam diuinitus criminantur. Ij quoque ablegentur, qui septuaginta illos mirificos homines, quasi minus rectè hebraicè scirent, perstringunt, vel quòd vocabulorum homonymia decepti sint, vel quòd multis locis alia pro alijs interpretando reddiderint, cum, quæ hebraicè scripta erant, in græcum conuerterent. Diuinis Patribus habenda potius est fides, qui librum ab Apostolis ex septuaginta editione acceperunt, quam cæteris interpretationibus prætulerunt, ut quæ à spiritu sancto manasset. Namque reliqui interpretes post Christi aduentum extiterunt, qui quòdi

AUCTOR  
 CATENAE.

Par sententia  
 tæ apud Greg.  
 Nazianzen in pri  
 mo oratione  
 Theologica, in  
 apud Platone  
 in Theodone.

\* Extat oratio  
 hæc Gregorij  
 Nazianzen ad  
 Iulianum famè  
 liarè suum: qui  
 iccirco exequa  
 tor appellatur.  
 quia tribus  
 exequandis præ  
 fectus erat. Ni  
 cæna vero Gre  
 gorij interpre  
 in scholis, qui  
 bus oratione il  
 lam illustrauit,  
 eandem senten  
 tiam Gregorio  
 assignit, quã hic  
 Olympiodorus.  
 Opinione Gre  
 gorij de auctore  
 huius libri cona  
 firmant Vaticana  
 biblia vetus  
 sissima maiori  
 bus literis con  
 scripta, quæ li  
 brum hunc Can  
 ticis canticorũ  
 subiungunt, q  
 etia in sua sy  
 nopsi facit ad  
 thanasius.

A.



quod Christiani minimè fuerunt, suo quisque aptam scopo, ac pro sua libidine interpretationem fecerunt. Septuaginta vero ante Christi aduentum, & seorsim veterem omnem scripturam interpretati sunt, à Ptolemæo \* bini à binis se-iuncti. Fuitque eorum tanta consensus, quasi vno essent ore cuncti locuti, in-terim nec ad gratiam, nec ad odium cuiusquam hebraica transferentes. Itaque interpretationem illam, tanquam ab omni suspitione vacuam, atque adeo à multis, senio tibusque nationis Israeliticæ effectam illi Principes sacrorum Ec-clesie tradiderunt. Vt superuacane iam sint fabulantium Hebræorum prauæ interpretationes. Quod si raro dictione aliqua, quæ apud alios interpretes re-peritur, vtimur, id perspicuitatis causa dütaxat facimus, nequaquam testifican-tes eos his nostris melius fuisse interpretatos. Apage. Iudaicæ, & Samaritanæ au-daciam isthæc est contentio. POLYCHRONII, & CHRYSOSTOMI. Ver-rum, quæ à Iob dicta videntur esse asperius, vbi cum Deo disceptat, quasi imme-rito diuexatus, hanc habent solatiij plenam \* explicationem. Nam si quis iusti vestigia persecutus, & perturbante metu superato, ad perfectam caritatē perue-nerit, dolorēque cum cruciatu fuerit expertus, videre poterit, qua fiducia cum Deo ad hunc modum loquatur, iusto illius fretus iudicio, à quo solo postulat iudicari. Quare & ipsum Deus complexus est, cum intelligeret, qua mente ver-ba expromeret. Ex Ezechielis enim ore in iustorum ordinem virum redigens effectus est. Si steterit Noë, & Iob, & Daniel, filios suos, & filias non eruent. Cum his & illa Apostoli consentiunt; Patientiam Iob audiuitis, & finem Do-mini vidistis. Ex quibus omnibus colligitur, hunc sexcentorum certaminum virum cum perfecta virtute, tum Dei testimonio dignum extitisse. \* Persua-sum etiam mihi est, illius irem amicos iustos fuisse. Nam à viro iusto alienum erat, non iustos adeptum esse amicos. Insultabant autem illi conuitiōque ex-probrabant, non ideo quod inuiderent eis, sed ob id fortasse, quoniam Dei per-missu Diabolus superfeminabat in eis. Cum enim arcanam plagæ rationem omnes ignorarent, Dei patrocinio suscepto, acerbiores huic iusto, quam suæ calamitates, fuerunt. CHRYSOSTOMI. Vtilem verò esse librum cuius in omni vitæ genere, & conditione, viris, mulieribus, senioribus, medijs, diuiti-bus, pauperibus, secundis, aduersiue rebus vrentibus, facile est ostendere. Hic enim vir magnus, atque admirabilis, qui vbiuis gentium clarus est; qui Pietatis athleta fuit, & corona donatus; qui cuncta certamina exantlauit; qui innu-mera aduersus Diabolum trophæa constituit; hic inquam opulentus fuit, & inops; gloriosus, & contemptus; liberis abundans, & orbat; in Regiis aulis, & in sterquilinio; in splendida veste, & post hanc in vermium fonte; antea sex-centis cultus obsequiis, postea infinitas pertulit contumelias, insultantium feruorum, exprobrantium amicorum, insidiantis vxoris. Omnia illi quasi è fon-te fluebant, copia pecuniarum, principatus magnitudo, gloriæ amplitudo, pacis securitas, honos & famularus, & corporis valetudo, & felicitas liberorum. Ni-hil denique illi triste erat; aderant ei diuitiæ à metu exploratæ, felicitas casum ignorans; idque merito: Deus enim eum vndique obuallabat, sed postea cun-cta illa abierunt, & mille tempestates in illius domum impetum fecerunt, pro-miscuæ vniuersæ, neque vllam intercapedinem facientes. Nam quæ ei erant, confestim abrepta sunt omnia; filij violento, atque immaturo interitu oppressi sunt, in mensa atque conuiuio iugulati, non ense, & gladio, sed ab improbo ipiritu ædesconquassante. Post hæc vxor armabatur, iustoque machinas admo-uebat. Serui etiam & amici, illi quidem os consputabant; hi verò immincebant, atque insultabant; & omni domo extrudebatur, & pro hospitio illi sterquilini-um erat, & vermium fontes ex omni parte scatebant; & sanguine, ac sanie defluebat Adamas; & testula saniem radebat, sibi ipse factus carnifex. Dolorem dolor excipiebat, eumque intolerabilem; nox die erat acerbior; & dies nocte ad perferendum difficilior; & omnia præcipitia erant, ac scopuli; qui solaretur, nemo; qui insultarent, mille, sed in tanta nihilominus procella, & fluctibus, qui oratione explicari nequeunt, nihil immutatus strenuè constitit; cuius rei ea causa

\* Septuaginta  
interpretibus  
singulis  
cellulas attri-  
butas esse, verū  
binis singulis,  
vbi Epiphanius  
in lib. de mens.  
& ponder. con-  
firmat, cum in  
Iustinus impe-  
rator in sua  
quodam casti-  
tutione, quæ Ro-  
mæ Græce vidi-  
mus.  
\* Olympiodori,  
& Polychronij  
cōsule interpre-  
tationem in no-  
ni capitis ex-  
planatione.  
\* Hoc nem ma-  
gno Gregor. per-  
suasum fuit in  
Præfatione in  
Iob.

Gr.

caussa extitit, quod rerum naturam præclare æstimabat, earumque conuersio-  
nem cum non ignoraret, prospiciebat in posterum. nam præclare cum ageret,  
calamitatem minimè desperabat. Nec solum laborum tolerantia, & patien-  
tia, verum etiam ceteræ virtutis hic multarum perpeffionum homo, iis, qui  
mentem adhibent, propositum est exemplum. Fortitudinis atque constantia,  
vt in tentationibus iniurias ne intentemus, sed placidi, ac moderati simus; in-  
opulencia, ac potestate, vt cū alijs communicemus. Temperantiæ verò in volu-  
ptatibus: iustitiæ in iudicijs, atque commercijs; in cunctis rebus concordia, &  
quod caput est, caritatis. reliquarum virtutum omnium numeros omnes absol-  
ue. Verum hanc informatam imaginem sume, & in conscientia tua desige. In  
animi contractione ad hunc confugito. In diuitijs hinc medicamentum pete, ne  
aur obruaris inopia, aut diuitijs efferaris. Si filios amiseris, hinc solatium habes.  
Hic enim ærummarum, & purgantis medicina vim ingentem reperies. Si in-  
morbos incidaris, ad fontes vermium refer cogitationem, atque ita cuncta leui-  
ter feres. Si amicus fuerit insidiatus, rursus hunc sanctum in medium produc;  
sic enim morbum viceris. Si plebeij te malè acceperint, cogita, quæ à seruis  
perpeffus sit, & magnam tibi ascueris medicinam. Si improba quis suspitione  
te perstrinxerit, quæ in eum dicebant, quod nondum pœnam suis scelerebus  
dignam luerat, quibusque eum probris incessabant, cogita. Nam hac ratione  
morbum hunc superaris. Nec enim est vlla apud mortales calamitas, quam non  
hic quouis solidior Adamante sustinueris, famem, & egestatem, & morbum, &  
orbitatem filiorum, & tantam ac tam repentinam iacturam pecuniarum; à con-  
iuge insidias passus; ab amicis contumeliosè vexatus, à seruis oppugnatus, in  
omnibus rebus quolibet saxo maiorem soliditatem ostendit, atque id ante le-  
gem, & gratiam. Nobis autem haud erit expedita defensio, si post legem, & gra-  
tiam, tanto ornati munere, pauciora, quam hic, qui humani generis initia, ac  
primordia attigit, tantamque præ se tulit Philosophiam, minora perferamus.  
Quod igitur magnam hic liber præbeat utilitatem, satis planum factum esse  
arbitror. Nunc ad ipsam verborum interpretationem veniendum est. Quæcun-  
que verò Historiæ congruunt, atque allegoriæ, quæ historiæ minimè læ-  
dant, omnia persequemur. Sic enim nos Patres docuerunt, neque ad historiæ  
cuncta esse torquenda; neque in Iudaica solum littera commorandum, sed quæ-  
dam historiæ, nonnulla theoriæ concedenda esse; ac si id, quod dicitur, re vtram-  
que ferat, historiæ, & allegoriæ, vtraque vtendum esse. Sin autem historiæ  
solam, in litera tantummodo hærendum: Sin verò vnam spectet intelligentiam,  
ad allegoriæ orationem traducendam esse. Verum enim à Beata Iobi anima  
contendendum est precibus; vt id à Deo nobis impetret; vt viri huius magna-  
nimitate dignum aliquid excogitare, ac dicere possimus. Vt autem facilius per-  
cipiamur, rectèque possimus ea, quæ dicuntur, persequi \* protheorijs in capita  
singula vtremur. OLYMPIODORI. Ergo in hoc primo capite iusti nomen,  
ac regionem scriptura indicat, atque animi illius pulchritudinem describit,  
ipsumque auditorē præmunit, vt vel ex ipsa viri existimatione, nulla re pertur-  
batus, sed de eius innocentia nihil dubitans, quæ ab eodem differuntur, audias.  
Ad hæc, quemadmodum mulca, & præclara sobole ornatus, cum cæcisque rebus,  
quæ ad humanam pertinet felicitatem, circumfluerit, commemorat. Docet  
etiam filiorum eius concordiam, fraternamque benevolentiam; Patris item  
curam, atque aduersus Deum religionem, & quanta sollicitudine ea, quæ sibi  
erāt carissima, educarit, magna eius rei ratione habita, vt quæ ab illis cogitatio-  
ne, sed nō volūtariè peccabantur, sacrificijs, Deoq; precibus adhibitis, expiaret.

A V C T.

\* Quod apud  
Latinos valet  
sententia, & ar-  
gumentum, &  
apud Græcos  
πρόθεορ, apud  
hic Catena au-  
torem est Pro-  
theoria.

+ Homo quidam erat in regione Aſtride, cui nomen Iob. CHRYSOSTOMI.  
Quid sibi vult procerium, & quid causæ fuit, cur sic scriptor exordiretur?  
Vitam illustrem explicaturus erat, nostra viuendi ratione longe superiorem:  
A 2 Nequis

Nequis igitur certaminum ac patientiæ spectata magnitudine incredibili; peregrina quædam, & non humana eum natura præditum arbitraretur, naturam à primo ponit in conspectu; vt hominis institutum mîrere; qui licet natura homo esset vnus è multis, virtute tamen multis, antecelluit. Communem naturam scriptor indicauit, vt quod proprium electionis fuit, ostenderet. Quoniam qui communis naturæ particeps fuit, is quæ natura, atque homine maiora sunt, gessit. A regione quoque illius ducitur laus; vt id quoque tibi admirationem faciat, quod ex spinis huiusmodi rosa extiterit. OLYMPIODORUS. Ausitis enim prophani, & flagitiosi Esau terra erat, à quo etiam nomen inuenit, nimirum ab Aus vno de filiis Esau. Itaque vult dicere, quem virum ad pietatem tulerit impuri, atque iniqui prouincia Esau, ad cuius posteritatem iustus pertinebat. Ausitidem regionem quidam Seon esse dixerunt, Aus hebraicè appellatam. Alij Idumæam. Eusebius verò profert Aristæum in libro de Iudeis restantem aliam quandam hanc esse in Idumæa, & Arabiæ finibus positam. Pater autem is, cuius est aurea eloquentia, ipsam Arabiam esse affirmat, vbi & huius generosi hominis sepulchrum extat, atque sterquilini palæstra, vbi speciosas coronas adeptus est, anniuersariisque honoribus, vt sermone percelebratum est, illum indigenæ prosequuntur. Igitur, quem locum habitauerit, & vbi decerit, ex iis, quæ adhuc inspicimus, planum est. CHRYSOSTOMUS. In primis laudationem intueri, quod tale germen produxerit Ausitis; Eiusmodi enim quendam virum frugi in Arabia reperiri, vbi omnes corrupti erant; vbi nullum non extabat exemplum improbitatis, est admiratione perquam dignum. DIDIUM. At sublimiorem Ausitis habet interpretationem. Nam Ausitis consilium valet, in quo iustus domiciliū constitutum habebat. Is enim qui facilis est ad exandescendum, temerè agit. Quare, vt canibus sic illi cæca nascuntur tum dicta, tum facta. Hic autem iustus nihil non ex consilio administrabat, in quo sapientis præcepto obtemperabat. Cum consilio omnia fac. Iobi verò nomen, patientiæ nomen est, atque intelligitur; vt id iam fuerit, quod antea vocatum erat, aut verò id vocatū sit, quod quidem fuit.

Et erat ille homo verus, irreprehensibilis, iustus, pius, abstinentis ab omni re mala. CHRYSOSTOMUS. Externi Philosophi cum hominis explicant diffinitionem, aiunt, Homo animal est rationale mortale. Diuina autē scriptura eum diffinit esse hominē, qui id, quod Dei similitudinē imitatur, custodiuit, & qui ex virtute cognoscitur. Qui verò diuinos typos, ac notas cōfundit, ac corrumpit, hūc ne hominis quidem nomine dignatur. Etenim si quis naturæ caractere insignitus, ob flagitiosam electionem eundem typum iniuria afficit, à Propheta audit; Homo cum in honore natus esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Quare hoc item loco suo vtens instituto diuina scriptura, docensque nulla re alia ita distingui hominē, vt irreprehensibilis, iusto, pio, his ipsis Iobū illustrans pronunciat, ac dicit. Erat homo verus. Improbi enim sunt falsi homines, non secus, quàm picti; Id ipsum confirmat Ecclesiastes. Cuncta per se mandata: atque ad Dei timorem, tanquam ad caput cum redigit omnia; Absolutio, inquit sermonis, Audi omne, Deum time, & mandata eius custodi; quia id est omnis homo. Quidam etiam alius, qui Hierosolymis vaticinabatur, vbi, qui audiret, vidit neminem. Veni, inquit, & locutus sum, & non erat homo. Nos quoque à quotidiani sermonis nihil recedentes consuetudine, cum ad negotium aliquod conficiendum, aut seruum, aut filium mittimus, dicere soliti sumus. Vt homo rem administrato; Vt mente, & ratione præditus, cogita atque age; muneris functione hominem te esse ostende. Nec enim à figura, sed ab actione, quod est vnum quodque, intelligitur. cetero qui communionē nominis duntaxat, dicitur id, quod dicitur. Solus ille verus est homo, qui conseruata imagine, à Deo concessam pulchritudinem minimè obseruauit. Talis Iob fuit, verus, non fictus; qui rebus ipsis hominis virtutem declarauit, non habitu est ementitus, nec tanquam histrio hanc ipsam simulauit. Quod verò antea ab Abrahamo Deus flagitauit, cum diceret, Tu verò place

Ex Catena Vir-  
geny. Tirrelli  
Origenis. impro-  
bi enim nō sicut  
quam pisi falsi  
sunt homines.  
De hominis na-  
tura & defini-  
tione vide Euse-  
bium in 3. lib. de  
Preparat. cap. 3.  
idē, quod hoc lo-  
co Chrysost. ex  
Hebræorum de-  
cretis docet,  
& Tirrelli in l.  
de Abrahamo  
Hominis defini-  
tionem perinde  
et hoc Chrysosto-  
mus facit, ex-  
plicatam.

in conspectu meo, & esto irreprehensibilis; id num de Iob scriptura testatur? Nam cum dixisset eum esse verum, addidit, sine querela, & reprehensione. Vocabulum mihi expende, cur non dixit, expers criminis, sed à reprehensione vacuus? Nimirum quia crimen in maximis ponitur peccatis; Reprehensio verò in paruis, & minimis. Non solum igitur, inquit, à grauissimis abstinuit culpis, verum nec leuissimis se teneri passus est. Maius est, reprehensione vacare, quàm crimine. Nam reprehensio facti improbationem habet, non supplicium. Aquila pro irreprehensibilis, simplex; Symmachus, innocēs reddidit, cum ille animum iusti ab omni improbitate, simulandique artificio alienū, hic verò ad summam etiā virtutem institutum indicaret. Innocēs enim est, qui nullo bono carer; qui vitam ab omni improbitate remotam degit. Post irreprehensibilem, addit & iustum; Namque rerum omnium, quæ honestæ, bonæque sunt, complexio, & cumulus est iustitia. Etenim si aliquid suapte vi, ac natura laudandum ab reliquis virtutibus seiscitum in vno aliquo reperitur, imperfectum, atque inutile id futurum sit, quin etiam sæpè numero contrarium, vituperationeque dignum deprehendatur. Verbi causa; Intelligentia quis, & solertia pollet? nisi iusta quoque mediterur consilia, præcepta ad mala, perditisque moribus, nequam quam prudens hic sit. In hos enim dictum est. Sapientes sunt, vt faciant mala. Facere autem bene non nouerunt. Rursus, strenuo quis est animo ad contentiones, & pericula? nisi etiam quæ iusta sunt, administrare velit, crudelis iam erit, ac vim adferet. Quemadmodum illi loquantur, sit nostrum robur lex iniustitiæ. Quod enim imbecillum est, inutile coarguitur. Corporis quis cohibet voluptates? Nimirum temperans non sit, si avarus fuerit, si pecuniæ appetens; si nepos; si non liber; si ob cupiditatē non parcēs pecuniæ. Denique pars qualibet iustitiæ ab reliquo, quasi corpore auella nihil est. Ac nimirum bonorum omnium consensus, ac cōtus meritō sit, & nuncupetur iustitia. Quod si earum rerum, quæ admirationem habent, quæpiam abfuerit, ob id ipsum claudicat, ac mutilata sit, falsōque iustitiæ nomen præferat. Principio enim qui iustus est, eundem sapientem esse necesse est. quia enim ratione suis perfungatur muneribus, & quomodo oportet, in cunctis rebus se gerat, si cuiusque rei dispositio, & vis non ei fuerit explorata? Deinde temperantem; intemperantia enim iniustitia est; Deo carum; Qui enim pij sunt, inquit, iusta cogitauerunt. Sedarum, humanum, beneficium, & vt semel dicam, rerum omnium agendarum, quæ cum recta ratione congruunt, conspiratio iustum absoluit. Id quod præclarè nos Ezechiel docuit; per cuius personam inquit Deus. Homo autem, qui fuerit iustus, qui facit iustitiam. Deinde vniuersam perfectamque virtutem è singulis complexus iustum describit, cum dicit; In montibus non comederit; In montibus enim Idolis cultum adhibebant. Deinde temperantiam eidem inesse ait; Et vxorem proximi non contaminauerit, & ad mulierem sanguine fluentem non accesserit. Deinde mansuetudinem, & facilitatem illi adscribit; Et hominem non oppresserit. Adhæc rebus suis contentum esse pronunciat, cum inquit, & rapinā non rapuerit. Eundem alieno incommodo commoueri, & sua in ceteros conferre confirmat, quando ait, Panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimēto, & pecuniam suam ad vsuram non dederit, & amplius non acceperit. Facile verò placari, & pacis amātem esse enuntiat, vt inter eos, qui controxerūt, versari possit; Et ab iniquitate, inquit, auerterit manū suā, & iudicium iustum fecerit inter virum, & inter profelytum. Hoc enim eximium est, & præclarissimum, si cum reliquis iustitiæ officiis conferatur, iuste inter ciues posse iudicia exercere, & vnicuique, quod conducibile est, tribuere, quare à iure nomen est adepta iustitia. Numeratis iis omnibus, quæ vel agenda, vel non agenda sunt, normam quandam ac typum ad omnia accommodauit, in quo si obturum quispiam fixerit, erratum omne vitauerit; In præceptis meis, inquit, ambulauerit, & iustificationes meas custodierit, vt faciat eas. Atque ex omnibus his copulatis ac temperatis vnum quasi corpus è multis membris coagmentatum, suauisque constans harmonia, ac robustum iustus efficitur. Vbi verò place

cum tantis bonis absoluit, eiusdemque definitionem, & circumscriptiōnem  
 quādam contexit, cuncta in vnam summā his verbis conclusit. Iustus hic vita  
 viuet. Posteaquam igitur, quæ iusti nota, ac proprietates sint audiuit, age  
 illas ipsas in Iobo intueamur. CHRYSOSTOMI, Deo pietatem præstat ius-  
 tus? Quid tandem Iob? Annon Deum victimis quotidie placabat? castus, ac  
 temperans? at hic pactum pepigi, inquit, cum oculis meis, vt nō considerarem  
 virginem, mansuetus, & facilis? quid homine hoc initiis? cuius etiam serui ob  
 incredibilem illius benignitatem ita suspensi erant, vt deuorare illum concu-  
 pierint. Nam aiebant. Quis det nobis carnis eius saturari? Misericors, &  
 sua cum aliis communicans? quis hæc vna de re cū Iobo certauerit? cuius ianua  
 venientibus cunctis paruit? nec quisquam inani sinu est vnquam egressus: inter  
 eos, qui digladiantur, iustus commorabitur? hic etiam Iobo licitum est gloria-  
 ri, & dicere, Iudicium, quod nesciebam, inuestigauit, & contriui molas dentium.  
 Nulli facit iniuriam iustus? Verum Iob etiam male ipse sibi precatur. Si leuauit  
 super pupillam manum, abscidat à clavicula humerus meus. Quoniam igitur  
 Iobus virtutis partes omnes excellenter explicuit, iccirco homo sine querela, &  
 iustus nominatur. BASILIUS. Non qui solam actionem suscepit iustam, is  
 iustus, verum is qui habitu iustitiæ præcultus iuste agit. Quæmadmodum di-  
 ctum est. Iusta iustè persequeris. sicut enim homo quispiam rudis aliquod fa-  
 cit ad medendum aptum, sed non medicè, quia non ex arte, & ratione fa-  
 cit; sic par est, iustam edi actionem sine ratione tamen iustitiæ. Tunc verò à  
 reprehensione alienum aliquid est, cum actio iusta iustitiæ habitum comitem  
 adscuerit. CHRYSOSTOMI. Non ea Iobus iustitia præstabat, quæ vnam aliquam  
 formam virtutis, sed quæ omnem, ac solidam complecteretur, neque sic ab vna  
 quadam re mala abstinere, vt ad aliam adhæresceret. Nam ipsi pondus iustum  
 dicimus, quod vbique & in cunctis rebus æqualitè tueretur; non si aurum qui-  
 dem iustè, plumbum verò secus libauerit. Verum illud iustum est pōdus, quod  
 materiæ cuius æqualitatem præstat, æquāque mensuram. Non aliter Iobus  
 iustus erat, cuius semper fuit in omni vita æqualitas. Neque enim in pecuniis  
 tantum æqualitè tenuit, sed etiam in rebus aliis omnibus, nusquam à modo  
 mensuræque recedens. Nec eum quispiam dixerit in pecuniis quidem æquali-  
 tatem adamasse; in hominum verò consuetudine modum transilisse, perinde  
 quasi aut sperneret cæteros, aut fastu esset arrogantior. id verò maxime fugie-  
 bat, cum diceret; si contempsi iudicium famuli, aut famulæ, cum ipsi meum di-  
 sceperant; annon sicut ego fui, & illi fuerunt? summa igitur iniquitas est, ela-  
 tum esse, ac superbum. Quemadmodum enim avarum eum dicimus, qui ali-  
 na interuertit, nec suis contentus est; ita superbum eum vocamus, qui plus ab  
 altero exigit, quam sibi debeat; cum sibi aliquis cunctis in rebus honores  
 constituit, cæteros verò despiciat ducit, nempe hoc ipsum non aliunde, quam  
 ex iniustitia erumpit. Deus enim vnam naturam omnium fabricauit; omnia per  
 æque aliis est impartitus. quanam igitur ratione ipsum illum abiciis, & spoli-  
 nec eius honoris, quo est à Deo ornatus, consortem esse pateris? sed cum tua  
 facis omnia, non ad pecuniarum, sed ad gloriæ egestatem alterum redigis?  
 Vnam vtiq; Deus naturam est elargitus, atque vnam ambobus naturæ digni-  
 tatem, ac principatum. Illud enim. Faciamus hominem; est vniuersi generis  
 commune. Cur ergo illum patria possessione deturbas, atque ad extremam de-  
 mittis humilitatem? atque id quod est commune, tanquam proprium vsur-  
 pas? Dispar profecto Beatitudo Iobi erat. Quocirca eius illæ voces; non con-  
 tempni iudicium famuli, vel famulæ. Eaque re scriptor cum dixisset iustum  
 eum esse, non priuatam iustitiam, quæ in commerciis & litibus spectatur, sed  
 eam quæ est vniuersa virtus, propalam collocauit. Ad hominem, qui ex hoc ge-  
 nere iustus est, pertinet illud; iusto lex nō est posita. Additur *Et pius* vt osten-  
 deret tam cum hominibus, quam cum Deo perfectum extitisse. nam iustitia  
 ad homines, pietas ad Deum refertur. CHRYSOSTOMI. At vide, quemadmo-  
 dū virtuti virtus comitetur, atque alteri altera plaudeat. Recta enim viuendi ra-  
 tio.

AVCT.

tio facit, vt Deum cognoscamus; Dei verò notitia vitæ custodia est. Ideo igitur  
 quia Iob iustus, Deū religiosè colebat; & quia Deus illi semper ob oculos ver-  
 sabatur; ob id ipsum, quod iustum erat, iustè persequatur. atque id honesti  
 solius causs; nullius rei præterea. Nec fieri potest, vt iustus sit quispiam, nisi  
 prius reprehensione, & querela vacet. Iccirco cum ante esset positum, Verus  
 homo, id est, nullo inuolucro pietatis, & simulatione tectus; sed verè, ac re ipsa  
 virtute præstans, atque informatus; huic illud alterum comitatur, irrepre-  
 hensibilis. Nam legitimus virtutis operarius, vel quæ videntur exigua cauebit.  
 Illi verò cōsequens est, Iustus. Quod verbum est perfectæ iustitiæ paronymum.  
 Is enim Iustus est, qui partibus est virtutis omnibus absolutus, atque per-  
 fectus. His autem succedit ille, qui Deum religiosè colit; illustrior aliis, rectis-  
 que factis, rectisque dogmatibus exornatus. Ad hos adiungitur; *Abstinens ab  
 omni re mala*. hoc ipsum nihil quod emineat, non amplectitur. neque enim  
 dictum est, quod quidem illum improbitate abstinuisset, illa verò minime; seu  
 multa ab eo mala superata esse; ipsum verò paucis succubuisse; sed prorsus nul-  
 lius sceleris labe tangi se voluisse. Sed operæpretiū est nosse, \* Pono nomen  
 interdum esse vitij, alias verò doloris, atque perperitionis malorum. Pro flagi-  
 tio vsurpauit Dauid, cum caneret, sub lingua eorum labor, & ponos, atque ite-  
 rum. Concepit ponon, & peperit iniquitatem. Pro acerbo verò dolore, diffici-  
 lique labore idem vocabulum à Iobi vxore vsurpatum est, cum dixit, Vteri mei  
 dolores, & poni. Quare & duo hæc, quæ à pono oriuntur, vocabula, *πονός*, &  
*πονός*, differunt. Prius enim improbitatem, & scelus significat; alterum ærum-  
 nam acerbiteratque declarat; cuiusmodi est illud; Vulnerauit Iob vicere acer-  
 bo, id est, grauem difficultatem, cruciatumque adferente. Videri cuiuspiam forras-  
 se possit, nihil interesse inter eū, qui ab omni re mala abstinere, & eum qui iustus  
 est. Verum longè aliter se sese habet. Nam qui se abstinere ab improbitate, non  
 continuo iustus est, quamuis ille qui iustus est, longè absit ab improbitate. Prin-  
 cipium quidem percipiendorum bonorum est mala deducere; iccirco dictum  
 est; Declina à malo, & fac bonum; Faciliorque est mali fuga, quam boni aggressio.  
 CHRYSOSTOMI. Non est satis à rebus malis se remouere, nisi bonæ  
 quoque agantur; cum non modò mali administratio, sed etiam boni cessatio  
 coercenda sit supplicio. Quandoquidem & ij, qui fame eneētum non aluerunt,  
 & ij, qui misericordiam minimè tribuerunt, supplicij addicuntur sempiternis.  
 Ex quo intelligimus, abstinere à malis non initium esse salutis, nisi bonorum  
 item possessio adsit, actiōque virtutis. Atque mihi considera, in quam pauca di-  
 uini spiritus consuetudo huius viri laudem contulerit. Nam cum eum verum  
 prædicauit; Patriam ac maiores quodammodo descripsit; reprehensionis verò,  
 & querelæ expertem dixit propter actionem; Iustum ob iuris æquitatē, bono-  
 rumque suorum largitionem, atque etiam ob iusta in iudicando suffragia, & in  
 cunctis rebus decretum, atque approbationem; Pium autem erga Deum ob fi-  
 dem, & Idolorum odium; Abstinentem verò ab omni re mala propter incensas  
 aduersus omnia flagitia inimicitias. Breui præcidam; nihil gessit aliquando ac-  
 cusatione, seu querela dignum. Sed & humana iura custodiuit; & quæ ad re-  
 ligionem pertinent, incorrupta mente procurauit; & quæcunque ad Deum spe-  
 ctant, administrauit, diuinumque numen legitime coluit.

*Facti sunt autem ei filij septem, & filia tres.* CHRYSOSTOMI. Primum virtutem  
 expressit; deinde illa, quæ Dei munere concessa sunt. A virtute enim hæc olim  
 proficiscebantur, copiosa, benèque instituta soboles: Non erit in te (inquit)  
 infecunda, nec sterilis. Sed tamen Abraham ideo sine liberis erat, vt discas re  
 vera non isthæc, sed quædam alia esse præmia virtutis. illa nihilominus indul-  
 gens pollicitus est Deus. BASILIUS. Quamobrè abundasse Iob liberis scriptum  
 demonstrat? ob eos, qui filios causantur, speciosamque arripiunt occasionem  
 ad peccandum. Necessariæ inquirunt pecuniæ sunt propter liberos; nec intelli-  
 gunt filios iis sæpenumero segetem, & scopum esse thesauri conseruandi. Illud  
 item accidere potest, vt quæ ab illis comparata sunt, aut à latronibus rapiantur,  
 aut

AVCT.  
 \* Quid valeat  
 apud graecos  
*πονός* unde  
 fluxit *πονός*  
*πονός* & *πονός*  
*πονός*

aut à sycophantis exhauriantur, aut ab hostibus capiantur. Quos ego ipsos libenter percunctatus fuerim, cum à Deo prolem peteretis, quid tandem ad precationem addidistis? Idne? Filios concede nobis, ut eorum causa iussa tua violemus? atque gehennæ tradamur? nempe nō isthæc tunc dixistis: verum filios qui vestra vitæ subsidio essent, postulabatis. Quādo igitur illos ipsos vitæ cōsortes, & adiutores accepistis, honestis disciplinis, atque exēplis erudite, & cuiusmodi in rebus ad Deum pertinentibus eos esse oporteat docere. Hæc nāque sunt diuitiarum multis pecuniis præstabiles. Hæc præclara hæreditas à Patre liberis transmissa. Hæc liberum educandorum ratio Iobo instituta erat. Hinc filiorum dignitate erat insignis. Multos enim fratres existere ex iisdem parentibus ortos, neque in iis plures iustos, pauciores iniustos esse, sed cunctos virtute, & genere nobiles, hæc verò non obscura laus est eorū, à quibus nutriuntur. **D I D Y M I.** Honestum hoc loco catalogum filiorum affert scriptura mysticis rationibus congruentem. Quis enim ignorat numerum septem esse septem charismatum indicem? sicut triū appellatio ad id, quod est perfectius atque diuinius, referri solet? nimirū ut sciamus Trinitatis fidem septē donorum opificem, ceterarumque virtutum caput esse. **C H R Y S O S T.** Hinc colligimus nuptias virtuti nequam esse impedimento, aliter Iobo quoque fuissent. Sed nimirum eiusmodi vinculum rectum iusti cursum minimè retardauit. Frustra igitur ob eam rem nonnulli defensionem prætexunt. **A T H A N A S I I.** Quod quidem dicit scriptura, facti sunt illi filij, contra furentes Arianos præsidio nobis futurum est, qui tanquam magnum aliquod hæresis suæ subsidium illud Apostoli, quod de vnigenito dicitur, amplectuntur. Qui fidelis est illi, qui fecit eum; Deique filium facturam esse contendunt, quod eorum Firmamentum calamus est cōfractus. Quādo enim substantia ipsa, aut factura, aut creatura fuerit, tunc verbum fecit, & creauit, propriè dicitur, facturæque significatur. Quando verò substantia proles fuerit, ac filius, tum fecit, factum est, & creauit, non propriè sumitur, neque facturam significat. Nam sine defectu quis verbo, fecit, pro genuit, vsus fuerit, ut iam sua ipsorum sententia se condemnaturi sint Ariani, si scripturæ propriam consuetudinem discere voluerint. Parentes enim eos, qui ab ipsis orti sunt, tum factos, tum genitos, tum creatos dixerint, nec ideo naturam pernegarint. Ezechias, ut est apud Esaiam, cum precaretur, dicebat videlicet: Ex hac die filios faciam; Faciam, dixit, pro generabo, & à se ortos filios enuntiauit. Nec dubitet quisquam Ezechiam de naturali prole locutum esse. Adhæc Eua post Cainum editum, ait, Possedi hominem per Deum; vbi profecto possedi, pro peperit, dixit. Nec quisquam propter verbum possedi, tāquam externam quempiā coemptum Cainum, nec ab Eua editum esse existimauerit. Necnon Iacob Patriarcha Iosepho filio dicebat, Nunc igitur duo filij tui, qui tibi facti sunt in Ægypto, priusquam ego venire ad te in Ægyptum, mei sunt, Ephraim & Manasse. Hoc item loco de Iobo dictum est, illi septem filios factos esse. Quemadmodum Moyses etiam in lego dicit, si facti fuerint alicui filij, & si fecerit quis filium. En quemadmodum eos, qui geniti sunt, tanquam factos, & effectos pronuntiarunt, cum intelligerent, quamdiu certum est esse filios, siue quis, facti sunt, siue feci, siue possedi, dixerit, nihil referre. Natura enim & veritas ad se ipsa allicet intelligentiam. Quare ex iis, qui sciscitantur, siue Christus factura seu creatura, annon quæredum prius est, siue filius. Nam hoc persuasum cum erit, facturæ, & creaturæ cogitatio profligabitur. Ergo palam factum est, dictione illa, qui fecit eum, non solum eorum hæresim non adiuuari, sed etiam multo magis confutari. Quandoquidem est ostensum, verbum, fecit, de legitimis & naturalibus filiis in sacris literis dici, ex quo germanus, & naturalis filius Christus declaratur, quāuis de illo diceretur, factus est, fecit; quod certè tamquam de factura, & creatura minimè diceretur, maximè quod sancti Patres promiscuè iis vocibus vsi sunt.

Et erant pecora eius, onium septem millia; Camelorum tria millia; Iuga bouum quingenta; Asinae femine siquentes passua quingenta; & ministerium multum valde, & opera magna.

**Magna erant in terra. O L Y M.** In habendis liberis narrat fœlicitatem & possessionem percenset, ut duplicem ex ea re vtilitatem capiamus, quandoquidem nec diuitiæ ad virtutem illis impedimento fuerunt, qui tanta fœlicitate & filiorum gloria apud homines florens, disciplinam tamen non respuebat, neque à pietate animus abducebat: inde est haurienda vtilitas, quod tantis bonis spoliatus, tam commodos sermones vsurparit. Quamobrem hinc discant diuites non ob satietatem, alterum iniuria lacerare, & pauperes gratias agant, siue opes nunquam adepti sint, siue adepti amiserint. Hinc etiam qui liberis orbi sunt, solatium sibi parent in admirabilem Iusti huius imaginem intuentes. **Ministerium.** quod præstatur à seruis. Aquila \*seruitium multum valde. **Symmachus,** familia dilucidius expresserunt. **Opera vero magna.** Quæ quidem spectant ad animalium, opera sunt pietatis quæ verò ad externam rationem, agri, domus, constitutiones, prata, horti, contubernia, ædificia. **C H R Y S.** Vide hominem agrestibus diuitiis affluentem, neque enim mutui rationes ac scœnora numerauit, neque auratis laquearibus ornatas domos: ita nihil ei deerat ad bene merendi facultatem. Oues & boues, & quæ ex anni temporibus & agricultura percipiuntur, recensuit. Quibus rebus indigentibus opitulabatur. Nam quemadmodum dixi, non in pretiosa materia gloriabatur. Sed in iis rebus quæ indigentibus modicè subuenirent, contentus erat. Hunc nobis regem scriptura proponit, non equorum mentionem facit, non auro conglutinatum curruum, non argenti atque auri thesauros meminit, non lapidum pretiosorum, non ceterarum rerum, quibus hominum diuitiis, inhiantium morbus inflammatur, sed illa enumerat quæ ad vitæ necessitatem sunt accommodata. Nam cum filios haberet, à pecuniis vulnus nullum tamen accepit, rerum abundantiam ratus grauitatis plenissimam tolerantiam, & copiam cupiditatis inopiam & honoris contentionem non ferre perturbationibus. Et quoniam est in obelisco, **Ministerium multum valde.** Sciendum est quæ obelisco notantur, hebraicè non haberi, verum perspicuitatis tantum causa à septuaginta posita esse. Horum verò animalium, genere discrepantium ad spiritualem theoriam velle trāsferre descriptionem, superuacaneum est, atque ad artem interpretandorum somniorū pertinet. **Et erat homo ille nobilis inter orientales.** Eximio & Abrahamæ genere ortus erat verèque erat Abrahamæ filius, ut in cognatione, sic in pietate ac virtute ei succedens. Porro Abrahamus atque huius maiores Orientis provincias coluerunt. **C H R Y S.** **Symmachus** *Maximus omnium Orientalium* reddidit. Cunctis erat, inquit, clarior atque illustrior. Potuisset illius maiores insignes, ac nobiles enumerare: sed nihil horum eum ad animi elationem deduxit. **D I D Y M.** Genere clarus inter Orientales prædicatur quoniam secundum carnem ex Abrahamo ducebat originem. Quantum verò ad analogiā pertinet, lucis deique filij à lucidis actionibus nuncupantur. Hi ad orientem solem pertinent, neque enim iustus ab hominibus, sed à splendore solis iustitiæ splendescētem assequitur nobilitatem. **Conuenientes autem filij eius adiuuicem faciebant conuiuium per singulos dies, vna sumentes & tres sorores suas, ut manducarent & biberent cum ipsis.** **O L Y M.** Omnes, inquit, suo quisque certo die vicissim inter se inuitabant: sic enim Aquila interpretatus est. Atque id erat fraternæ beneuolentiæ & concordie munus, ac paternæ institutionis argumentum. Summæ verò admirationis est, quod de maribus dixit, **Conuenientes inter se,** id est, nullam ob rem de principe loco erat illis contentio, maximum verò quid vnusquisque arbitrabatur ad alterum prope rare. De feminis autem enunciauit quod **vna assumentes:** neque enim harum rerum curas ab iis requirebant, verum sodales eas tantum in conuiuium adhibebant, solumque mares obeundo munere occupati erant, feminæ verò honorificè duntaxat & quietè fratribus aderant. **C H R Y S.** Conspirantem virtutem eam haberent, externum nullum erat inter eos dissidium, vna incedebant, nec longè digrediebantur, neque se in aliorum consuetudinem dabant, suæque sobrietatis testes sorores sumebant, neque enim alienas feminas ad pocula, cœnasque accersebant, sed suas tantum sorores euocabant. Id quod signum erat minimè

minimè obsecrum eorum temperantiæ. Verum horum concordem amicitiam atque conuictum ad repentinas insidias inuenit Diabolus, vt vna ruina cūctos intra fratris natu maximi domum opprimeret.

*Et postquam consummati essent dies conuiuij, mittebat Iob & mundabat eos surgens mane, & offerebat sacrificiū & victimas pro ipsis iuxta numerum eorum, & vitulum vnum pro peccato pro animabus ipsorum. Dicebat enim Iob, Ne forte filij mei in corde suo mala cogitauerint contra Deum. Sic igitur faciebat Iob cunctis diebus.* C H R Y S O S T. Videre purgationem non quidem Mosaycam sed apostolicam; mentem enim illorum non corpora precatione expiabat. Aut nonnulli priscos illos sacerdotes more Melchisedecis per seipso creatos fuisse. Hoc ergo significat, *mittebat*. O L Y M. Attende, quemadmodum vel ipso sacrificio animorum consensionem eos docebat. vnicum enim viculum pro omnibus tanquam pro anima vna offerebat. Nam *mittebat* patris curam non quamlibet, sed insomnem declarat. *Mundabat* autē aquis purgantibus adhibitis, quibus natura homines, & ex lege Iudæi vtuntur. Illud autem, *cum consummati essent dies conuiuij*, hoc ostendit, aut quod id quotidie faceret ad exacti diei expiationem mutata hostia, aut post septem dierum anfractum per hebdomadam pro illorum salute semel sacrificium faceret. *Vitulum* pro peccatis cogitationis & mentis. Verebatur enim intelligentiæ perturbationem, quæ cœnis atque conuiuiis comitari solet. Cum verò ad gratiam euangelij legitimis iustis interim præteritis animum attenderet, facinora illa sacrificiis procurare studebat, quæ vni Deo erant explorata. Animaduertis ne exquisitum cultum euangelicum? Cum enim sit in Euangelicis iustis, neque mentis referriandum esse, neque temerè irascendum, sanctus Iobus ad illa expianda, quæ mente à filiis peccabantur, hostias Deo præbebat. P O L Y C H R. Cum intelligeret ea quæ aspectui subiecta erant, labe carere, suspicabatur ne qua forte prolapsio interior in illis ipsis lateret inclusa, atque eam ob rem pro occultis peccatis sacrificabat, propheticam illam sententiam sequutus. Ab occultis meis munda me; id est ab iis, quæ ob ignorantiam in vita contingant. D I O N Y M I. Quemadmodum ille dixit, de nocte ad te, de mane vigilat spiritus meus, ô Deus. Et Deus, Deus meus, ad te de mane vigilo, ita Iob nullam aliam ob rem nisi propter Deum de mane surgebat, vt illi sacrificium pro liberis faceret. *Iuxta numerum eorum* hoc est pro vnoquoque & singulis ordine. Nihil enim perturbare homo sanctus agebat. Ad hæc vitulum pro omnibus immolabat, tum more institutoque suorum vt ad eam rationem filios quoque suos assuefaceret. Ergo ad hunc modum purgabat eos post conuiuium, tam ea quæ sensus tangit vsurpata purgatione, quam illa quæ ad mentis procurationem affert vtilitatem. Prophetice porro tum ex lege tum ex gratia sacrificare videbatur. Ex lege quidem, cum diuersa; ex gratia verò, cum vitulum vnum pro peccato offerret. Tale enim sacrificium gratiæ veritatem præmonstrabat, vnigeniti Dei filij sacrificium in carne adumbrans. Vitulum autem pro cunctis filiis oblatum Christi, qui pro omnibus crucem perulit, typum fuisse haud mirabere, si illud consideraris, Iobum mysterijs aduentus Christi iniriaturum fuisse, vt qui dixerit, ab illo cete magnam in potestatem redigendum esse. P O L Y C H R. His verbis, ne fortè cogitatione conceperint quæ Deo displiceant, magna liberorum puritas ostenditur. Neque enim quod peccatum vllum notum sensibus cerneret in filiis, pro iis quæ cogitatione peccantur faciebat sacrificium; sed quia secum ipse ratiocinabatur humanam infirmitatem in iuuenili præsertim ætate labi sæpenumero. Proinde obseruandum est, non propter peccata, eiusmodi interitui illos obnoxios fuisse. O L Y M. Quapropter admiratione digni sunt filij. Sed admiratione dignior horum pater & magister; illorum enim nulli apertum peccatum apparebat. Quare nec anxia pater cura agebatur. Huius vno tanta in Deum liberisque suos caritas, vt illum placatum efficeret, ac mitigaret; hos verò purgaret; peccatorum etiam quæ mente concipiuntur, curam suscipere. Papæ. Quanta erga Deum pietas & quam incitatum studium. Sic, inquit, *faciebat Iob cunctis diebus*. Vnde mentis constantia ac firmitudo intelligitur. Neque enim interdum quidem

actiones

actiones virtutis suscipiebat, aliquando verò prætermittebat, sed iusti vita è Deo semper apta erat. Summa verò hæc est laus, omniumque prædicationum exitu terminata, pietatis munera nullo vnquam tempore non obuisse. Virtutum enim bonarumque rerum cessatio reditus est ad improbitatem. Atque hoc loco discimus vitanda esse conuiuia, vt quæ peccati causam adferant: siquidem vbi expleta fuerint, indigent expiationis: tametsi ob fraternam beneuolentiam, amoremque mutuum ea filij Iob celebrarent. Illud rectè omnino, *Ne forte mala cogitauerint*, non quod eiusmodi essent filij Iob, sed quod erant homines. Quare & illud magnum de occultis etiam sollicitum esse, ac metuere, quod profecto, Iustus hic faciebat, eaque re pro ipsis sacrificium faciebat, peccatisque illos liberabat, atque hac ratione in eorum prouidentia versabatur. Non, quemadmodum multorum sermo est, Iob loquebatur; Bona ac facultates eis relinquam, claritatem ac gloriam tradam, emā principatum & agros: sed quæ erat vox? Ne quid cogitauerint in corde suo. quænam vilitas? etiam illa omnia hic maneat? scilicet id, inquit, perficiam, vt eis propitius sit rex omnium. Sic enim fieri, vt nihil iis deesse possit. B A S I L. Merito hic Iustus de peccato, quod est in latebris ac recessu, verebatur. Nam quæ hominis est conditio, ad mentis errata sumus procliuiores. Quæ enim corpore adminitranantur, tempore atque opportunitate opus habent, mentis verò cogitationisque motiones momento efficiuntur, sine labore absoluuntur, improuiso ac absque negotio conformantur, nullum est eis tempus importunum. Vbi ergo vnus & aliquis eorum qui pudicitiam, sanctimoniamque nomine gloriantur, temperantiæque velo obteguntur, in medijs honestorum hominum beatum prædicationum cœtibus conuenerit, sed ad peccati domicilium mente peruolat, atque obscuro cogitationis motu quæ illi cordi sunt, peruideat, & congressum aliquem minimè decorum animo isoformit, ac deam in abdita cogitationis officina certam sibi voluntatis illicebam fabricarit, nimirum hic peccato fide testimonij carente, sese intus obligauit. Quoniam igitur corporis actiones multifariam interciduntur; qui verò ex animi proposito peccat, ipsa cogitationum celeritate peccatum perficit. Vbi autem subitus est casus, & obscurus, illic metum & cautionem maiorem esse oportet, nempe id cum Iobus intelligeret ad hoc peccati genus expiandum sacrificiis utebatur. Atque

Auct.

*Protheoria secundi capituli ad rationem partiendi, quam sequutus est auctor catene.*

O L Y M P I O D. Communis mortalium pestis diabolus cum præstantem Iusti virtutem ferre haudquaquam posset, nec vllum in eum imperium obtineret, quod ipsum nec in porcos nisi saluatoris consensu habere potuit, Iustum hunc apud Deum criminatur, quod non virtutis ergo, sed vt accepta diuinitus beneficia ratione quadam remunerari videretur, quæ decebant, administraret. Ideo dicit, Spolia ipsum sceleritate & moris improbitatem cognosces. Simul enim vt ei externarum rerum copiam ademeris, in os aduersus te iaciet maledictum. Sed tamen Deus, cum Iusti inuictum animum perspexisset, vellerque eum ob hæc contentiones illustriore præconio efferre, potestatem aduersus Iobi opes diabolo permittit, ad quas ille perdendas ita baccharus est, vt funditus cunctas euerterit, nunciisque solis calamitatum pepercerit, qui cum semper nouis, acerbissimisque nunciis percellerent. Cumque pretiosissima patrum suppellex sint liberi, optima filiorum decede intercepta, Diabolus simul eos conuiuantes repentina domus conuassatione omnes contriuit, ita è domo sepulchrum effecit, ac domum, quæ multorum filiorum comitatu erat instructa, puncto temporis videri. Tunc adamas ille Iobus, quod suum erat, naturæ reddens, vestem discidit, nec propterea quicquam aut animi sui splendore alienum, aut mentis celsitudine indignum loquitur, immò verò in grauissima illa & maxima

B 2

ma plaga

ma plaga has voces misit, Dominus dedit, dominus abstulit: sicut dominus plauit, ita factum est: sit nomen domini benedictum. Quæ quidem voces cum mortiferum vulnus diabolo infixissent, vehementerque Iusti laudibus illi à deo delatis exulceraretur, is tamen nihil reueritus est: (Siquidem bellua impudens est) contra Iusti corpus certamen instituit, rogatque Deum ut sibi in Iobi corpus potestatem faciat: sed Deus, quæ eius est benignitas, cum suos familiares non magis in hominum, quam in angelorum conspectum palam dare velit, rursus id quod Diabolus contendit elargitur. Postquam verò insanabilem plagam Iustus accepit, nec ideo animo deiectus aut immutatus est, ad veteratorum suum arrificium refert se draco, per fugiumque nactus uxoris iustum his verbis hortatur, Dic verbum contra deum, & morere. Verùm in facie iterum vulnus accepit, cum audiuit. Si bona suscepimus de manu domini, mala non sustineamus? Hac ratione cum ab athleta diabolus sæpius variisque oppugnationibus in fugam coniectus ac profligatus esset, tres quidem Iobi amici per insipientes, loca omnia calamitatis fama peragrante, cum quæ illi acciderant, auditione accepissent, ad eum visendi causa accedunt. Verùm propter malorum vim incredibilem nullo ad consolandum inuento remedio, propè eum taciti affidebant, ipsa confessione communem sensum doloris significantes. Atque hæc est secundi capituli sententia. Deinceps verba ponenda sunt, subtiliterque exponenda.

*Et factum est quasi dies hæc, & ecce venerunt angeli Dei, ut assisterent coram domino, & diabolus venit cum eis.* Deus qui nulli creaturæ naturæ est ad spectabilem, qui quantitas ac molis expers, qui ubique præsens, qui rerum vniuersitati præest, cuncta complectitur, nec locus est vllus extra illius ditionem atque imperium. Hic, inquam, Deus rebus singulis, qua decet ratione præsens adest, angelis quidem ut pote sanctis, arcanis vocibus præcipiendo, diabolo verò, ut qui improbus est, hominis tentandi facultatem tribuendo. Nec enim quicquam sine Dei permisso atque concessu moliri potest diabolus, neque cælestes illas regiones, vnde est deturbatus, subit. Absit. Quomodo enim, inquit, cecidit de cælo lucifer, qui manè oriebatur? Cum angelis assistere tamen dicitur, quoniam is quoque in diuinæ ditionis atque imperij locis consistit expectatque dum sibi mortalibus inferendarum tentationum potestas detur, non ut obsequium vllum præstet Deo; sed ideò quòd ob ingentem improbitatem atque peruersitatem ad tantam insaniam, & aduersus nos furendi libidinem deductus est. Deus autem, qui rationibus nostris sapienter moderatur, illa tantum ei permittit ut nobis intenter, quibus ferendis pares esse possumus; atque hæc ipsa ut facilius ipsi perciperemus, typo quodam & quasi figura expressit. Illud verò, *Et factum est quasi dies hæc*, pro illo est, dies aduentavit, quo theatrum patefactum est, atque in arenam athleta descendit, & quoniam nos angeli tuentur & curant, contra salutem nostram diabolus aduersatur, atque vna eademque re, id est, de homine inter se pugnant atque decertant. Hac de causa simul assistere dicuntur, Deo interim cuncta quæ geruntur, contuente. Nos porrò vincimus aut vincimur, non propter vel aduersariorum vires, vel angelorum suppetias nobis ferentium infirmitatem, sed propter nostram electionem voluntatisque libertatem. Cum enim vtrique ad se nos alliciant, sanctis angelis bona, execrandis verò dæmonibus mala suadentibus, in potestate est nostræ voluntatis, quæ libero arbitrio ornata est, in vtram maluerit partem se dare. Nam neq; ab eo qui nos liberi arbitrij honore affecit, cogimur, neque diabolus nobis ipsis vim vllam afferendi adeptus est potestatem. Verùm nostra electione ab angelis & dæmonibus inclinati, tum rectè agimus, tum male. **DIONYSII & BASILII.** In iis verò angelis qui suum ac domesticum, & semperque mobilem ordinem acriter, constanterque complexi sunt, ignorant ea quæ suam aliqua ex parte imminuere possunt dignitatem. Verùm naturalis ac deiformis proprietatis firmitudinem maxime sinceram & lapsu mutationeque carentem seruant atque in bono manentes tuentur dignitatem, in electione quidem liberum arbitrium habentes, à veri autem boni assiduitate nunquam recedentes,

*ἀγγέλων ἐστὶν ἡ Κατὰ τὸν Καρδιν. Κατὰ τὸν ἄλλο.*

recedentes, vel fortasse quòd eodem spectat, & à veritate pronüciatum est, quia horum paruulorum angeli, quantum ad nequitiam pertinet, in vitæ ratione infantes pueros imitantium, semper in diuinam pulchritudinem acrius intuentur. Quòd si semper, nunquam videlicet cadunt. Verùm qui scelere irretiti sunt, iam è diuinarum mentium harmonia ceciderunt, in eorum qui defecerunt cœtum obsecram ruinam coniecti, seu potius ad defectionis principem aggregati. Qui sanè princeps nos statim est procreatus diabolus; sed, cum angeli potestatem accepisset, in dæmonis migravit naturam, effectusque est improbus, eaque improbitate ut caractere ac nota insignitus, atque à Dei familiaritate, amicitiaque distractus & ad defectionem conuersus, vbi hominem paruum animal vidit omni esse condita natura præstantiorem, inuidit; & nimirum, quandiu homo solus fuit, oblatam sibi occasionem non vidit. Postea verò quàm mulier molle animal atque humanum (ut ab eo quòd hominum amans est, facile alerentur infantes) fabricata est, eiq; quòd tenerum est, libenterque cedit, oculum adiiciens, diabolus quæ facilitas erat ad virtutem, in vitij facilitatem conuertit, & qui antea cum Deo bellum gerebat, cum hominibus inimicitias postea exercuit, sed vel ipsum bellum quòd nobis infert, certo argumento est, sceleratum hunc Deo prius inimicum fuisse, atque cum eo conflixisse, sed cum inuadere Deum non posset, vius in nos suæ improbitatis euouit, neque à Deo sed à sua electione nequitiam habet diabolus, qui in sua potestate vitam haberet, essetque illi integrum tum Deo hæere, tum à bono discedere. Gabriel angelus Deo semper assistit, satanas verò angelus è sua classe prorsus excidit: & illum in superis regionibus electio retinuit: hunc autem sententiæ liberæ potestas præcipitem egit. Poterat ille quoque deficere, atque hic poterat non cadere; sed tamen illum Dei amor insatiabilis seruauit, hunc verò abiectum & inuisum à Deo discessio declarauit. Satanas autem vocatur, quòd aduersarium significat. Diabolus verò propterea quòd is nostri peccati administrator est, idemque accusator, & nostro quidem interitu lætatur, ac de nobis ob nostra facinora triumphum agit; vel etiam diabolus nominatur, quia apud hominem, Deum, quasi nostro bono inuideat, calumniatur; apud Deum verò hominem tanquam virtutis mercenarium criminatur. Primæ mulier dixit, Quia deus vobis inuidit, ideo cibo interdixit: Deo autem quòd non à Iobo gratis sed ob accepta beneficia coleretur. **GREG. NAZIANZ.** Oimpudentiam eius qui talia audeat! Iam inde à principio in paradysum ille contra signum irreperat, nuncque inter angelos medius consistit, ut Iobum ad supplicium deponat. **POLY.** Venerunt, inquit, angeli ut assisterent domino, & diabolus venit cum eis. Ipsum assistere & coram Deo stare angelos, & in medium prodire diabolum, noli ad corporum consuetudinem transferre: sed quoniam illi in tuendis, curandisque hominibus legitimis muneribus perfunguntur, quæ in Iobi quoque ratione, ac prouidentia explebant; Diabolus verò angelis aduersus homines lædere, atque in fraudes inducere nititur, ideo isthæc diuina exponit scriptura, quarum rerum notitiam apud Zachariam quis inuenerit illustriorem. Offendit mihi, inquit, Iesum sacerdotem magnum stantem ante faciem angeli domini, nempe munere ab eo sibi iniuncto dignum effectum: & diabolus stabat à dextris eius. Causam deinde affert, cur ei obstitet: quæ quidem planè ostendunt, angelorum id proprium esse ut eam opem & motionem optent hominibus, quam illi ipsi solent afferre: Diaboli verò, ut contra pugnet. Aliter verò angeli, atque diabolus sese ad Deum recipiunt. A materia enim illæ secretæ naturæ, vitijque ignaræ propter dignitatem familiaremque usum, Deo sunt propinquiores. Id quòd Elias testatur. Viuit dominus, cui adstiti in conspectu eius. Satanas verò, qui Deum maledictis atque odio insectatur, assistere Deo dicitur, quia Deus locis omnibus adest, vitium coarguens, virtutè præmio afficiens. Quocirca angeli ita in conspectum Dei veniunt, ut ad eius obsequia erecto semper sint animo, alacrique studio silētij occasione ex admiratione arrepta, & purgatos quidem oculos non audent nisi stantes in diuina illa pulchritudine deligere. Verùm diabolus furit audacia, & contumelia tumidus sit ob-



uiam, statque coram Deo non ut angelica conforione dignus, sed ad flagitiose tantum contradicendum paratus, deoque dicitur se dare in conspectum, non idcirco quod viæ propinquitatem æquo animo ferat, sed quoniam eum, qui loco circumferri nequit, latere non potest. Omnia enim sunt nuda oculis eius, nec vlla est creatura occulta coram illo. Spirituales etiam eorum qui nullum cum corpore commercium habent, nouit cogitationes. Verum scriptor ad dialogum consuetudinem orationem traducit, ac sensibus obsequens notitias effingit, ut ex iis quæ familiaria nobis sunt atque cognata, præstantiorem rerum scientiam aucupemur. Atque ea ratione intelligentiæ vi quasi dentibus quibusdam, id quod in verbis crassius est, diuidamus, & rationalem panem quo vno alitur animus, palam sumamus.

*Et dixit dominus diabolo, vnde venis?* OLYMP. Angelos cum diabolo disceptando sermoneinari, tum ex iis quæ apud Zachariam leguntur, perspicuum fieri potest: Sic enim angelus diabolo, Imperet tibi qui elegit Hierusalem: tum ex epistolis catholicis, ubi est his verbis, Cum Michaël contendere de Moyse corpore cum diabolo, non est ausus iudicium inferre blasphemiam: sed dixit, imperet tibi dominus. Itaque existimare possumus angelum quempiam diuina mandata exhaurientem cum diabolo colloquutum esse. Et quemadmodum principis cuiuspiam satellites, cum responsa deferret ad aliquem, principis illa responsa esse non dubitamus, ita angelorum voces, quæ Dei voluntate expromuntur, nimirum eiusdem esse creduntur. Ergo per sanctos angelos deus loquitur diabolo: neque enim suo sermone dignatur Deus diabolum, sed vel propter eum qui tentatur, ea colloquutio contingit; vel etiam quia Deus cum iusti hominis recte factis, officiiisque delectetur, contra verò diabolus contabescens inuidia hominis frangi tentandi potestatem nititur extorquere, idcirco scriptura figurata vitur dictione. Illud autem *vnde venis?* exprobrandi causa dicitur diabolo: propterea quod ordinem ministrantium spirituum deseruit, sicut Adam, eum dictum est, vbi es? pro illo est, de quibus in quas res decidisti? fortasse etiam eadem verba valent ad stultam ac temerariam agitationem diaboli coarguendam, ac si diceret; Angeli, qui mihi obsequuntur, qui diuina mea iussa capiunt, eadem cum perficiunt, vere mihi assistunt, hoc illis est assistere, voluntati meæ satisfacere omnino. Neque enim eorum assistendi ratio natura aliqua loci definitur. Tu verò vnde? Neque enim meus es administrator. ATHANA. Hinc planum fit, cunctis rebus, quæ esse cæ sunt, sua esse certa loca distributa. Nam luminaria domicilia habent in firmamento, nubes in aere, hominibus constituit terminos populorum, angeli ad muneris functiones mittuntur, & per scalam ascendunt, atque descendunt. Hoc item loco dicitur. Et venerunt, ut starent coram domino, & rogatur diabolus, vnde venis? Quare in loco sunt, & huc mittuntur, illi ad sunt. Solus Deus nequit circumferri: ita non quasi in loco eum, qui sua præsentia complet omnia, querunt; ut tanquam regione quapiam conclusum inueniant eum, qui definit non potest. Verum assistere, nihil aliud est, nisi diuine voluntatis typis informati, omni que conatu ad eum contendere: in Dei enim conspectu omnis est creatura, ipsa etiam quæ defecit, estque improbilissima. Id enim ei natura conuenit, quæ circumscriptionem prorsus respuit; nihilominus angeli ob insatiabilem diuinæ caritatis amorem Deo coram adsunt. CHRYS. Cur tandem in anglico cultu atque obsequio vnâ adest diabolus? & in medio sanctorum choro spirituum impurus licenter versatur? Nempe igitur, neque angeli neque Saranas ratione corporea Deo assistunt, verum quæuis muneris functio, assistendi ratio nuncupatur. Diabolus etiam cum Dei creatura sit, quæ opus sunt, facere iubetur. Ac licet voluntate, diuini imperij seruos mordeat, iugum nihilominus sustinet seruitutis, & tanquam tortor & carnifex imperata facere iubetur. Et quemadmodum apud nos, principes quando cum honore quempiam accersunt, honestos homines mittere consueuerunt; quando verò cum ignominia abstrahunt, crudeles quosdam satellites immittunt: ita Deus ad sanctos quidem, angelos mittit, ministros ad salutem; quando verò pœna coercere vult, facinorosos

norosis præcipit potestatis. Ita Paulus eum, qui Corinthi sceleratè egerat, Satanam tradidit in interitum carnis, itemque alios ne blasphement.

*Et respondens diabolus domino dixit; Cum circumierim terram, & ambulauerim eam, quæ sub celo est, adsum.* CHRYSOSTOMI. Interrogandi & respondendi vicibus versus patris, illustrius quæ vera sunt, scriptura descripsit, omniemque purgandi facultatem impudentibus præcidit. Porro quæ narrat diabolus Deo dixisse, non ea quidem dixit, sed tamen cogitauit, nec enim tantum in eo audaciæ est atque licentiæ. In eo verò quod ait, omnia se loca peragrassè, primum seipsum accusat, quod nullum fixum habeat domicilium, nec vsquam consistat, sed cunctas regiones perlustrat, aduersus cunctos mortales pugna suscepta: Deinde illud dicitur, orbem terrarum cum angelis, tum demonibus referri esse, & angelos quidem venire ad Deum, ut ab eo mandata accipiant, diabolum verò non permittere & concedente Deo, nihil pro sua libidine efficere posse. Quamuis enim defecerit, atque extra Dei sit obsequium, est ei nihilominus metus, tanquam fratrum iniectus, neque eum finit Deus sua abuti potestate, sed neque vno eodemque tempore, sed conficiens periodum, locis omnibus adest. Eam, verò, quæ sub celo est, dixit ut solitudinem indicaret, ac quicquid demum, quod est celo subiectum, æriamque regionem. Lustrat autem regiones item inhabitabiles diuino quodam fortasse consilio, ut ne sit nostro generi semper infestus. DIXIM. Animaduertendum est, non eadem loca esse, terram & eam, quæ sub celo, cum terra sub celo sit, loca verò quæ sub celo sunt, non continuo terra sint. Igitur terram percurrit, ut intelligas de quonam homine petiturus sit. Eam verò, quæ sub celo est, ambulat, nequitia spiritibus, qui sibi ad res turpissimas præsto sunt, gratulans: neque verò mirandum est, cum sit tenuis spiritus, loca, quæ commemorata sunt, peruasisse, quandoquidem nec mendacij cum Deus insimulauit. Tanto verò terrarum anfractu ac circuitione feritatem, immanitatemque suam sceleratus testatur: siquidem insani, & præ furore circumcurfantis sunt illa eius verba. Alibi quoque dictum est, quia aduersarius vester diabolus, tanquam Leo rugiens circuit, querens quem deuoret. Nullam enim partem capiens quietis, præliatur & circumit, amicis quidem subducendis, inimicis verò ad exitium poscendis; neque enim nobis dominatur. Ac verba eius talem hoc loco sententiam habent; Cum terrena & æria subegerim, solus mihi lobus aduersatur. Ergo illius deposcendi causa venio.

*Et dixit ei dominus, inuendisti cogitationem tuam contra seruum meum Iob?* CHRYS. Hinc perspicuum voluisse Deum ut Iobus tentaretur, ut is etiam qui egregium habet atletam, de eius virtute periculum fieri cupit, eaque re percuntatur diabolus, ut luctus ipsi causam afferat. Occasionem enim lobus ei præbere nequaquam volebat, ne ambitiosus videretur. Ac vide quemadmodum mos paulatim sese disputationis ostendit. Verborum enim renunciatione intermissa, in illo, *inuenidisti cogitationem tuam*, tanquam vocem quædam proponit historiæ cogitationem, Deus igitur id largitur diabolo, ut absque voce etiam cognoscatur; quando improbi hostis sceleratum consilium & actionem non ignorat, neque cum eadem loqueretur ac diceret, *Vnde venis?* ad improbi explorandum studium id dixisse credendum est. *Quem enim?* cum præsens eius notitia cuncta complectatur; verum interrogandi tropo, mores iis quæ dicuntur, affingere solet. Ita in euangelij, ubi de Cleopha mentio fit, interrogationes adhibet dominus. Qui nam sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem? Quis autem dicere ausit eum, qui finxit sigillatim corda nostra, in interrogatione egere? Eodem pertinet illud alterum, *Quot panes habeis?* atque alibi cum suam resurrectionem comprobare vellent, dixit, *Habeis hic aliquid, quod mâducari possit?* Ac de Lazaro sciscitabatur, *Vbi posuistis eam?* cum & auditum præcucurrisset, illiusque obitum prædixisset. Hanc eandem retinens consuetudinem hoc loco cum dicit diabolo, *vnde venis?* &, *considit vester seruum meum?* non inscitia verba præterit, neque mens efferati aduersarij, cuiusmodi sit, de ceteri optat. Verum illum ipsum suæ crudelitatis accusatorem palam constituit. Sic enim natura comparatum est, ut à seipsa improbi-

tas vulneretur. Emphaticam autem habet illud, *Cogitatione tua*. OLYMP. Nimirum peruersa prauisque artibus imbuta, quæ ad rectas hominum mentes peruertendas semper abuteris. Illud verò, *intendisti*, non magis cum interrogatione quam cum affirmatione intelligi potest, ac si diceret, Scio videlicet, te animum aduertisse. Nam ob virtutes quæ ei insunt, ei inuides. Crebris verò laudibus Iustum effert, iactatque Deus, ut ad incundum cum athleta certamen lacerat aduersarium.

*Quia non est secundum ipsum, aliquis eorum qui sunt super terram.* Id est, nemo eadem ætate, iisdem temporibus. Quemadmodum in Genesi de Noë dictum est, quia iustus erat in generatione sua.

*Homo irreprehensibilis, iustus, verus, pius, abstinens ab omni re mala.* CHRYSOST. A cunctis hominibus, omnique terrarum orbe contemni ac despici, quid tandem obfuerit, si is qui angelorum dominus est, nostrarum rerum laudator ac præco fuerit? Contrà quid iuuerit, à terrarum & maris cunctis incolis prædicari, de nostris laudibus Deo silente? Id igitur ipsi semper spectemus, ut de nobis prædicet Deus, id quod si nacti erimus, quamuis in nos vniuersa, quæ sensu hauriuntur, mala sese effundant, cunctis tamè erimus superiores. Quandoquidem Iobus, qui residebat in stercore domitilio, qui vlcera sanie circumseptus erat, è cuius corpore sexcenti vermium fontes erumpent, qui intolerabilia perferbat, qui spatio à seruis foedabatur, qui ab amicis, ab vxore insidiis petebatur, qui egestate, fame, morboq; insanabili conflictabatur, felicitate cunctos superabat. Quidni Deo illum efferente, vocesque illas vsurpante? *Homo iustus irreprehensibilis, verus, pius.* Qui tandem non fuerit cunctorum mortalium excellentissimus, Deo ipsi testimonium dante? Quòd enim irreprehensibilis, verusque homo erat, mirum haud vulgarem virtutem præferbat. Huc accedit, quòd ea, quæ cum hominibus transiguntur, iustè; quæ verò ad pietatem erga Deum referuntur, studiosè persequerentur. Quæ quidem diabolus conspicatus, non mediocriter admiratus est. Verùm cur laudationis est hoc loco ordo commutatus? An quia cum primum Iobi laus institueretur, pro rerum ipsarum natura atque harmonia instituta est. Primum enim, omnis homo verus est, idque ex officij ratione; deinde sine reprehensione est & sine querela ex vitæ consuetudine, atque instituto. Sed hoc loco propter conflictum cum diabolo, irreprehensibilem vero præponit. Virtus enim cum vitio pugnare solita est, morumque æquitas acutissimum est aduersus inuidum iaculum. Ad irreprehensibilem autem atexit verum, ut naturæ & moris conspirationem ostendat, atque electione naturæ cohonestet nobilitatem.

*Respondit autem Diabolus & dixit coram domino.* OLYMP. Hæc diaboli impudentiam peruellunt. Illud enim, *eram Deo dixit*, mentis illius impudentiam, iis quæ probantur Deo, vsque aduersantis prorsus ostendit. Deus enim iusto virtutis testimonium dabat: hic contrà criminatur, quòd non ob virtutem sed opulentiam pietatis religione defungeretur.

*An gratis, inquit, Iob colit dominum?* Verba profectò diaboli, non virtutem, inquit, tibi reddit, cum te pietate colit, verum acceptorum beneficiorum mercedem persoluit. Mercenarius est non verus: siquidem is gratuitò erga Deum pius est, qui nec ob supplicia, nec ob promissa illi seruit. Animaduerte etiam improbitatem: cum ea quæ dicta erant, incessere non posset, animi sententiam insectatur, & ad ea quæ latent, se idcirco refert, quia, quæ aperta & explorata sunt, illi elabuntur. DIDYM. Proprium eorum est qui virtuti suat inimiciores, cæterorum bona minimè vera esse existimare, sed potius per calumniam dicere, hic quidem ob ereptam sibi nocendi potestatem, iustus est; ille verò frugi ac temperans propter soliditatem; ille alter pecuniis, opibusque caret, quia ijs parandis haud est idoneus. Denique nemo improbus cuiusquam virtutem, ut legitimam solidamque admittit. BASIL. Magna vis est horum hominum peruersa vocabulorum commutatione ad contemnendam virtutem abuentium; & quia vitium est virtuti finitimum, ad virtutem ipsam iniusta accusatione vexandam. Ita

audaci,

audaci, nomen fortis imponunt; ei qui stupore quodam sensus oppressus est, temperantis; iusto crudelis; astuto prudentis; magnificum etiam quasi sordidis vilibusque operibus occupatum insectantur; atque eum qui liberalis est, ut prodigum; & qui rem curat familiarem, ut parum exagitant. Formas denique virtutis omnes è contrario vitio fabricato nomine appellare solent. Huius improbitatis architectus diabolus, talia quædam de Iobo commentatur, cum addidit:

*Nonne tu sepsisti quæ externa sunt eius? & quæ intra domum sunt eius, & omnia quæ sunt illi in circuitu?* Quæ occasione & hypothesi diabolus vsus sit ad Iobo infidandum exponit, aiebat enim; Si qua sepius est, ope spoliatus fuerit, facillè deiectum iri. Deus autem ad hominis gloriam illustrandam, atque ad diaboli ignominiam certamen concessit. Scopum hunc historiarum scriptor collineas personarum inductione totius rei argumentum pertractat: nec enim ad persuasionem par momentum habet, siquid simplicius enuncietur, & ad illud ipsum formata & scripta diligentius adhibeatur oratio. Quare genus dicendi simplex ad historiam accommodandum est. POLYCHR. Admiratus scelestus diabolus Iusti ad summum perductam virtutem, segetem autem tantæ aduersus Deum pietatis, bonorum affluentiam esse suspicabatur, atque eius copiam Deum esse auctorem probè nouerat; eaq; re Iobum erga Deum gratum esse arbitrabatur, ei pro mercede reddita pietate; Eriam nunc, inquit, mutuum officiorum gratiam experitur. OLYMP. Quæcunque ille habet, omnia ab iniuria defendis; pace fruitor infinita; bella nec domestica nec externa sunt illi insecta; mercedem ac præmium tulit præsentem fortunarum felicitatem; cultus ei nequaquam deest diuitiarum. Hinc demum suam simulatam ostentat religionem; mo mnem acerbi sensus causam ab eo Deus semouit; eum quasi quodam vallo ac muro firmissimo communiuit periculisque liberauit. Vide, quemadmodum diabolus ad Iobum perendum adortus sit. *Nonne tu, inquit, sepsisti quæ externa sunt eius?* quibus verbis, agrorum & armentorum diuitias significare volebat. Sed tamen ò sceleste, vnde nosti Iobum sepius esse atque munitum? nisi quia sepius te id faciendi libido incessit? quòd postea potestatem nactus facere non dubitasti? nimirum tunc res illius omnes vallatas esse intelligebas, cum prohibebaris, ideoque dicit: *Et omnia, quæ sunt illi in circuitu sepsisti.* Hactenus enim Deus nostra obuallat, & diabolo haudquaquam potestatem facit.

*Opera manuum eius benedixisti.* POLYCH. Quæcumq; ad agricolationem pertinent, magnopere suppeditant ei: copiosos fructus terra progignente, innumeras fruges præsignificante, racemos vberes in palmitibus ostendente, exuberantis oleæ fructum præbente, atque omnem quæ ex omni fructuum, pomorumque genere percipitur, voluptatem pollicente. Nempe à te isthæc domine proficiscuntur, soli fertilitas & commoditas, cæli temperatio, sementis exaggerata copia, hominum opera, cæteraque omnia, quibus agricultura rectè gubernatur.

*Et pecora eius multa fecisti super terram.* CHRYSOSTOMI. Viden Iobo diuitias Deum elargitum esse? Viden non contra ius illas fuisse adeptum? Tu, inquit, conuallasti, tu benedixisti, tu bona eius amplificasti. Quotopere Iobo laborandum erat, non malis artibus partas sibi esse diuitias, si quidem id hominibus voluisset persuadere? En diabolus, quamuis non nosset, id illi testificando voluit elargiri.

*Sed mitte manum tuam & tange omnia quæ habet, si non in faciem tibi benedixerit.* DIDYM. Sciendum est, manum Dei esse multiplicem. Quædam enim est vindex, & vlcionis administrala potestas, quæ vasa iræ dicitur, de qua scriptum est, Manus tua gentes disperdidit. Alia verò potestas eius est quæ munit & protegit, ad quam illud pertinet, Protexisti me & posuisti super me manum tuam. Igitur hoc loco, *Mitte manum tuam* pro illo est, Male illum accipe & afflige. *Tange* autem pro, manus iniice, positum est, illum, inquam, attere. Huic simile illud est, Nolite tangere Christos meos. Neque enim utcumque eos vetat attingi, sed

C

id



id tantum prohibet, ne quis mala inferre hominibus sanctis audeat. Ac vide, quam veneratorie quamque simulatè non dicat, Mihi permitte, sed tu facito. Imbecillitatis enim suæ probè sibi conscius est, sed tamen insani, estque arrogans & contumax quod ipsum extrema est dementia. Tu verò mihi aliam attende improbitatem ac diabolo dignam cæcitatem. Nam cum, qui solus bonus est, ad malè agendum provocare conatur. CHRYSOST. facit nimia eius crudelitas ut cuiusdam partis fortunarum amissione minimè contentus sit, neque quorundam liberorum orbitate eius odium saturretur: immo verò cum subito bonis omnibus penitus euertere cupit. Quare non ex parte sed omnino virum iustum postulat ad ruinam, cum ait, *Tange omnia quæ habet. Fac ut illi spes omnis erepta sit, acerbis & dolorum sit simulachrum singulare, namque tunc illius grati animi significatio fuerit admirationi, cum temporum rerumque inclinationibus haudquaquam coargui potuerit. Si non in faciem tibi benedixerit. Id est, si non te maledictis inceserit, & incitatus aduersus te linguæ mucronem ingentis calamitatis impatiens exaruerit.* CHRYSOSTOMI. Hoc enim est, in faciem tuam palam, impudenter, nihil reuerens. OLYMP. Ac ne scriptura diceret, Blasphemabit, honesto vsa vocabulo dixit, Benedicet. Sic in regnorum libris de Naburho scriptum est, Benedixit Deum & regem. DIDYMI. Hoc item loco pro diris, precationibus & maledictis prosequetur, benedictæ à diabolo possum est, in quo verbum adhibuit speciosius, ne Deum verbo asperiore figere videretur, neue diceret quòd ex aduerso steterit coram Deo.

*Tunc dixit dominus diabolo, Ecce omnia quæcumque sunt ei, do in manu tua, sed eum ne tetigeris.* OLYMP. & POLYCH. Cùm futuri ignarus sit diabolus, neque in hominum corda insinuare sese penitus possit, frustra sibi Iusti cladem pollicetur: eiusmodi enim ipse erat oratio, Si mihi res illius attingendi, & hac, qua fruitur abundantia, & gloria, spoliandi erit facta potestas: nempe ego verborum maledictis hominem aduersus Deum concitaro. Verùm Deus, qui multò ante prospicit, cùm de Iusti victoria minimè dubitaret, ut pro sua libidine in virum frugi impetum faciat, diabolo permittit, illud vnum excipit, ne malo corpus afficiat. CHRYS. Ita mei, inquit, athletæ virtuti confido, ut, quamuis ipse dixeris: Mitte manum tuam, contra ego dicam; *In manu tua do omnia, quæcumque sunt illi.* In manu, inquit, tua pusilla, infatiabili. Quid ais? quid post testimonium à te dictum noua opus est probatione? Verùm ut diaboli os, inquit, obstruatur, ut Iustus fiat insignior, ut posteris patientiæ & ærumnæ medicamenta relinquamus. OLYMP. Ac vide. Nec dicente scelesto, hominem mihi concede, Magnus agnothera, cui sui erat virtus athletæ perispecta, eidem aduersario eum condonat: ut illo ipso, utcumque collibitum fuerit, vtatur. Sed quoniam vniversi nostri generis hostis furorem nunquam expleri posse intelligebat, eius libidinem infinitam certis finibus circumscribit. Rebus, inquit, illius tua voluntate & arbitrari vtere, ipsum verò ne attigeris. APOLLINAR. Hic quasi nutu significatur noluisse diabolum, ut in Iobi tantum filiis vulneris acerbitas hæret. Sed etiam ut ad ipsum Iustum permaneret: sed quod cupiebat, non est atus nisi permitrente Deo. Ex quo intelligimus nullam esse diabolo aduersus nos potestatem, nisi ea ex occultis quibusdam prouidentie rationibus, quibus nostra gubernat Deus, permittatur. DIDYMI. Illud enim. *In manu tua do omnia,* porus persuadet sine Dei permissu à diabolo tentari neminem. Ut autem sciamus, ipsi etiam permissioni statui modum addit, *Sed eum ne tetigeris.* Vnde planum est, non fato vel casu, sed Dei nutu accidere calamitates. OLYMP. Attende eius, qui certamini præest, sapientiam. Nam primùm externis bonis & in quibus minus periclitabatur athletam ipsum spoliari sinit, sed vbi victorè eum declarauit, tunc deinde aduersus corpus certamen proponit, eumque bono animo esse iubet, quæ autem illius sunt, aduersario tradit. Quid enim mali hinc capiat vir ad veram philosophiam institutus, qui nullum iis deferre solet honorem, quæ interitu ac risu excipiuntur?

*Et egressus est diabolus à domino.* OLYMP. Nimirum locus est nullus à diuina ditione

ditione seclusus. Itac nihilominus ratione scriptura loquitur, quia à Deo imperatis postulatis, Diabolus nihil in agendo cunctatur. Quia etiam intra eum, qui bonus est, nihil mali aut inesse, aut admitti potest, quæ enim mala sunt, extra bonum suat. Ergo meo quidem animo illud, *egressus est à domino,* pro eo est, arrepta occasione, imperataque venia, ad illa quæ sibi permilla sunt, agenda egressus est. DIDYMI. Quibusdam est opinio, nisi extra Deum fuisset diabolus, contra Iobum eum nihil moliturum fuisse. Ac de diabolo magis propriè quam de Caino dicitur; exiit à facie domini: cui par est, in Dei cogitatione ac mente nequaquam variari. Diabolus autem in iis est, à quibus diuina mens semper est alienata; & si vnà cum iis qui Deo assistunt, simulate insolenterque ventre dicitur. Cùm ergo dicit, quod venit diabolus, negotij occasionem, aggressionemque significat. Quando autem egressus est à facie domini, diuinum permissum exposcit, & quàm à Deo contra Iustum acceperit potestatem. Vri etiam illud, Egressus est autem Cainus à facie Dei, id est à mandati diuini sanctione, quæ de Caino erat accepta. Hinc docemur diabolum ad hostiles insidias, quas homini struit, conuersum egredi à domino: Quod item ipsum de Icariora scriptum est, cùm prodicionem meditaretur; Egressus est Iudas; Erat autem nox: nec ea nox tantum, quæ in sensus incurrit, sed etiam illa, quæ menti tenebras obducit, videlicet tùm nocte is malorum circumfusus erat, cùm sese à luce auerit.

*Et erat sicut dies hæc.* OLYMP. Ut si dixisset, dies aduenit, qua theatrum apertum est, ac certamen initum, atque ad luctationem athleta descendit. Illud quoque considera, quemadmodum vno die in vnum malorū, acerbis atque omnium aceruum diabolus Iobum coniecerit, ut eum ad amentiam, ad indignationem, & ad congerenda in Deum maledicta inflammaret. Id enim sibi pollicebatur, cùm diceret, si non in faciem te benedixerit. CHRYSOST. Ut igitur scriptor doceret, quantas machinatus sit insidias, eo verborum genere tempus exposuit. Nondum enim meridies erat, cùm præliandi factum est initium. DIDYMI. Consequutionis ratio petebat, ut diei, ut filiorum confessus meminisset, ut illorum interitui fides non deesset: siquidem vna die, vna ædium ruina derepente extincti sunt.

*Et filij Iob, & filie eius bibebant vinum in domo fratris senioris.* POLYCH. Quamobrem in mentionem filiorum conuiuij incidit, cùm mox de bobus abactis dicere pararet? An ut subitam rerum omnium iacturam & insperatum atque improvisum malum, vnòque die cunctarum ærumnarum tragœdiam excitatam esse indicaret? rationem item exponeret, quemadmodum potestate accepta, rem ipsam transegerit diabolus? Itaque cùm dies pugnæ & congressus instaret, filij quidem vna epulabantur, nullius grauioris mali terri expectatione: quod sanè certè ad repentinam illorum extinctionem diabolo, qui eos omnes sociatos inuenit, cecidit perquam commodè; quandoquidem militari astu certam euentus iis scientiam ademit.

*Et ecce nuntius venit ad Iob, & dixit ei. Iuga bouum arabant, & asina femina pascobantur iuxta ipsos, & venientes captiuantes captiuauerunt ea, & pueros in terfecerunt in gladijs: saluatus autem ego solus veni nunciare tibi.* OLYMP. Potuit diabolus à Deo potestate data & inimicorum animos irritare, & ignem è cælo deducere, ac calamitatum solos nuncios seruare, & ventum angelicis viribus, quas à primo ortu à Deo acceperat, vtens ad disturbandas ædes impellere. Poterat etiam omnia hæc ementiri, & falsa quadam effigie conformare, ut & sui satellites prædantium inimicorum adspèctum opinionemque præberent, & quasi homines calamitatum nuncios adferrent, & tanquam veri ignis è cælo ruentis forma cerneretur, ac venti domum euerterent quasi vera species videretur: etenim in angelum lucis transfiguratur, atque ad eam rem ab opifice nactus est potestatem. Siue igitur hac, siue illa ratione pugnaverit, profectò acerbè, astutè, ac flagitiosè conflixit. Par autem est cognoscere, quos nuncios dignos diabolus, & quàm improbo artificio, ut grauiora semper nunciarent, instruxerit. Ut enim Iobi animus per-

moueretur, non simpliciter dicit, *Iuga bouum*, sed addunt, *arabum*, id est, quantum ex ijs quæ terra reddit, faciebant, neque dixit, *asinis*, sed, *asinæ femine* è quibus fœtus & propagatio. Ad hæc mulorum amissione exposita, seruatorum, qui armentis præpositi erant, eadem addunt, ad vulneis acerbitate. CHRYS. Cum rerum amissione cædes miscetur, vt maior hostium immanitas videatur: mira enim crudelitas atque inhumanitas est, duplex hæc calamitas abductionis & cædis. Nam eius, cuius vitæ pepercerunt, seruata salus malorum extitit ad diramentum. Idcirco enim seruatus est, ne malorum tempestatem Iobus ignoraret. OLYMP. Non humanitate aduersarij seruatus est is, qui hæc nunciaret, sed eo vt tristium rerum duntaxat, nuncijs existeret: fortalsè etiam agrestis & ferus aliquis homo erat, qui nuncios huiusmodi perferebat; aut etiam ipse dæmon nunciorum personam ac formam potuit præ se ferre. CHRYS. Vidisti, quam celere & improuisum vulnus, quam nouum, quam inusitatum? Is qui rebus omnibus circumfluebat, qui nihil mali fuerat antea expertus, continuo rerum omnium possessione priuatur, neque ei quidquam ad ægritudinem leniendam reliquum est. Nam qui relinquitur nuncijs, ad tragœdiæ solum narrationem relinquitur. DIDYMI. Prorsus animaduertendum est, quemadmodum quæ repente contigerunt, vel ex ipsa renunciatione pondus atque ad summam animi molestiam vim habeant. Verum, etsi propter subitum casum perturbare Iobi mentem hæc ipsa poterant, nequaquam tamen Iustum permouerunt. Namque psalmus quidam de homine iusto his verbis loquitur, Ab auditione mala non timebit. POLYCHR. Pro eo, *uenientes captiuantes captiuauerunt*, Inciderunt Sabaitæ, codex habet hebraicus; Sarraceni videlicet. Illud verò alterum, *Seruatus ego solum veni nunciare tibi*, in hebræo est, vt nunciarem tibi tantum. Mens autem diaboli ex ijs, quæ dicta sunt, illa istior apparet. Siue enim ille ipse, qui aderat, nuncijs habitum ementitus fuerit, siue de seruis quempiam seruauerit, certum est, ad augendum dolorem, rei euentum ab illo crudeliter fabricatum fuisse.

*Adhuc hoc loquente, venit alius nuncijs, & dixit ad Iob, Ignis cecidit de caelo, & cremavit oues, & pastores deuorauit similiter, & seruatus ego solum veni nunciare tibi.* OLYMP. Vbi primo audito nuncio, non solum Iusti animus consternatus non est, verum etiam tulit æquissimè, atque imminentis aduersarij impetum propulsauit, cõfestim alius quidam diaboli satelles sese proripit, dicitque non amplius sibi ab hominibus bellum inferri, verum oues ac pastores de caelo tactos esse, vt minimè dubitari possit, vel Deum ipsum, quem venerat, ei esse infensum. POLYCHR. Ignem de caelo delapsum esse commentus est diabolus, vt non cum hominibus solum, verum etiam cum Deo, quem colebat, bellum sibi esse arbitraretur, eaque ratione Iusto spem omnem præsidij eriperet, atque in laqueos eundem desperationis induceret. CHRYS. Pœnituit diabolum primi nuncijs, quod minus rectè res gestas exposuerit. Malè, inquit, iaculatus sum: haudquaquam collineauis sagitta prorsus aberrauit. Ab hominibus asinas & boues abactos esse dixi. Potest ita secum ipse Iobus ratiocinari, Homines iniuria me affecerunt, deõne possim isthæc ascribere? Ergo vt eius cogitatio ab hominibus ad Deum traducatur, ait, *Ignis decidit, è caelo.* Aquila autem & Theototio, Ignis Dei dixerunt: hostes iam causari non potes, quasi illi è supernis locis ignem proiecerint. Infige contumeliam ei, qui tibi iniuriam intulit, eum qui te oppugnauit, maledictis incessit: cur illi seruis? cur eum adoras, qui tuas opes euertit? noli putare ab hominibus tibi infligi vulnera, cum audis *captiuantes captiuauerunt*. E supernis regionibus atque adeo è caelo facit tibi bellum Deus. Id verò certo est argumento, quòd ignis è caelo demissus oues consumpsit. Vide quanta diaboli sit potentia, quantaque vis. Quemadmodum tot nationes concitavit, seu etiam in dæmones hostium formam habitumque contulerit, quanta hæc omnia facilitate administravit, considera. Ignem verò illum, quo consumptæ sunt oues, ne credas verum esse ignem (illius enim fabricandi caret potestare.) sed nimirum quicquid illud fuit, quo deflagrarunt vniuersa, ignis speciem ostentabat. Quòd si verus extitit ignis, ex eo, qui in rerum natura reperitur,

tur, sumptum commouit, idque Deo minimè repugnante. DIDYMI. Nec enim poterat diabolus igne è caelo deducere \* Quamuis enim sanctus dogmata veritatis pernosset, nec de tentationibus, quin Dei permisso incidere, quicquam dubitaret; tamen ob eam rem vehementissimè angebatur, quòd in eo ipso, quòd sibi accidisset, offenderentur, idè quòd Deum in ipsum irruisse arbitrarentur. Etenim quòd prædantes aduersarij pecus egissent, quòd pueros interfecissent, id non à Deo, sed ab hostibus hostiliter inuadentibus, & per odium illa perturbare molientibus factum esse, ij, qui minus intelligerent, credere poterant. At vbi ignem nunciatum est à Deo delapsum esse, lanè periculum imbecillis mentibus crebatur, ne forte crederent nihil esse in ipsa virtute admirabile, quando is, qui virtutem erat adeptus, vsque eò à Deo cruciabatur. Sed tamen neque hoc euentum sancti animum, qui in Dei contemplatione totus haberet, potuit permouere. Neque enim ea est potestas permessa diabolo, vt ignem deducat è caelo. Verum iudicio id diuino perfectum est, vt is, qui aduersus Iobum potestatem diabolo fecerat, ipsi illi diabolo persuaderet, licet is multas machinas adhiberet, nihil tamen in rebus humanis reperiri, de quo Beatus nimio opere laboraret.

*Adhuc hoc loquente, venit alius nuncijs, & dixit ad Iob, Equites fecerunt nobis tria capita, & circumdederunt camelos, & captiuauerunt eos: & saluatus sum ego solum, & veni, vt annuntiarem tibi.* POLYCHR. *Adhuc hoc loquente*, vt nullum à laboribus luctatori daret respirandi spatium, summa crudelitate ignem finxit è caelo deferri, vt non ab hominibus, sed à Deo putaret se oppugnari, quem Iobus studiosè venerabatur. Ex hoc item loco, cum dicitur, *Adhuc hoc loquente*, intelligimus, quid diabolus egerit, vt Iobum assiduis nuncijs perturbaret, & molestijs, atque ægritudinibus tanquam nunquam intermittere tibus fluctibus obrueret. OLYMP. Belli narratio erat huiusmodi, tam Deo quam hominibus contra illum bellum esse susceptum. Illud autem *εσχαλας τρεῖς* huic par est, Triplici aduersarij instructa acie, tribusque ducibus creatis, irruptionem fecerunt. Sic enim Aquila exposuit, Chaldaei disposuerunt contra nos tres præfecturas, additque narrationi solum calamitatis nuncijs fuisse seruatum: nec verò de interfectis filer hominibus, quorum nece viri probi magnopere mærent. DIDYMI. De puerorum nece audire, idque constanti animo ferre, scilicet ea res animi virtutem, inuictumque robur testatur. Atque isthæc omnia Iobi filijs imprudentibus, nihilque scientibus simul gesta esse, illud planè persuadet, quòd scriptura confirmat, apud fratrem naru maiorem illos prandisse. Magnam vim hæc habent ad eorum mentes conturbandas, & stupore consternandas, qui perpetuas rerum humanarum conuersiones minimè meditantur; qui bona adnituntur tueri sua: quorum molestior solet esse possessio, quam ijs antea caruisse. Iam enim nonnulli, in quos subitus casus incurrit, sana mentis periculum adierunt, atque eos ita fregit ærumna, vt quæ odio atque exilio digna sunt adamarint: status enim punquam tentata tranquillitas eorum meritur infortunium. Etenim qui peculio, bonorumque possessione caruit, tristitiam experiri non potest. Verum is experientia doctus est, qui ante amissionem bonorum, euentus acerbiter perterritus: post amissionem verò acutis doloribus vulneratur; siquidem pacatus rerum status franis cohiberi nequit, & mens, quæ doctore & pædagogo caret, miseris lamentis contabescit. Talis nequaquam fuit insignis Iobus, illud inquam eximium tolerantia constantiaque peculium, summa illa fortitudinis absolutio, ille pietatis dux, illud singulare specimen philosophia, qui & in secundis rebus modestus, & in aduersis fuit inuictus. Nam philosophiam, quam prius perdidicerat, quæ deinde conseruata sunt vulnera, minimè refutarunt. Qui enim homini diuinarum rerum disciplina exulto, atque ad pietatem antea instituto intolerabilis ærumna illa videri potuerit? Cum enim didicisset diuitias habendas esse communes, in egentium sumptus illas conferebat, neque earundem iacturam reformidabat. Quare nec spoliatus discriciatur. Quin etiam mali vis, noua seges ac materies est philosophia. Vitæ autem splendida cum

gnauit, multisque à diabolo appetitus sagittis, nullam tamen luculentam plagam accepit. Nimirum eum domesticorum felicitate spoliavit, crebris malorum rumoribus, ac nuncijs illum obruere per insidias conatus est. Nam priori nuncio calamitatem narranti posterior interueniebat, qui acerborum rerum ægritudinem, maioremque adferebat; calamitas è calamitate erat apta; atque cum vna vndarum concussione imitabantur; necdum prior lachryma defederat, cum recentis causa adferebatur. Iustus autem quasi scopulus consistebat, ac vim tempestatis excipiens, fluctuum violentam incurSIONEM redigebat in spumam; nihilque eorum, quæ contigerunt, dignum lachrymis existimauit. Postquam verò nuncius venit, qui diceret in conuiuantes filios & filias violento flatu conuiuij domicilium iruuisse, tunc communi sensu naturæ pfecto, vestem conscidit, vt ea re propensæ voluntatis suæ erga liberis significatione daret. C H R Y S. Caue putes Iobum superatum fuisse, quia id fecisse dicitur. Immo verò hoc ipsum factum illius comprobatur victoriam. Nisi enim illud fecisset, dixisset quispiam malorum sensum omnem ei Deum planè eripuisse; nunc autem dolens ac mærens philosophatur, verèque, suam ipse animam supra petram ædificarat. Descendit enim imber; ignis enim, inquit, cecidit è cælo, & deuorauit omnes greges ouium: Venerunt fluuij crebri, assidui, nec ex interuallo nunciij calamitatum, vnus ouium, alter camelorum, alius filiorum amissionem exponens: flauerunt venti, dira coniugis verba, Dic, inquit, verbum contra dominum, & morere: nec tamen cecidit domus, neque deiectus est animus, neque eius in Deum oratio fuit iniuriosa, sed multò maxime cum gratiarum actione coniuncta. Licet oppugnationis dux facinorosus foret diabolus, qui & cum nostra natura in gratiam redire nunquam potuit, & implacabile atque inexpiable contra nos bellum suscepit; qui non modò Iobo offensus erat & iratus, verum etiam omnes machinas fallendique artes adhibebat; verum neque hac ratione Iusti virtutem refellit. Hic potius vir egregius illius iacula per irisionem elusit, ac vim belli acerrimi mira virtute excepit, idque ante veteris testamenti & gratiæ tempora. Id etiam planum fecit, prolapSIONIS causam non in tentationum naturam, sed in desidioforum hominum torporem esse referendam; quandoquidem ærumna magnum ac maius robur solet adferre. Tribulatio enim, inquit, patientiam operatur. Quemadmodum enim firmiores arbores, quamuis in eas magno impetu venti incurrant, & perflent eas vndique; non possunt tamen euellere; quin etiam huiusmodi incurSIONIBUS vehementius corroborantur: ita animam sanctimonia & pietate insignem immisæ malorum tempestatem non solum non euertunt, verum etiam ad maiorem perpeSSIONEM incitant; cum nihil virtuti hominis possint obesse. Sed quæ tandem hominis est virtus? Profectò non pecuniæ & opes; ne fortè egestatem vereare: non corporis valetudo; ne morbum pertimescas: non vulgi opinio; ne infamia terreare: non fortuito, solutoque animo viuere; ne mors tibi horribilis videatur: non libertas; ne fugias seruitutem. Verum ea demum hominis virtus est, quæ in verorum dogmatum incorrupta disciplina, atque in recta viuendi ratione consistit. Hanc prædari diabolus nunquam poterit, si possessor eam, qua debet diligentia custodierit, neque eius præstantiæ, & cuiusmodi sit, ignarus est immanissimus & improbissimus dæmon. Ideò opum possessiones Iobo eripiebat, non tam vt ad inopiam hominem redigeret, quam vt in Deum maledictum iacere corroboraret; & corpus concidebat, non vt morbi calamitate vexaret; sed vt virtutem animi cõuelleret. Sed tamen, cum omnes machinas compararit & (quod nobis maxime horrificum iudicatur) è locuplete egentem fecerit, & à liberorum multitudiNE ad orbitatem deduxerit; & tortorum, qui Iudicum tribunaLIA circumstant, immanitate superata, crudeliter Iusti corpus omne dilaniarit; (Neque enim ij suis illis vngulis ita reorum latera perfodiunt; vt ille Iobi corpus, vnde tanquam ex ostiis vermes erumpebant, dilacerauit) & cum ei infamiæ ac turpitudinis notam inuulerit, præsertim coram dicentibus amicis, Nequaquam pares peccatis poenas luisti, atque alia in eundem accusatoria verba conferentibus. Quan-

uis

uis denique homini sua vrbe & domo eiecTO nullam aliam ciuitatem attribuerit, sed stercorem, sordiumque domicilium pro ciuitate & domo ei construerit, nihilominus non modò homini frugi nullo damno malòve fuit; verum etiam ex ijs ipsis, quæ in eum per insidias moliebatur, cum magnopere illustrauit. Et cum tantorum bonorum possessione eum deturbarit, non solum bonis non spoliavit; verum etiam multo vberiores virtutis opes illi conflauit. Nam vehementioribus contentionibus eruditus, atque exercitatus, audacior postea fuit, atque paratior. Quod si is, qui est tam multa perpeSSUS, nulla re tamen læsus est; quæuis ei non ab hominibus, sed ab eo, qui cunctis hominibus improbior est, malorum perpeSSIO fabricaretur: cui in posterum defensionis locus possit esse relictus, cum huiusmodi verba vsurparit, Hic aut ille me iniuria, detrimentoque affecit? Si enim diabolus, qui scelere est cumularus, omni comparato instrumento, cunctis emissis sagittis, atque vniuersis malis mortalium mirandum modum in Iusti domo, corporeque expromptis, virum hunc nulla re tamen vniuauit, sed potius, vt iam dixi, adiuit; quis acceptam offensionem non sibi magis, quam cuius alij adscribat? Sed quispiam dixerit; qui fieri possit vt ipse sibi offensionis ac mali auctor sit, cum ab alio flagris cæsus, aut bonis spoliatus, aut quapiam alia iniuria violatus verbum aliquod contumeliosè dixerit? Scilicet hic læsus est, vehementerque læsus, neque ab eo, qui fecit iniuriam, sed à mentis suæ tenuitate & deiectione læsus. Quod enim antè dixi, nunc iterabo, Nullus mortalium etiam nequissimus alteri grauiora atque acerbiora mala obiecerit, quam funestus ille & exitiosus dæmon soleat, & qui sempiternas nobiscum gerit inimicitias, diabolus: sed tamen hic ipse importunus dæmon hominem qui legis, gratiæque temporibus antecessit, licet in eum vndique tela iaceret, euertere aut deiicere nequaquam potuit. O L Y M P. Quod si tunicam dilacerauit, cæsariemque circumcidit, non propterea affectum sapientis virtute alienum suscepit. Nam eundem ipsum Paulus his verbis in Actis præ se tulit, Quid stertis, affligentes cor meum? Eundem David ostendit, cum non vnum aliquem de obtemperantibus liberis, sed eum, qui illi fuit armis infestissimus euilaret, acerbiſſimeque luctibus atque suspirijs prosequeretur, diceretque; fili mi Absalon, fili mi. Luger quoque ob communis doloris sensum saluator noster, siue causa Lazari, siue, vt verius dicam, propter Iudæorum exitium. Ergo Iobus quoque ne communem sensum exuisse videretur (id quod est à natura atque virtute seiunctum) natura satisfecit, ac mærens comam radit. Nam quibus comam nutrire decorum erat, in sordibus ac luctibus iidem radebantur. Contra quibus tondere honestum ducebatur, ij cum in squalore, luctuque iacerent, comam nutriebant, & capilli pondus sustinebant. Itemque vestem concepit, quæ priscis illis hominibus luctus erat significatio. Dixerit verò aliquis, qui concinnius hæc ipsa volet interpretari, quasi athletam quendam nudatum ad luctum, in diaboli conspectum vestem proiecisse. N I L I. Neque enim amicti luctari homines cõsueuerunt. Verum illos nudos in stadium lex certaminis deduxit. Ac si quis nudari recusat, idem certaminè recusat. Nam qui nudus est, aut vix, aut nullo etiam pacto per insidias comprehendere potest. Ideo que Iosephus ille pudicitiaæ athleta, voluptati illum tenere conanti, res quæ habent commercium cum corpore tanquam indumenta relinquens, foras egressus profugit: in quo principem hominem imitatus est, qui nudus cum virtute in paradiso versabatur, qui nuditatem à Deo tanquam eximium decus acceptum tantisper custodiuit, dum violati peccati præcepti vestimentorum illi necessitatem imposuit. Nam, quandiu cum aduersariis ad diuinam legem perfringendam illum adhortantibus cõstixit, nudus quasi athleta in ludorum cauea consistebat; vbi autem victus est, atque à certamine repulsus, merito indutus est, cum certandi virtute nuditate quoque reiecta. Ita Proverbiorum auctor, ludi certaminisque magistro præcipit, detrahe vestimenta eius, \*prodijt enim. Nam quandiu extra stadium erat, rectè vestibus vsus est, certandique virtutem sensuum vestibus texit. Postquam verò in arenam descendit, detrahe, inquit, vestimentum eius. Nudum enim vel potius nudum

D

vinctum

ol.

Mitg.

\* περιλάθει γὰρ.

vnctum certamen inire oportet. Nam nudatum esse, hoc certanti præstat, vt ab aduersario comprehendi non possit; oleum verò, vt, si forte comprehensus fuerit aliquando, è manibus facile elabatur. Quamobrem, qui luctantur, luctantes aduersarios puluere perspergere nituntur, vt, olei læuitate à pulueris asperitate superata, eosdem comprehendere facilius possint. Quod igitur illuc est puluis, hoc item in nostro certamine res sunt terrenæ; & quod illuc est oleum, hoc est in nostra luctatione curarum vacuitas: & sicut illic qui est delibutus, vincla, & qui ab ijs vocantur, nexus, perfacile dissoluit; quod si puluerem admiserit, aduersarii manus nisi ægrè euadere non possit; sic in nostra contentione, qui est animo à curis vacuo, is haud facile à diabolo captatur. Qui verò curis, & sollicitudinibus angitur, mentis suauitate & tranquillitate, quasi olei læuitate ob pulueris asperitatem amissa, ægrè diaboli vitæ manus. Iobus autem, qui humanis rebus nuncium remiserat, ipsam etiam vestem conscindit. Atque hæc cum venustate quadam & concinnitate dicta sunt. P O L Y C H R. Id Iobi constantiam graui testimonio confirmat, quod nuncio duntaxat de obitu filiorum accepto, commotus sit, cæterarum rerum nuncijs nihil eum terrentibus. Sed neque nunc quidquam præter decorum eloquitur. Solum ad lugubrem habitum formamque conuertitur. Igitur vestibus conscissis, doloris magnitudinem declarat. Tonsio verò capillo mærorem de liberorum interitu susceptum ostendit. Nam ijs temporibus lugubris erat huiusmodi habitus. C H R Y S O S. Nostra hæc ætate plerique eorum, qui in squalore & luctu sunt, comam alunt; ille verò amputauit. Quid ita? quoniam squalenti ac mærenti hæc cura erat, ad contrariam conditionem migrare. Quare vbi ornamento & honori ducebatur coma, tonsus capillus doloris significationem consciebat. Vestes autem lacerauit: si res è forma ipsa, habituque externo spectetur, ad mæroris acerbiteriam; sin autem ad veritatis perpendiculum exigatur, ideo vt ad luctationem nudus accedat, quo tanquam nudus athleta aduersarii circumplicari non possit amplexu.

*Et cadens in terram adorauit dominum, & dixit: Ipse nudus egressus sum de ventre matris mee, nudus etiam reuertar illuc.* B A S I L. Animi est effeminati, nec quidquam firmitudinis è spe diuina habentis, discrucari vehementius, ac rebus succumbere aduersis. Vt enim vermes intra teneriora ligna procreantur, ita ægritudines atque molestiæ mollioribus hominibus innascuntur. An verò corde adamantino Iobus erat: nunquid ei viscera lapidea? Decem ei filij leui temporis momento, vno percussi vulnere, in ædibus lætitiæ ac voluptatis, quo tempore exhilarabantur, domicilium concutiente diabolo, occubere. Mensam vidit sanguine respersam, vidit liberos non vno quidem tempore in lucem editos, sed tamen vno tempore lucis vsura cunctos caruisse. Nullus tamen illius exauditus est eiulatus, non vocem vllam edidit generosa animi virtute indignam. Illam vsque adeo præclaram atque sermone omnium percelebratam, & grati animi indicem vocem emisit. Nunquid homo fuit à communi sensu doloris alienus? qui tandem? cum de se ipse testetur, Ego planxi supra omnem, qui tribulatur. An verò, cum hæc diceret, mentiebatur? Atqui ipsa veritas de eo testatur, præ alijs virtutibus eundem verum fuisse. C H R Y S. ad Olympiadem. Hic ipse Iobus plagam accipiens, non infligens, oculos diaboli confixit, cunctas ab eo emissas sagittas excipiens, pharetram exinaniuit vniuersam. Nullum denique genus tentationis est, quod non sit singulari quadam ratione perpeffus. In ijs, quæ in vita molesta sunt & habentur, sunt egestas, ac morbus, & orbitas liberorum, & imperus inimicorum & amicorum ingrata volūtas, & fames & corporis cruciatus assidui, & conuitia & calumniæ & improbæ existimationis possessio. Atque hæc omnia in vnum corpus, vnamque animam coierunt, & quod grauius est, nec opinantem inuaserunt. Quod autem loquor, id est eiusmodi. Qui ab egen-tibus parentibus procreatus est, & in paupere domo educatus, is quasi exercitatione cogitationeque munitus vim egestatis leuius tulerit: qui verò tam multis diuitiis abundet, is, si repentino ad statum contrarium detrudatur, subitam mutationem

mutationem haud facile sustinuerit. Namque homini non experientia erudito inclinatione huiusmodi asperiores solent accidere. Ad hæc homo obscurus, & obscuro loco natus, & cuius fuit vita vsque despecta, si ei conuitium, iniuriæ fiat, non magnopere commouetur: qui verò in tam ampla gloria fuerit, atque omnibus quasi satellitibus, & stipatoribus vsus sit, cunctasque regiones nominis eius claritas peruaserit, si ad ignobilitatem ac dedecus delapsus sit, idem patitur omnino, quod is ferre cogitur, qui à diuitiarum amplitudine ad inopiam statim descendit. Præterea qui orbat liberos, quamuis orberet omnibus, modo non cunctos vnum, idemque tempus extinguat, eos, qui reliqui sunt, habet ad animi ægritudinem leniendam; ac si restincto dolore, qui è primi interitu susceptus erat, secundi filij calamitas accefferit, nihilominus tolerabilis sit. Neque enim ea recens vulnus offendit, sed planè iam obductum & consopitum: id quod ad dolorem extenuandum magnam partem obtinet. Hic autem suum illum chorum omnem, vno temporis momento, genere mortis acerbissimo, violento, immaturoque interitu vidit abreptum. Temporis verò locique ratio acrioris etiam morsus efficiebat doloris. Tempus enim conuiuij, atque ea quæ hospitibus patebat domus, illam attulit calamitatem, atque illis ipsis pro domo & sepultura fuit. Iam verò quod maiorem habet admirationem, cuncta simul perpeffus est, vt iam, quæ ei illata sunt mala ad id ipsum altero tanto vel etiam se sequi acerbiora fuisse videantur. Quod enim in certamine versanti vsu venit, vt nihil induciarum, nullum ei respirandi spatium concedatur; verum ob assiduos imperus, maiores tumultus, turbæque concitentur: hoc ipsum huic nostro accidit. Nam ouium exitium atque incendium, bouum abstractio exceptis; hanc vero, asinarum ablatio; hanc item camelorum abductio, atque hanc feruorum iugulatio, hanc demum liberorum amissio cum horribili nouoque interitus genere, & maximè horrifico sepulchro coniuncta, quandoquidem eadem mors & sepultura exitiit. Mensa, quæ paulò ante esculenta ac poculenta sustinebat, nunc concisa complectitur cadauera: phialæ & pocula cum vino cruorem, obtrititque artus excipiunt. Illius calamitatis atque naufragij vim acerbissimam, nouamque illam, nec antea auditam tragediam animo, quæso, com-plectere. fuerit fortasse aliquando, qui narum vnum aut alterum, aut verò tertium amiserit: huic autem quàm multi filij ac filia: sunt ereptæ? Quàm subito autem is, qui multos suscepit habebatque liberos, est cunctis spoliatus? Neque verò paulatim illius viscera absuuebantur, sed repente fructus omnis est ademptus; neque id lege certa naturæ, cum senilem ætatem minimè attigissent, sed tantum violento atque immaturo interitu. Cum vna essent omnes, cum ille nec adesset, nec assideret, vt saltem extrema verba ad tam acerbi luctus solatium acciperet. Imò verò præter omnem expectationem, cum quid ageretur, ille nesciret, subita ruina obruti sunt vniuersi, eademque ijs domus laqueus & sepultura fuit. Atque hanc vnam ruinam multæ aliæ comitatæ sunt acerbitates. Nam & florente erant omnes ætate, & virtutis laude præcipui, & inter se amantes, & omnes vnâ, & perinde mares ac femina: eodem casu conciderunt, nec ex omnibus relictus est vnus, neque communi lege è viujs excefferunt, nec post tantam iacturam rei cuiusquam malæ sibi conscius fuit, nec filiorum exitiū prospiciendi data est ei potestas: singula enim hæc ad perturbationem animi haud parum per se valent: vbi verò omnia congressa sunt, tunc laboris æstum cogita, vimque tempestatis incredibilem. Sed tamen nullum ei verbum excidit eiusmodi, cuiusmodi nonnulli, qui mente sunt imbecilla, solent vsurpare. Ergo ad hoc ipse educari liberos, præclarèque disciplina corroborari? Ad hoc domum iter facientibus patefecit? scilicet, vt post tam multas excursions egentium, nudorum pupillarumque causæ susceptas, id mihi reponeretur? Nihil quidem certè horum in eius sermone fuit. Verum in tam acerbo filiorum casu quædam enunciauit, quæ qualibet victima essent digniora, illudque caput augustum magnificentius quàm sexcentæ coronæ exornarent, clarioque sono quàm multarum tubarum prædicarent: dixit enim; *Nudus egressus sum ex utero matris mee; nudus etiam reuertar.*

reuerſar. Meane iſthæc erant? Paulo poſt ea à me deſeri oportebat; nihil enim inuulimus in hunc mundum; nihil profecto efferre poſſumus. Sed antequam uerba illa pronunciat, humi ſtratus Deum ueneratur, tantaque clade affectus, de pietate erga Deum ac religione minime reſceſſit, ſed humi abiectus, diabolo compedes iniecit, qui dixerat: Niſi in faciem benedixerit tibi. Te ſtatus eſt naturam, reſtatus item eſt pietatem. Nam & in filiorum interitu dolori moderatus eſt, atque ægritudinem animi uirtute præuertit, neque amplius ingemiſcit; ſed uoces illas edit, *Nudus egreſſus ſum de utero matris mee; nudus etiam reuertar illuc.* Sed cuius tandem uteri meminit? nempe primi illius opificij, ſuaque è terra coagmentationis, primi parentis opificium imitantis. Nudus è terra diuinum munere conformatus ſum, minimè fucatus, nulla re ſuperuacanea oneratus, ac propè dixerim, à materiæ concretionem ſecretus. Ergo nudus quoque reuertar illuc, quo? nempe ad locum plangore liberum. Si enim ad eum uerum, qui in promptu eſt, cogitationem traduxeris, crediderisque maternam aluum, unde extitit, tibi rurſus ſubeundam eſſe, rationis decorum, atque uerborum apra conſequutio perierit. Quis enim mente præditus tantam iniuriam naturæ adferat, ut matris uero, quod inde accepit, reddens, duabus rebus ad ſuum ipſarum interitum eodem tempore abutatur, atque vno commento duplicem necem faciat? eſſetque id in uanitatē Nicodemi incidere, qui, cum de regenerationis lauacro audiret, Niſi quis renatus fuerit de ſuper, indoctè, & ei ueneque reſpondit: Cùm de carnis natiuitate audiſſe ſe arbitraretur, humilibusque ratiocinationibus traheretur ad terram, nec quidquam exceſſum animo pertractaret. CLEMENTIS. Quamquam quæ à Iobo dicuntur, ſublimes cogitari debent, ad hunc modum \* *nudus à ſcelere & peccato, è terra quaſi in matris uero ſapsum, nudus etiam reuertar illuc.* Nudus non à bonorum poſſeſſione; (minutum enim id eſt & uulgare) uerum ab improbitate ac uitio atque ab eo, quod uitæ hominum comes eſt, tenebricoſo idolo. Nam ſi id, quod manibus tenemus, ſpectare uoluerimus, cuncti naſcuntur nudi, itemque nudi efferimur, faſciis, quæ ad humana mortuorum corpora adhibentur, deuincti. Etenim uitam Deus nobis aliam præparauit, atque ad illius curſum hanc fugacem quaſi uiam munuit. Quæ uero nobis aduerſus diſſentates uitæ uarias ab opibus ſuppeditantur ſubſidia, quaſi uaticum illa ipſa Deus nobis conſtituit: nobisque ex hac uita digreſſis, diuitiæ minimè comitantur. Eorum enim, quæ in uita habuimus, nihil noſtrum dici poteſt, una excepta pietate, cuius eſt noſtra certa poſſeſſio. Hanc decedentibus nobis, mors nunquam eripiet: quamuis reliqua omnia uel ab inuitis auferantur: opes quidem ad uitam hanc ſuſtinendam accepimus, atque hoc uno fructu decerpto, demigrat unusquisque breui quadam ſui relicta memoria. Hoc demum eſt huius omnis ſeclitatis extremum; hic cunctorum bonorum quæ ſunt in uita exitus. Merito igitur infans, ut matris uero caput extulit, ſtatim lamenta, non riſus exorditur: Nam ſtebili uoce uitæ propemodum indignatur, cuius quæ prima munera ad deguſtandum præbentur, exitioſa ac mortifera ſibi eſſe animaduertit. ſimul atque enim editus in lucem & ſuſceptus eſt, manus, pedesque eius faſciis conſtringatur, atque ijs uinculis impeditus, potitur uerberibus. O uitæ primordium, mortis prodromum; nuper eſt infans ad uitam ingreſſus, nec interpoſita mora, mortuorum pannis amicitur! Natura enim ſinis memoriam reuocat ijs, qui naſcuntur. Huc ille pertinet editi infantis eiularus, luſtuuoſis magnifice uocibus apud matrem lamentantis, Cur mihi uitam, mater, tradidiſti, cuius additamentum futurum erat ad interitum progreſſio? Cur me in tantarum turbarum æuum conieciſti, in quo mihi nato faſciæ ſunt exordia? Cur huiusmodi me uitæ addiſti, in qua & iuuentus miſeranda ante ſenium miſerè uexata atque conſecta, & ſeneſtus ut exitioſa fugienda! Nimirum aſperum, o mater, eſt huius uitæ ſtadium, cuius meta eſt currentium occaſus. Calamitoſam uitæ uiam ambulamus, quæ ſepulturam habet pro diuerſorio. Diſcile atque infeſtum uitæ pelagus nauigamus, cui infernus tanquam pirata imminet. Solus ex omnibus homo nudus gignitur nullo uel armorum uel indumentorum cognato genere protectus:

\* Teſtimoniū hoc, quod Iobi ſingulari innocentia tribuit Clemens, hanc uim habere exiſtimo, aut quod Iobus, cum edere uerba in luce, omni culpa caruerit, quæ iudicio ac uoluntate ab unoquoque contrahitur; aut etiam, quod poſtquam in matris uero ſtali labe Dei fuerit munere liberatus; uel quod Clemens parum id conuenienter agnouerit, quod à primo indereſque parète in poſteros omnes dimanauit: id quod et Hermetus eius interpretes in eo notat.

protectus: nec ideo, quod ſit cæteris animantibus inferior, ſed ea re maxime, ut nudus ille, ac nulla re inſtructus ortus, tuum animum ad curam, ſtudiumque impellat; ſtudium uero & ſollicitudo ſapietiam glorioſè exornet; ſocordiam uero à natura depellat; artificia quoque propter egeſtatem gignat uaria. Induſtriū enim & peracutum eum; qui nudus eſt, eſſe oportet, ut qui paupertatis ſtimulis concitetur. Nudus procreatus eſt homo; ut, eodem ſtudio adhibito, uideret, quemadmodum imbres declinaret; quemadmodum ſapienter frigus arceret; quemadmodum ad repellendos ictus muniretur; quemadmodum terram cole-ret; quemadmodum feris ac belluis merum incuteret; quemadmodum robuſtiora ac ualentiora ſe animalia domaret. Quamobrem aqua madidus, pluuiaque perſuſus teſta fabricauit; refrigeratus uehementius indumenta excogitauit: ictus ac vulneratus thoracem inuenit; cum manus in agricolatione occupatæ ſpinis eruentarentur, ruſtica instrumenta quaſi ſuūt. Quia nudus erat eſca belluis, artiſicioſam rationem ad eas, quæ terribiles ſunt, exterrendas, comparauit. Nempe igitur aliam ex alia ſolertiam nuditas genuit. Ut iam nuditas donum ſit, munuſque imperatorium. Nudatus igitur Iobus opibus ſuis, poſſeſſionibus, glorioſa, multiplicique ſobole, & breui ſpatio his omnibus ſpoliatus, hac plena grati animi uoce exclamauit: *Nudus egreſſus ſum ex utero; nudus etiam reuertar illuc.* Nimirum ad Deum, ad illum, inquam, beatum ſinem & requietem. OLUM. Papæ: quæ iſthæc eſt philoſophiæ excellentia! Nam externa quidem ſpecie, quod debet, naturæ perſoluit, diſciſſa tunica; uulſaq; coma; ſed ob uirtutem ad Deum confugit, inflexiſque genibus eum adorat legitime; atque in media ærumnarum turba conuenienter naturæ philoſophatur, ac tum ſibi, tum nobis ad ægritudinem ſolandam parat medicamentum. Ea eſt, inquit, homini ſancita lex, ut ab ijs, quæ non ſunt, ad id, quod exiſtit, nudus deducatur, eademque forma indutus cedat è uita. Quid igitur mali, inquit, paſſi ſumus, cum à natura quidem nihil habeamus, ſi rebus nobis à Deo datis rurſus ſpoliemur, quarum non multo poſt nobis erat amiſſio neceſſario ſuſtinenda? Et quamuis acerbis illarum auctorem Deum eſſe cognoſcat, nihilominus ueneratur, gratæque ei uoluntate deſeruit reddit, ſuiſque improbum diabolum ſaculis conſigit. Igenim uſus ironia dixerat: Si non in faciem tibi benedixerit, id eſt, ſi non improbas in te uoces iactarit. Hic autem in illis, quæ acciderunt, calamitatibus ad gratias agendas comparato hymno, uocem cum diuina laude coniuſctam mittit huiusmodi:

*Dominus dedit, dominus abſtulit: ſicut Deo placitum eſt, ita factum eſt: ſit nomen domini benediſtum.* B A S I L I I. Tamdiu pater ſum appellatus, quamdiu uiſum eſt ei, qui me patrem conſtituit. Sobolis coronam mihi rurſus adimere cogitauit. De rebus, quæ illius ſunt, nihil pugno: Illius uincat decretum: ille ſator eſt generis, ego instrumentum; quid neceſſe eſt, me, qui ſeruus ſum, inani cura angere: de quo decreto expoſtulare, quod reſcindere non poſſum? P O L Y C H R. Quæ diuinitus contingunt, libet amplector, & aſſuere diuitiis, cum is dederit, uolo; & in egeſtate uitam degere ex euſdem conſilio opto. C H R Y S. Haſtenuſ Iob doluit, ut patrem liberorum amantem, mortuosque ſedulo curantem decebat. Non dixit, ut plerique ſolent, præſtabat, nec experientia percepit, nec patrem uocatum eſſe, quam guſtata uoluptate, deiectum eſſe. Verum is & de ijs, quæ acceperat gratias egit, & ob ea, quæ ante uitæ exitum eum deſeruerunt, Deum commendauit, haud his uerbis loquutus eſt, Satius erat id non fuiſſe conſequutum: qui ingratorum hominum eſt ſermo, ſed potius pro rebus adeptis gratias agebat, cum diceret: *Dominus dedit: & de amiſſis Deum his uerbis eſſerebat, Dominus abſtulit, ſit nomen domini benediſtum.* Ita mirifica illa uerba uſurpans, rationibus cum uxore contendens, loquentis audaciam compreſſit, cum diceret, Si bona ſuſcepimus de manu domini, mala non ſuſtinebimus? Adde, quod cæteros homines illud non mediocriter ſolatur, cum ſuarum cauſam ærumnarum eas culpas eſſe intelligunt, quarum conſcientia ſtimulatur. At ille hoc ipſum ratiocinatione conſequi nulla poterat (id quod eius animum grauiter commouebat) quod pœnas lueret peccatorum.

catorum. Nam si quando in suam ille vitam intuebatur, conscientiamque sole clariorem, & rectè facta quam plurima inspiciebat, nimirum coronis, brachiis, sexcentisque præmijs se dignum videbat. Cum autem ad eorum mala referret oculos, qui turpissima facinora admiserant, videretque multò se, quam illos grauiora perferre; nec eius rei causam posset ullam exponere, ad vnum Deum perfugium est illi reliquum, atque ad Dei consilium ac decretum omnium calamitarum causam reuocat, ac dicit; *Sicut domino placuit, ita factum est.* Neque enim sententiam domini expendendam puo. *Sit nomen domini benedictum.* Nec enim quidquam absonum loquar de Deo: quin eum tum ob ea, quæ mihi principio est impartitus, tum ob ea, quæ nunc ademit, dignum laude duco. His verbis Iustus diabolum quasi telis perfodit. Estque illud admiratione perquam dignum, quòd tum Deo gratias agat, nec quidquam de mentis constantia remittat, cum se à Deo spoliari animaduertit. Id ipsum tibi faciendum & cogitandum est, non ab homine quopiam, sed à Deo tibi tua auferri; à Deo inquam, qui te tuetur ac suscipit; qui tibi haud est inimicus; qui tibi nullas struit insidias; qui denique quod è re tua sit, non ignorat. \* Fer item opem ijs, qui migrant è vita, neque eorum memoriã intermittas. Nam si Iobi liberos \* spiritus hostia expiabat, dubitarène ipse poteris, nobis pro ijs, qui decesserunt, offerentibus, solatij nihil illis ipsis adferri? siquidem solet Deus alteri alterius causa gratificari. Fructu etiam è rerum natura capiamus: opificem enim illæ asseclantur suum, qui singulorum spectata vtilitate, eas vnicuique impartitur, ac tollit, atque eodem nos tempore grati animi virtute & robore exereet. Nam grati animi testificatio in rebus acceptis secundæ beneficentiæ causa est, ac materies.

Mortuorum cura suscipienda, christianaque pietatis officia ijs præstanda. \* Cuiusmodi illa fuerit Spiritus hostia, verbis planioribus Chryso. ostendit in extrema huius capite expositione.

In his omnibus, quæ acciderunt ei, nihil peccauit Iob labijs coram domino: & non attribuit insipientiam Deo. CHRYSOSTOMI. Quemadmodum in simulacrorum crepidine, statuarumque basi solet inscribi, Hic, illuc posuit: Ira hoc loco libri auctor, postquam Iusti simulachrum verbis absoluit, in crepidine haec veluti inscriptionem reliquit, *In omnibus his non peccauit Iob coram Deo.* Nec verò putet, quia de Deo non tacuit, de hominibus siluisse. Sed neque peccatum cogitatione admisit. Quid autem est, labijs? Nos sæpenumero actu perturbationis abrepti, verbum dicimus animi intelligentia minimè approbante, lingua duntaxat, imperu doloris absorpta. Hoc ille malum vitauit, cuius & lingua fuit à verbis impto bis integra, & mens à blasphemia aliena. *Et non dedit insipientiam Deo,* id est, nequaquam ob ea, quæ acciderunt, iniustitia Deum aliqua condemnauit: non dixit ut plerique, Temerarius ac fortuitus est rerum humanarum cursus: verum, *Sicut domino placuit, ita factum est.* OLYMP. In his omnibus calamitatum fluctibus, nunquam Iobus, cum secum solus ageret, Deo indignam ullam cogitationem suscepit. Hæc enim sententia ijs verbis, *coram Deo,* subiecta est. Homo enim faciem, Deus cor intuetur. Iobus autem, qui præclarè erat animo constitutus gloriosam Deo laudem detulit, improbis, insanisque cogitationibus repudiatis, neque solum reliquarum rerum amissio, sed ne orbitas quidem liberorum eum ad contumeliosè maledicendum Deo cogere potuit. Ac licet eum grauius ferre suspicaretur cæteri; nihil apud Deum tamen offendebar. neque cogitationem Dei præstantia alienam, animo est vnquam complexus. Sed Hebræus apertius, *Non est, inquit, conquestus de Deo.* Est item duplex testimonium admiratione dignum consequutus, *Nec vocem, inquit, ingrati animi testem, edidit, neque intelligentiam atque rationationem ad indignam philosophiam demisit.* Etenim insipientia non in verbis sed in mentis inductione quadam consistit. Prudentia enim ac sapientia functio quædam animi est, oculorum fugiens obrutum, religiosorum verborum parens. Aliam quoque Iobi laudem discimus non exiguam, quod neque apud Deum eius vita fuerit accusata. EPHRAÏM. Hinc intelligimus fieri non posse, ut, qui verè Deum verentur, in diaboli potestatem redigantur. Adoritur ille quidem animi virtutem conuellerè; sed euellere tamen non potest: quod ipsum facto minimè obscuro in Iobo declaratur. Tentationum enim architecto traditus est; nec eum tamen sine Dei permiffu

permiffu ausus est attingere; quamuis esset illi à Deo facta potestas, quod colluiffet, Iobo faciendi, vna ipsius anima excepta; quandoquidem nec in porcos, nisi largiatur Deus, ullam aduersarius obtinet potestatem. Vicit tandem Iustus aduersarium, perinde vt Paulus stimulum illum suum angelum satanz voluntatis studio, quo Deum verè atque ex animo amplectebatur. Neque enim carne infirma esse, & imbecilla, hoc est vinci: neque in damna, calamitatesque incidere, est cadere. Verum tunc demum quis cadit ac vincitur, cum in tentationibus non est eius spectata virtus. CHRYS. Dum igitur in terris degimus, nunquam respiremus, sed semper in pugilatione versemur; maximè verò cum morbi calamitate tentamur; quando dolores animum peruellunt vndique; quando cruciatus obsident; quando diabolus imminet ad aliquid de Deo loquendum asperius nos incitans vehementius. Nimirum tunc maximè decet à nobis propullari aduersarium, nosque ipsos thorace patientiæ & gratæ mentis armis protegi. Hæc enim tela sunt diabolo acerba, hæc luculenta plagæ, hoc tempus clarissimæ laureæ. Siquidem hoc beatum Iobum maximè illustrauit, hoc celebravit, quod, cum tentatione, egestate, morbo quateretur, constantiam retinens, nequidquam est tamen animo immutatus. Verba illa ad agendas gratias compositas, illamque spiritalem hostiam Deo obtulit. Victima enim verba illa erant, Dominus dedit, dominus abstulit, ac reliqua. Ergo nobis quoque illud semper faciendum est, vt in tentationibus, ærumnis atque insidijs speciosam Deo laudem tribuamus.

## CAPVT II.

Factum est autem quasi dies hæc, & venerunt angeli Dei assistere coram domino, & diabolus venit, vt in medio eorum assisteret coram domino. CHRYS. Quid tandem est, cur angeli Deo quotidie assistentes inducantur? Vt intelligamus rebus nostris consulit, atque ab ijs rerum, quæ aguntur, diebus singulis rationes referri. Mittunturque singulis diebus angeli ad rem quampiam administrandam, quanquam est id nobis ignoratum. A POLILINARI. Narrant illi quidem hoc item loco Iusti inuictum robur. Diabolus verò hominis constantia exulceratus, nouas fabricat machinas, genusque tentationis nouum conatur illi admonere. IVLIANI. Venit in medium angelorum quasi captus: nam illum pudebat, fugamque meditabar. Dicitur autem in medijs angelorum cœtibus versari, vt Iobum cum deposcit, ab eius procurandis rationibus angelos alienet. Sed quæ demum ratione assistunt angeli Deo? An verò administri spiritus à diuino obsequio discedunt aliquando? Verum quid tandem fuerit, quod à sua creatura opificem fecerere queat? Cui, propheta teste, cunctæ nationes vt eadi gurra, ac momentum stateræ reputatæ sunt. Quæ item ratione diabolus angelico dignatur conuersa? & verba vsurpat pernicies? & orationem à vera haurit vita? Quæ communio luci ad tenebras? quæ conuentio Christo ad Belial? Præsentiam lucis tenebræ ferre non possunt, neque probitatis hostis vitæ propinquitatem. Ergo religiosa est huius loci querenda cognitio. Duplex igitur hic nobis suppediat theoria. Etenim, cum Dei natura nequeat circumscribi, in eius conspectu rerum vniuersitas posita est; atque is etiam qui defecit Diabolus. Verum non perinde satanas, qui maledictis atque odio prosequitur Deum, in eius conspectum venit, vt naturæ illæ, quæ, quòd Deo propinquæ sunt, vitium ignoscat. Nam quod Deus cunctis adest locis, ad eundem diabolus dicitur accedere. Nec verò ad eum adire dicitur, quasi vitæ ipsius sustineat propinquitatem; sed ideo, quia eius, qui nequit desiniri loco, non potest fugere obrutum. Ita diaboli ingenium inuidum, dum prophetæ virtutem suam esse vulnus suspicatur, quemadmodum multos in eandem impellat calamitatem, crudelè inquit rationem. Nam ex peccandi societate scelerum pœnam vitare se posse arbitratur. Ita inferendis malis pietatis turrim labefactare conatur. In rerum, inquit, \* abundantiâ eum, cui victum subministrat, agnoscere vel ipsi mutis tributum est. R est autem igitur,

\* Suspicor habere labem in lectione huius catene græcæ, & pro à Phavia, à Phavia repositum esse: nam ex parte litera à abrasa, & ex o literam a cōfirmatā esse: cū plane constet literam si in verbo à Phavia, recentem esse, veterè abrasa. Quòd si à Phavia retineatur, ex interpretatio me tollitur abundantia: nihilq; erit præterea addendum.



igitur, ut opibus spoliatur, ut orberet liberis, ut corporis pariatur luem ac perniciem. Hac enim ratione planum fit, diligenter tanquam filius patrem, an potius muneribus prouocetur, ut solent, qui amicum appellant eum, à quo ijs merces perfoluitur. Istæc omni crudelitate imbuta cogitatio, vox sanè nuncupatur. Nā qui ea, quæ non videntur, fabricauit, eorundem actiones haud ignorat, neque ad arcanas rationes relegendas opus est ei voce aliqua. Verum quod sonitus vocis, quæ ore effertur, nobis est, cum ictu aeris auribus admouetur, notitiasque eorum, quæ dicuntur nostris animis tradit; hoc ipsum est Deo cogitatio. Itaque eum Deo colloquitur diabolus ac disserit, non vocis instrumentis ad eam rem adhibitis: qui enim ea forma orationis in eas naturas, quæ sunt à materia diremptæ accommodari possit? Sed nimirum illud in recessu \* inflammatū consilium vocem est imitatum; cum Deum minimè lateret. Quare Moysen quamuis sileret, ut vociferantem audire se dixit. Sic diabolus quem meditantem offenderat, quasi loquentem agnouit. Quæ enim diabolus contra Iustum moliebatur, non nesciebat Deus. Quod etiam illi ipsi tentandi potestatem faciebat, eandem Dei notitiam confirmat. Quod ipsum nobis cum exponit scriptum, interrogacionibus, responsionibusque usurpatis ac fingendis loquentum moribus dialogum conformat.

*Et dixit dominus diabolo. Vnde tu venis?* OLYMP. Videbat Deus satanam pudore videlicet æstuantem. Cum verò intemperanter agentem animaduertit, interrogando, rùm flagitiosè agentem coarguit, quemadmodum Cainum etiam coarguit. CHRYS. Sciebat Deus, vnde satanas adueniret, à Iusto iam superatus; sed tamen id videre volebat, num se victum diabolus modestè fateretur. OLYMP. Haud me fugit à quam & quam funesta tragedia redeas, quamuis victus & opertus nouum quoddam iam exquirens ac parans artificium: Ita vel ipsa interrogacione bacchantem illius refutat insaniam, conatusque refellit immanitatem.

*Tunc dixit diabolus coram domino, Cum peruaferim eam quæ sub caelo est, & ambulauerim vniuersam, adsum.* Nullam modestiæ partem nouit is: qui magister est superbiæ, quopis loco morum barbaricè testatur. Hic quoque conuersionem illam suam, & aduersus cunctos mortales inimicitias haud dissimulat: & quoniã quietis ac cessacionis est impatiens, vitij inconstantem sedem non obscure declarat. EYAGRIL. Idcirco Iobum non perambulat, quia non est sub caelo, cum in caelo vitæ suæ positas habeat rationes. Mentitur igitur improbus dæmon, cum à se pertentatos omnes in ditionem suam subiuctos esse confirmat. Ita nullo labore mendaciij insinuat. Nam qua demum ratione cunctos, ut ipse ais, mortales proculcaueris, cum vno Iobo superior esse nequieris?

*Dixit autem dominus ad diabolum. Attendisti igitur seruum meum Iob, quod non est ei similis super terram? homo sine malitiâ, verus, sine querela, pius, abstinens ab omni malo? Perseuerat autem in simplicitate, & puritate.* CHRYS. Cum acceptam cladè diabolus veller occulere, primùm illum reuocat sermonem, Et cum peragrauerim terram, adsum. Contrà verò Deus, quod inuidiosè ille regit, reteggit: & quoniã interrogando accepta: cladis ab aduersario non elicit confessionem; idcirco eam Deus quasi in columna incidit, Iustique victoriam propalam collocat. Cum ambulauerim vniuersam, adsum. Quid igitur huc te adduxit? Tu flagitasti: an non ipse dixisti? Trade mihi Iobi bonorum possessionem? Cur igitur occultas certamen? nempe ut eius laureæ splendorem obscures? Attendisti seruum meum Iob, quod non est ei similis? sine malitiâ. Ne te verbum hoc præteruolet, Illud potius obserua ex ea, quæ antegressa est, testificacione, nunquam simplicem ac purum appellatum esse, cuius nominis & si antea non est facta mentio, nunc nihilominus innocentia atque integritatis coronam ei impartitur, quandoquidem mala fuerat cum gratiarum actione perpessus. Quocirca, siquid deinceps audacius loquutus fuerit, simplicitati erit adscribendum, præsertim. cum ipse Iobus postea dicat, Videt dominus simplicitatem meam. Simplici verò & à nequitia profus remoto verbum aliquod haud ducitur fraudi; quandoquidem

non

non ex factis, sed ex animi consilijs iudicare soliti sumus. Iniuriam filius adfert patri: res plena impietatis, & quasi parricida condemnatur: quoniam nefariam vocem in patrem iactauit, suamque radicem ac stirpem est ausus dedecorare. Quod si puer simplex, ab omnique improbitate alienus patrem matremue verberauit, fuerit iniuria illa quauis voluptate optabilior. Quin etiam matres sæpe numero filios ad iniuriam vrgent atque sollicitat, sanè non iniuria, verum mentis simplicitate, integritate, atque innocentia delectata. Ita Deus, cum non ab improbitate vlla Iobi orationem proficisci intelligeret, iudex ab eo delectus, sanctum eundem Iobum iudicat: extratque illud Dei de Iobo testimonium; *Adhuc in simplicitate perseuerat.* APOLLINARI. Id est, nullum tibi, scelestè dæmon, eius innocentia ac simplicitas compendium fecit; in eadem enim simplicitate, integritateque perseuerat; quod peroptabas, haudquaquam perfecisti. POLYCHR. Pro illo, *Perseuerat adhuc in simplicitate ac puritate*, hebraus habet codex; Permanet in perfectione sua. DIDYM. Is verò ab improbitate abstinet, in quem illa ipsa cadere potest. Tunc est laudi locus, cum is, qui flagitiosus esse potest, odio improbitatis eam vitat. Vide autem quemadmodum post ràm acerbam tentationem, post bonorum, fortunarumque suarum exitium, post tam miserandum natorum interitum, dum ad illius laudationem aggreditur dominus, non à vero & irreprehensibili tanquam à capite laudem amplius accersit; id quod antea fecit; verum ex ipso facto nomen est mutuatus. *Sine malitiâ*, enim, inquit, nempe è re ipsa vocabuli causa quæ sita. Ille enim nec in laboribus, doloribusque ingemiscit, nec rursus in victoria audacter, insolenterque exsultat; *sed perseuerat in simplicitate*, id est, bonorum auctorem & constantia causam agnoscit. Vnde huius nominis est honorem adeptus. Nam qui simplicitatem & innocentiam retinet, simplex nuncupatur.

*Tu verò dixisti, rem eius sine causa perdere.* Id planius extulit Aquila, Commouisti me in eum, ut obruerem eum gratis. CHRYSOST. Frustrà, inquit, eius rei familiari inuidisti. Illius aduersus me pietatem à bonorum possessione excitari aiebas; bonis spoliatus est, pietate nequaquam. Noluit impudens tanquã Deo mihi fidem habere. Quid nec ipsa tibi experientia deinceps persuadebit, nō solum esse seruum meum beneficijs philosophiam metiri? Et illud animaduerte, non dictum esse, sine causa res illius perierunt; verum, *Tu dixisti sine causa perdere*; siquidem is nullam mercedem tulit huius amissionis, ac ruinæ. OLYMP. Nonnulli autem, *Tu dixisti sine causa*, aiunt, scilicet temerè, ac frustra ratiocinatus es. Si ei res fuerit adempta, animum ad maledicta conuertet. Idèque, *sine causa perdere*, suspicantur hoc esse, Iobo bona non ob facinus aliquod perisse, aut etiam quia non ea ad beneficentiam contulerat.

*Suscipiens autem diabolus dixit domino.* APOLLINAR. Verbum, *suscipiens* hanc habet notionem & vim; Cum hæc ita gesta essent, contra Iustum inire consilia haud desinebat, vel etiam quia ratione aliqua dimicando in eam curam, studiumque inciderat, eos imitatus athletas, qui captiosis manuum iniectionibus adoriuntur, falluntque aduersarium. Vt iam, *suscipiens*, pro illo altero sit, nihil non tentauit, nihil non expertus est, ut viri philosophiam periclitaretur, propositis etiam ad eam rem acerbis, impijsque certaminibus; cum is nullum modū nouerit statueret improbitatibus. OLYMP. Hoc loco considera summam eius viri sapientiam, qui cum egestate, orbitateque exerceretur, non modo a verbo ostioso ac turpi abstinuit, sed etiam orationem grati animi plenam usurpauit. Illi quidem sancti angeli victoriam gratulabantur, diabolus autè dentibus stridebat, iterumque illius vires experiendi rogat sibi fieri potestatem. Ac Deus, quæ eius est benignitas, cum eos, qui sibi ex animo famulantur, insignes ad gloriam facere optat, bellum laceffit, atque irritat, ut pudore deinde suffundatur vehementius, laudumque corona Iustum exornet, ut qui naturalem veritatem conseruari, nec quidquam calamitibus perueriti potuerit. Adhuc, inquit, in eadem simplicitate perseuerat, nullo accepto damno. Tu verò temerè cervicem exigebas, importunèq; nugabare, cum diceres, si bonorum possessione deiectus

E fuerit

\* ὁ πῶτος φωνήν, ἴδεν-  
διαν, ἡμῶν λε-  
γόμενον ἴσθι,  
ὁ πῶτος πρὸς μὲ-  
ν ἡ.

AVCT.

fuerit, conuictis armabitur. Contemplare hic quemadmodum Deus, qui antea prospexerat, cognoueratque euentum, sciebatque magnum Iobem nihil præter decorum loquuturum, aduersus Iustum instituentem lucæ potestatem dederit diabolo. Diabolus vero, cum quid consequenturum sit, haud sciat, neque ea, quæ in nostris cordibus latent, intelligere queat, de clade nihil metuens delirabat, cum aiebat, Nisi in faciem tibi benedixerit. Ac rursus de victoria beatè sperans, vt in corpore Iusti periculum fiat, obnixè contendit, dicitque;

*Pellem pro pelle, & omnia quæcunque sunt homini, pro anima sua exoluer.* Symmachus vero, Cutem pro cuti & omnia, quæ habet, profunder, pro anima sua. Licet eius, qui nostrum genus odit vniuersum, confutata esset audacia, agit nihilominus impudenter ac dicit, Nil magnum, si, quia aliorum corpora passa sunt, nequidquam improbè dixit; veritus enim est, ne te iracundia inflammaret, suoque corpore plagam exciperet, id enim significat, cum dicit, *pellem pro pelle*, sit etiam sæpenumero, vt quis manu opposita à grauiore aliqua iniuria vindicet oculum; pellèque pro pelle obiecta, parte corporis abiectiore ictum ferat, vt saluti præstantioris consularur. Quid igitur mirum opes despexisse, quando corpus pro corpore interitui obicitur? ictumque aut oculo aut capiti intentatum, obiecta manu repellimus, vt pars corporis nobilior sit incolumis? Necnon diuitias ad tuendam nostram salutem, nihil ipsi cunctantes profundimus. Aliter quoque licet eadem verba interpretari. Nam, cum studeret sceleris Iusti gloriam, quæ à Deo erat adeptus, eleuare, *pellem*, inquit, *pro pelle* dedit, id est, cum leuiter lapsus sit, leuem quoque est laudem consequutus; nec quidquam præcipui habet ad gloriam, cuncta à quopiam contemni, ne lædatur ipse: *Pro anima sua*, dixit id est, pro se ipso.

*Minimè verò; sed mittens manum tuam, tange ossa eius, & carnes eius; si non in faciem benedixerit tibi.* OLYMP. & CHRYS. Truculenta est atque impudens bellua, Neque enim satis habet nostris tantum carnibus saturari, nisi in medullas etiã & ossa peruadat, non cessat ab improbitate, nouum consilium meditat. Minimè, inquit, mirum videri debet, si bona amisit. Nam præ salute omnia putauit sibi esse contemnenda. Tunc autem is erit admirabilis, cum neque animam illi concesseris. Atque hoc ipsum is postulare videbatur, cum diceret, Omnia pro anima sua exoluer. Ergo corpori plagam inflige. Sed quamobrem id non rogauit initio? nimirum, quia secum ipse cogitabat, si fortè contigisset victum illum discedere, è rebus pusillis illustriorem se victoriam reportaturum; quod si secus euenisset, in corporis contentione se fore superiorem. Haud magno, inquit, bonorum possessio æstimatur ab hominibus; cuncta enim pro animi salute largiuntur. Nec verò dixit. Carnes solas tange, quin potius ad intima mali contagionem voluit permanere; tanta videlicet cum improbitate loquitur. Hinc etiam perspicitur, nullam antiqui draconis esse in nos potestatem, nisi detur à Deo, atque ob arcanas illas, quibus nobis prouidit, rationes. Ac, licet permittente Deo homini possit vitam adimere, per se tamen ipse malum nequit inferre. Postulat autem à Deo, quia, etsi lapsus est, nouit nihilominus nihil aduersus quempiam se posse, nisi Deus permittat: quæ tamen permissio non nisi sapienter fieri iudicanda est, quatenus à Deo proficiscitur. Quod verò dicit, eiusmodi est; Externi obsequij custodiam ab eo amoue. Neque enim eius est nobilitata virtus, quamdiu illum à qualibet oppugnatione tueris. Da mihi, vt tabe carnes eius, medullasque conficiam, solita enim est calamitas prodere eam mentem, quæ, cum non sit virtutum erudita disciplina, vnam voluptatem, tanquam tibi famulandi causam complexa est. Quapropter si tetigeris carnes eius, *in faciem benedixerit tibi*, hoc est, apertè conscindet te maledictis.

AVCT.

*Dixit autem dominus diabolo; Ecce trado tibi eum: tantum eius animam serua.* Theodocio verò; Animam eius ne tetigeris. OLYMP. & CHRYS. Rursus benignus Deus suos, qui corona digni sunt, cum apud angelos atque homines apertos, & insignes facere velit, & id largitur diabolo, nempe, vt ipsi intelligamus, nihil sine diuino permissu posse diabolum. Et huius quidem hæc erat vox; Tu tange carnes

carnes ipsius: ac ne carperet diabolus deum, quod cum clementia ac moderatone vulnus imposuisset, quod petebat diabolus, facere noluit. D I D Y M I. Verum illius potestati rem omnem permisit: idque ad nostrum omnium vtilitatem. Vt Iobus, character, formaque fortitudinis tanquam in columna relinqueretur insculptus, essetque meta virtutis non solum illius ætatis hominibus, verum etiam posteris, qui à mentis præstantia degenerassent. Quod profectò contigit. Ipse athleta audiendus est, qui ait, Scio quod iustus apparebo. Dum dominus eum diabolo tamen tradit, inquit; *Tantum animam eius serua.* Quorum verborum ea videtur esse sententia. Quosdam ob eas causas, abditaque rationes, quas nouit Deus, in mentis furorem, insaniamque incidere videmus. Quoniam igitur diabolum ad insipientiam Iustum deducere nitentur, vt vel repugnantem ad verborum impietatem contorqueret. Idcirco, inquit Deus, Trado tibi, quem depoposcisti, vt & eius magis testata sit virtus, & ipse maiore pudore perfundare. Verum enim mentis illi soporem, insanitatemque ne adferas; neque enim illi tibi permittitur. Cum mentis sanitate conseruata, in malorum perpeffione virtus sit ei ostendenda. Quare, vt petisti, carnes, ossaque eius tangito. OLYMP. Aut igitur hoc dicit, Principem animi partem ne attinge, verum in corporis cruciatibus animi pugnam experire. Aut certè, corporis illi facit potestatem; de eo tamen minimè assentitur, vt cum corpore animam subducas; maxime quod ex procreatione ac foetu duplicata erant illi bona restituenda, & quæ perierant, reuocanda. CHRYS. Ac vide quemadmodum non dicit solum, animam eius ne tangas, sed illud duntaxat, *Animam eius serua*, scilicet magnum illi merum iniicit. Animæ, inquit, eius incolumitatem à te reposcam. Nam, quia verisimile erat diabolum Iobo tanta perturbatione valetudinis fore infestum, vt idem morbus ad corporis satis esset interitum, eaque sese diabolus exceptione tutatus esset, quod animam minimè artigisset; idcirco, Obserua, inquit, nequid in vitæ ratione pariat. Etenim, si de medio eum sustuleris, theatrum nobis non plaudet amplius. OLYMP. Rursus simulachrum hoc aureum diaboli igne probat Deus; sed moderatione tamen adhibita: non eò profectò, vt perspiceret ipse, quem cognit habeat; sed vt diabolum apertè refelleret, nobisque virum tantum faceret insignem: illudque, *Animam eius serua*, pro illo est, Diuinam imaginem ne attenda. Nec verò id Deus mandauit diabolo, vt in Iobi animi salute excubaret. Nam qui tandem hostem à bene merendi studio suapte sponte ac natura abhorrentem tuendæ animæ præfecisset?

*Et egressus est diabolus à facie domini.* Rursus docemur eum, qui ad hominè adoriendum mentem conuertit, à facie domini exire. Nullum est enim studium improbum, quod non per se ipsum secernat à Deo; præsertim cum nullum habeat cum probitate commercium.

*Et percussit Iob vlcere uerbo à pedibus vsque ad caput.* CHRYSOST. Difficillimo eum, inquit, cruciatu affecit, lue atque elephantiasi corpus omne infecit, illudque perfecit, vt vlcus esset vnum, vnaque plaga corpus eius vniuersum, quod coronati virtus athletæ ex omnibus corporis partibus esset illustrior: nec quidquam temperare sibi potest improbitas, cum domestici, calamitosissimi que vitij sit quædam pernicies. POLYCHRON. Quadripartita ratio fuit calamitatis, quam diabolus Iobo importauit. Nam in bonorum possessione, in liberis, in existimatione nominis, ad extremum in corpore ea versata est. Etenim iam opibus, seruis, liberisque spoliatum vlceris atrocitate multauit. Miseranda & confestrix lues toto corpore effluebat; rerum omnium necessariorum, atque etiam eorum, qui agrotantem curarent, penuria premebatur. Deprauatio illa & sceditas turpificati corporis ciuitate eiectionem, foris collocarat. Nam qui contagione lepra corrupti sunt, è carcerorum conuictu extraduntur. Manu autem retro cruore stillantia membra ideo non abstergebat, ne nausægauiorem eieret; sed testam suam radebat, debebatque sub dio atque in stercorei domicilij tum vt humanas voces non exaudiret; tum vt incorruptum spiritum è cælo hauriret; vel etiam, quod est ad veritatem propèsius, vt maiore perpeffione doloris placatum

Deum efficeret. Legendum autem est, *ulcera* ex voce acuta collocata in syllaba proxima postremæ, ut doloris acerbitas declaretur.

*Et sumit testam, ut sanem raderet: & ipse sedit in sterquilinio extra civitatē. A P O L.* Aiunt nonnulli elephantiaco eum morbo arreptum esse. Multa igitur tabe fluente, ad acerbiores cientes dolores redundantem humorem testa radebat, sibi que ipse carnifex erat. Hebræus, pro illo, *ut sanem raderet*, habet, scalperet. Erat igitur in eo morbo Iobus. Neque casus illos tentationes esse, sed supplicia constituta diuinitus arbitratur. Idcirco à vulgi communione abstractus, cum inuisum se cunctis esse crederet, solitudinem delegit, in sterquilinio, quod in conspectu urbis erat, confidebat, deumque exorabat, ob ea fortasse, quæ per inscientiam peccarat, cupiebatque sibi vindicem in his sordibus iacenti fore propiciū.

**C H R Y S O S T.** Cur nec manibus nec digitis sanem abstergebat? Scilicet, ne curatio esset stomachosior. Nam qui alios ad curandum idoneos reperisset, qui se ipse curare non poterat? Ipse sui ipsius tortor erat, & carnifex, non latus perfodiens, sed tanquam è fonte manantem tabem abscondens, lutoque inanimato animatum lutum radebat. Sed cur in sterquilinio sedebat: ut quæ è corpore decidebant, arenæ aceruo contegerentur. Cur sub dio? ne odoris grauitate neceretur: quod profectò accidisset, si in aliquod cubiculum inclusus fuisset. Adde, quod à tentante aduersario nec fuerat illi domus relicta. **B A S I L.** Qui simul ut vidit, athletæ adiudicatâ esse victoriâ, nec quidquâ eum superioribus rebus esse commotū, cum corpore certamen inuit, illudque plagis intolerabilibus affixit; ita prorsus ut ex eo vermiū fontes redundarent, ac regio virtū illum solio derurbatum in stercoreum domicilio collocauit. Verum hic noster tor affectus incommodis, eandem semper animi intencionem, constantiâque adhibuit: cumque corpus ipsum concerperetur, thesaurū pietatis tanquā asylum in mentis recessibus custodiuit. **C H R Y S.** \* Grauis quidem illi accidit amissio liberorū: sed tamen

\* *Hæc sumpta sunt ex Homil. 5. ad Populū An-tioch.*

tragediæ huic acerbæ, alia præstolabatur atrocior; nec vlla data respirâdi facultate, en tibi vermiū fontes, tabifici humoris riuuli, sessio in sterquilinio, latus lacerant testa, scetor ulcerum, vnde lues illa erumpebat, nec attingendi, qui oculis subiecti erât, cibos, potestas fiebat; ipsaque peste erat illi scetor molestior: idque non duodecim, non viginti, non centū dies, sed multos menses. Atque hæc ipsa, quæ à Iobo suppeditantur exempla ad marentiū solandos animos, haud mediocrem vim habet. Illa inquâ vulnera, illud sterquilinium quauis regali sella splendidius. Siquidem è regij solij aspectu præter leuem quandam voluptatem nihil præterea manet intuentibus; vtilitas nulla percipitur. Verum, qui Iobi sterquilinium contemplatur, nullam aut vtilitatis, aut philosophiæ partē non assequitur, cum ad perferendam calamitatē certam adhortandi habeat rationem: ita multi longinquas ac maritimas suscipiūt peregrinationes, ab vltimis terris in Arabiâ properant, ut sterquiliniū illud visant, tetramque illam exosculentur, quæ coronati athletæ caueam, & cruorem quolibet auro pretiosiorum excepit. Nec enim tantus est splendor purpuræ, quantus illius tunc erat corporis, non alieno sed suo ac proprio sanguine respersti: illaque vlcera cunctis pretiosis lapidibus erant pretiosiora. Nam margaritarum ea natura est, ut nostræ vitæ nihil præbeant vtilitatis, nullique satisfaciant habentium necessitatibus: at verò vulnera illa sunt omnis ægritudinis alleuamentum. Atque ut hæc vera esse intelligas; si quis filio legitimo & vnico orbatu sit, atque innumerabiles ei margaritas ostenderit; nihil tamen ad leniendam ægritudinem, dolorique medendum attuleris. Quod si Iobi vlcerum illi ipsi memoriam excitaris, facilè hac oratione morbum depuleris. Quid homo mæres? nempe tu filium amisisti vnum; beatus autem ille, postquam natorum omnium chorū extinctum vidit, ipso corpore plagam excepit, nudatus iacebat in sordibus, corpus sanie manabat vndique, artus tabe sensim depascente; atque is homo, qui iustitia ac religione commendatus est, qui suarum virtutum testem Deum habuit. Hæc profectò verba si dixeris, explorati molestiam omnem exhauseris. Ut iam illa Iusti vlcera quibuslibet geminis præstent vtilitate. Hæc igitur athletam vestris animis imformate, illudque

fordium

fordium domicilium ante oculos ponite; atque eum in medijs stercoreibus residentem intuemini; illam inquam aureâ gemmeamque statuam; nec enim quo appellem nomine, satis inuenio. Nulla tanti pretij suppeditat materia, quæ cum eruento illo corpore conferri possit; adeo illius carnis pretiosa natura pretiosissimam quamque materiem multis partibus vincit: adeo etiam illa vlcera sunt solis radijs clariora. Illa diabolo oculos penitus eruerunt; atque ob id ipsum post eam inflictam plagam coniectus in fugam, postea nusquam comparuit. Ipse verò hic mihi ærumnarum fructum considera. Nam quando Iustus, opibus, animique quiete ac remissione fruebatur, illius accusandi locus erat aliquis diabolo; poteratque (mendaciter quidem) sed poterat tamen dicere antè, Gratis Iob colit: vbi verò cunctis illum rebus nudauit, atque ad inopiam redegit, ne hiscere quidem amplius ausus est. Et verò quando opulentus erat, cum eo se congressurum pollicebatur, eisdemque à se deiectum iri minitabatur. Postea verò quam omnibus eum rebus spoliavit, atque in summos cruciatus coniecit, in fugam se contulit; & corpore quidem valenti restitit; vbi verò membra dilaniavit, vltus profugit. Vidistine, quanto sit frugi hominibus paupertas quam diuitiæ, morbus quam valetudo, tentatio quam pacata vita tum melior tum vtilior? quantoque illos, qui in puluere, acieque versantur, clariores, fortioresque efficiat? Quis adeo mirificas contentiones aut vidit vnquam, aut audiuit? Qui gladiatorum certamen experiuntur, vbi aduersariorum caput præciderint, tunc ob victoriâ corona donantur. Iobi verò aduersarius, vbi illius corpus conscidit, atque omnis generis vlceribus perterebrauit, & languore confecit; tum demum superatus est, fugæque se dedit. Postquam autem latera vndique perfodit, ipse quidem nullum quæstum, lucrumque fecit; nec enim thesaurum obrutum prædari potuit: nobis verò illum in clariore luce collocauit, fecitque ut nobis ex ea laterum effossione esset in viri interiora prospectus, illiusque opes vniuersas cerueremus. Cum autem victoriâ præstolaretur, tunc cum ingenti dedecore aufugit, nullamque vocem amplius emisit. Quid actum est, ô diabole? quid recedis? an non quæ cupiebas, ipse effecisti? an non illius greges, armenta bouum, quorumque mandras ac mulorum interemisti? an non cæterum filiorum perdidisti? an non illius artus lacerasti? cur aufugisti? nimirum, inquit, quia quæ optabam, perfecta sunt. Verum quod mihi maximè cordi erat, & quo studia actionesque meas referebam omnes, haudquaquam consequutum est. Nec enim Deo vocibus impijs conuiciatus est. Huc omnes illi conatus mei spectabant: quod ipsum cum minimè fuerim assequutus, ex ipsa opum iactura, ex filiorū interitu, ex corporis plaga non modo nihil mihi lucrī accessit, sed contra etiam, quam optabam, euenit. Illustriorem enim, insignioremque hosti gloriam comparauit. Animaduertisti, quantum sit in malorum perpeffione compendij? Pulchrum & sanum corpus erat; multo est ampliorem dignitatem adeptum, vulneribus illis infectum. Nam lanæ quoque tametsi pulchræ sunt, prius quam sufficiantur; vbi tamen colorem nactæ fuerint purpureum, pulchritudinem incredibilem, venustatemque haud mediocrem assequuntur. Nisi illum dispoliasset, victoris bonam habitudinem minimè cognouissemus. Nisi corpus eius plagis perforasset, qui intus latebant radij, minimè enituissem. Nisi eum in fimo collocasset, tantum diuitiarum aceruum ignorauissemus. Neque enim tantus est regis splendor sedentis in folio, quantus Iob' fuit in sterquilinio commorantis. Quandoquidem regalem sellam mors excipit; illam autem stercoreum sedem regnum cælorum. Hanc proposui historiam non ideo, ut, quæ exposita sunt, laudibus prosequamini; sed ut viri virtutem patientiamque imitemini; ut vel ipsis factis eruditi, nihil graue esse discatis in humanis rebus, vno excepto peccato; non paupertatem, non morbum, non contumeliam, non conuicium, non dedecus, non id, quod summum iudicatur malum, mortem. Nomina enim hæc sunt apud sapientes, malorum nomina inquam, re ipsa carentia. Vera autem calamitas est apud Deū offendere, & eorum, quæ eidem non probantur, quidpiam admittere. **EIVSDEM C H R Y S. A D O L Y M P.** Restat, ut rectè facta, malorumque perpeffionem

contendamus.

contendamus; ut discas perpeffionibus etiam constituta esse præmia, atque ampliora forrasse, quam præclaris facinoribus. Et in medium, si placet, magnum patientiæ athletam, qui in utroque genere excelluit, adducamus, ut, quando in maiore fuerit claritate, cognoscamus. Ex comparatione igitur videamus, quo demum tempore illius virtus magis eluxerit, utrum, quando cõmunis quidam portus erat egentibus; an potius cum acerba, & quæ eius animum graui conficerebatur angore, patereretur; utrum, cum domum cunctis aduentantibus patefaceret, an verò cum illa eiectus, nec verbũ quidem asperius dixit, sed Deum multò magis laudauit. Atqui illud rectè factum, hoc verò perpeffio. Dic mihi, quando is clarior fuit, utrum cum pro liberis mactabat hostias, illosque ad concordiam adducebat; an potius, cum in ruina oppressi essent, ac vi mortis acerbissima interissent; mira nihilominus sapientiæ virtute perturbatus? Quando is magis nobilitatus fuit, utrum cum agnorum suorum vellere nudorũ humeri concalefebant; an verò, cum allato nuncio de cœlesti igne, quo grex ouium cum pastoribus crematus est, non solum nec perturbatus est, nec commotus, verum etiam casum placidè tulit? Quando is maior fuit, utrum, cum corporis robore ad parocinandum ijs utebatur, qui afficiebantur iniuria, iniquorumque molas conterebat, portusque erat iniuriam patientibus; an verò, cum ipsum illud corpus, quod calamitosorum telum erat, à vermibus deuorari videbat, illud que in sterquilinio sedens sumptã testa radebat? Nam cum raderet, inquebat, Liquefacio glebas terræ sanie; & tamen illa omnia facinora erant egregia. Hæc verò malorum omnium perpeffiones, atque hæc multò magis, quam illa hunc ipsum Iobum illustrarunt. Quod enim illi ad perpetiendum proponebatur, confictus pars erat acerrima, animique virtute ac robore maiore, menteque ad solidam philosophiam instituta, maioreque erga Deum amore incensa indigebat. Atque ob id ipsum, cum præclaras illas actiones Iobus suscipere, nihilominus dixit diabolus, impudenter ille quidẽ, nimisque efferatè, sed tamen dixit, Nunquid grãtis te colit Iob? At verò cum hæc aduersa contingerent, operus ac terga vertens abcessit, nec vmbre quidem vestigio ad impudenter contradicendũ aduersario relicto. Verum huius viri studio prouectus, non parum ab instituta oratione videar declinasse. Ergo ad ea, quæ dicta sunt, reuertar. Cuiusmodi autem illa erant? POLYCHR. Sedem extra urbem sortitum esse in sterquilinio ad atrocitatem malorum pertinere dicebamus. Cuius enim eius atque cognatis, calamitatis aspectum, quasi non amplius ferentibus, vrbe egressus est, ut qui à mundo iam esset alienus. Sedebat autem in sterquilinio, ut placaret Deum, veritus nequid in eum, præter voluntatem peccasset. Si igitur in verbis hærendum sit, hic Iob calamitate cogente, omni hominum societate repudiata, se à mundo fecerunt, ab iisque se remouet, quæ eidem negotium facebant; idque eo tempore, cum corporis afflicta valetudo multorum egeret opera; tantumque de aduersario laborauit, ut sua sponte asperrimam pauperitatem complexus sit, ac testa vlcere sanie detergens, tolerantiam exercuerit: in quo & cruciamentorum suorum morsus acriores efficiebat. Et cum leniendi morbi nullam rationem ducit, inuidum hoste desperatione frangebat. Verum factum ipsum menti mysterium enunciat. Quod enim cognatæ naturæ recognata præstat obsequiũ, \*

\* Imitatus est Gregorius lib. 3. cap. 11. moral. hanc Polychr. allegoriam, sed paulo scius est eã persequens.

\* Christum præsignificabat, nostra nostris corrigentem & instaurantem. Testa enim è terra conitat & igni. Ita Christi carnem ex spiritu sancto, & ex Maria virgine, ac deipara esse constemur. Ergo imagine illa ac typo non tam vlcus, quam animus curatur. Quæ enim ab ea testa corpori medicina petatur, nisi ad magis reconditam contemplationem factum illud referatur? Cur etiam tantam egestatem expertus, præsertim cum rex esset, ut iam tecto careret, atque extra urbem sederet; nisi Christum, qui extra portam passus est, prophetice nobis indicaret? Quemadmodum scriptum est, Ideo & Iesus, ut sanctificaret per proprium sanguinem populũ, extra portam passus est.

Cum autem multum tempus processisset, dixit ei vxor sua; Quousque sustinebis, dicens; Ecce exspecto tempus adhuc pusillum, prestolans spem salutis meæ? B A S I L. & D I D Y M.

Tot

Tot incurffionibus ac pugnis fractus diabolus, cum, quo se verteret, non haberet, in antiquæ fraudis memoriam redit; menteque mulierculæ circumuenta, illius opera conuellerè adortur gnauiter dimicantem, & vxoris consuetudinem tanquam tertium cetræm comparat contra Iobum, ratus, patrocinate vxore, non secus in fraudem à se inductum iri Iobum, quam per Euam Adamum induxerat. Igitur, cum multum temporis fluxisset, in quo ad pietatis turrim quatiendam inanis eius fuit omnis conatus, verborum contumelia atque contemptu coniugem armat. OLYMP. Is quidem egestatem, acerbosque casus diu toleranter tulerat, sibi que ipse huiusmodi oratione consolationem adhibebat, ferèdum est viriliter; mentis constantia adhibenda; à Deo auxilium expectandum; neque enim in opitulando hisque malis depellendis cunctatur Deus. Verum, eum iam vxor in calamitatibus animum contraxisset, ad munitissimũ murum exturbandum tanquam postrema machina est à diabolo reseruata; quando quidem post diurnam aduersus Iustum oppugnationem, vxoris vitur imbecillitate, ipsamque contra eum armis instruit, quod ipsum aliàs in eum fecerat aduersus Adamum. Illa igitur, cum rerum acerbiori iam succubisset, spiritu diabolico imbuta, ad huiusmodi verba delapsa est. Ac principio persuadere conatur, eius in Deum spes prorsus esse inanes, à præteriti temporis diurnitate ad probationem futuri ducto argumento; deinde, quæ mox sequuntur, adiungit. Ac vide, quam improba calliditate vtatur diabolus. Nam, postquam multum temporis abiit, tunc inuadit, tunc maxime spei rationes refellit; tunc vires conatur elidere. Duplici enim imbecillitate eo tempore Iobus laborare videbatur. Nam longinquitate temporis erat factus deterior, & imbecillior, & spes haud parum extenuari posse videbatur. Neque illud spectemus, quòd vxor fuit, sed illud potius, quòd suadet. Cunctisque sum auctor, non ut hominum dignitates & ora, sed multò maxime ut consilij rationem intueantur. Vxor enim data est, non quæ virum ad exitum impelleret, sed quæ laboranti subueniret. THEOLOG. Hanc etiam tunc aduersarius in strenuum militem incitauit. Ea verò cum plenum doli sit instrumentum, fraudulenta oratione virum aggreditur. CHRYSOSTOMI. At ille, cum longius traheretur contentio, nouis rursum coronis, ob verba ad coniugem redimitur. Ex illa rerum omnium, fortunarum, liberorum & corporis ruina vxor ei sola relicta est, atque hæc ipsa ad oppugnandum atque insidiandum, eaque de causa illam vnã cum filiis diabolus non extinxit, neque eiusdem interitum poposcit. Ad Iusto enim parandas insidias haud paruum ab ea auxilium expectabat. Idcirco eam tanquã certissimum telum reseruauit. Si enim ex paradiso, inquit, eum mulieris ope exturbauit, multò magis in stercoreis acervo euertere poterò. Ac vide sceleratũ artificium. Nec enim post bouum, asinorum ac camelorum greges abactos, neque post euerfam domum, neque post obrutos liberos, raachinam hanc ille adhibet, sed interim file, & quiescit, oculis in vnum athletam coniectis. Cum autem vermium fontes redundarent; & tabe corrupta cutis decideret, & consumpti artus sanie cum tetra odore emitterent; manusque dæmonis acerbiorè sensu doloris quam quæ libet sartago, fornax & quæuis flamma eum absumeret; & qualibet fera immanius vndique corpus circumroderet, ac deuoraret; atque ea calamitate per diu confictaretur, tunc demum homini languore corporis; & pugnandi labore confecto machinam illam admouit. Etenim, si, cum primum illarum est ei malum, machina prodisset, eum tam in firmis viribus minimè offendisset; neque ipsa mulier vim calamitatis efferre verbis & exaggerare tantopere potuisset. Nunc autem, vbi eum longinqui temporis pertraxerunt, malorum calamitate liberari velle animaduertit, nimirum accedit. Iam enim vehementi oppugnatione defatigatus erat, nec vlla ei facultas erat respirandi; quin etiam mortem ipsam libenti animo appetiuisset. Audi, quid dicat, Si enim possem mihi ipsi manus afferre, aut rogare alium; & hoc mihi faceret. Ac mulieris considera cum scelere coniunctã calliditatem, quemadmodum à temporis diurnitate statim ducat exordium; Quousque sustinebis? inquit. Quòd si nudis verbis, remotis rebus, mollimur in-

terdum:

terdum: tute cogita, quid eum passum tunc esse verisimile est, cum his verbis ac rebus ipsis torqueretur; & quod peius est, cum hæc ipsa ab vxore dicerentur, atque ab ea vxore, cuius animus reciderat, ac desperatione fractus erat; idque agebat, vt in eandem desperationem virum coniceret. Sed nimirum, vt quæ machina adamantino muro admota sit, apertius cognoscamus, verba ipsa audiamus. Cuius tandem modi illa sunt? *Quousque sustinebis, dicens, Ecce expecto tempus adhuc pusillum, & solans spem salutis meæ?* Tempus, inquit, ipsum, tua verba refellit, quod cum sit iam diuturnum, mala tamen ipsa non tollit; hæc autem non eò tantum loquebarur, vt eius animum desperatione occuparet; sed etiam vt eum conuicijs maledictisque insectaretur. Etenim eam Iobus molestiam exhibentem sæpè consolatus erat, atque his verbis repulerat; Expecta etiam paulisper; nam breui tempore erit exitus malorum. Conuicium ergo illi faciens, inquit, An etiam nunc id ipsum dicturus es? Multum fluxit temporis, cum nullus harum rerum finis ostenditur. Quid o mulier, athletam eneruas? quid manus contrahis? nempe dicendum erat, Etiam paululum. Atque perditum artificium perspicere; neque enim meminit aut boum aut ouium, aut camelorum. Sciebat enim harum rerum amissione haud magnopere illius animum exulceratum esse. Ad naturam statim properat, ac filios reuocat in memoriam; siquidem in eorum ruina tunicam illum discidisse, comamque torondisse vidit: nec dixit, filij occiderunt, sed nimium patheticè;

*Ecce enim delecta est memoria tui à terra.* Et idcirco liberi appetuntur. Principio enim ideo expetebantur filij, vt sui quisque memoriam suæque vitæ quasi reliquias posteris traderet. Quia enim nondum mortalibus illis spes fulterat resurrectionis; verum mors dominabatur, & vnà cum vita hac, qui moriebantur, extingui se arbitrabantur, ideo ijs liberos, qui solatio essent, concessit Deus; quo vitæ imagines morientium permanerent, essetque genus nostrum incolume, maximumque morituris, & ijs, qui ad eos pertinerent, solatium proles adferret. Atque vt intelligas vel ob hanc vnam rem optabilem prolem fuisse, audi quid post tam multas & inexplicabiles plagas apud Iobum coniunx lamentatur, *Ecce delecta est, inquit, memoria tui à terra.* Ac rursus Saul ad Dauid, Iura mihi, vt non deleas semen meum, & nomen meum post me. Etenim, si nunc in restatæ resurrectionis luce, ita cari sunt filij, vt eorum, qui decedunt, posteritati prodatur memoria, quanto tunc magis expetitos fuisse credendum est? Atq; hæc de causa asperior est imprecatio. Nam illis quoq; temporibus qui proli malè precabantur, non aiebat, Exterminentur liberi: sed, memoria eius à terra.

*Filij & filia.* Cum dixisset memoria, nunc vtriusque sexus naturam exequitur diligenter. Non filius, inquit, non filia superauit, qui propagatione memoriam ruerentur, ac si diceret, Quamuis ipse consanesceas, inanis tibi voluptas erit ex valetudine, extinctis liberis. Prisci enim illi spem omnem perpetuitatis in successione liberorum positam habebant, futuramque promissionem mortali resurrectione æmulabantur. Tacuit illa de ouibus, de pecoribus. Alta enim & exaggerata eum mente esse haud ignorabat. Quod eum poterat percellere maxime, id suggerit. Quam operitis, inquit, rerum commutationem? Vtrum sublato funditus liberos credibile est aliquando redituros? Proles expers, orbatus filijs, relicto prorsus nullo, euulsus es radicibus. Quod si ne hoc quidem te tangit; id saltem, quod meum est, attende. Ac vide vim affectus incredibilem;

*Vteri mei labores, & dolores, quos frustra sustinui cum gemitibus.* Dolores partus sunt videlicet labores educationis. Quod autem dicit est huiusmodi, Ipsa, quæ plus suscepi molestiæ, iniuria sum tua causa affecta; ac labores quidem pertuli, fracta autem priuata sum. Hæc verò propterea loquitur, vt se quoque consortem calamitatis testetur. Nam, qui in malis alienis philosophatur, dando consilio, fidem nequaquam facere videtur. Illa igitur suam semper personam obtudens, cum singulis verbis quasi iaculis configit, vt liberorum recordatione, suæque ærumarum commemoracione Iustum vocet ad impatientiam, Cur, inquit, id quod adest, contemnis, teque ipsum futuri temporis expectatione frustra confirmas, cum

cum liberis ac domo careas, nudusque contabescas?

*Tu autem ipse.* Vis magna hæc verborum. Ipse ille Iustus, ille admirabilis, ille sens nobis bonorum.

*In putredine vermium sedes pernoctans sub dio.* Vide quemadmodum iacturam bonorum nec commemoreret, nec sileat, & ea, qua decebat, ratione prætermittat, & quo par erat affectu significare, prorsus indicet. Dum autem addit;

*Et ego oberrans quædam & ancilla de loco ad locum circumiens, & de domo ad domum.* Et hæc accepti damni significationem habent, cum vehementis calamitatis affectu coniunctam. Satis enim ea verba per se ipsa valent ad acuendum cruciatum, Ad alienas ianuas, inquit, ventito. B A S I L I I. Ipsa, quæ eram regina, vt vaga nunc ancilla serui; seruatorumque meorum manus cogor respicere: & quæ olim multos benigne alebam, viuere nunc cogor de alieno. C H R Y S O S T. Nec stipem modo cogo, verum etiam oberro, ac nouam, inusitatamque serui seruitutem, omnia circumuersans, ac notas circumferens calamitatis, cunctisque mea mala ostentans; dum loco locum commuto, & cibi quotidiani causa fores pulso; quæ tantos superius faciundi, antè nacta eram facultatem. Quasi diceret, Non solum natos nominis nostri segetem amisimus; non solum ipse torvæaris ærumnis; verum etiam inopiam grauissimam sustinemus, ac ius mercenariorum pro victu delegimus, ipsi qui nostrâ adeo large egentibus præbebamus. Quanquam ego ipsa neque seruitute tueri me commodè possum; cum ne domus quidem suppeditet vnâ ad paupertatis turpitudinem obregendam. Verum mendica, additaque seruituti hac illac volito. Viden quemadmodum suas cum illius rebus coniungat? Non valent, inquit, tua: vincant mea. O L Y M P I O D. Hæc omnia diuino permisso eueniebant, vt, cum oppugnat Iobum Diabolus, atque ea, quæ sibi permilla sunt, persequitur, eundem cunctis certaminibus iam defunctum victorem corona dignum ostendat. Atq; ob id ipsum neque vxorem eius quisquam miserabatur; nec quisquam superioris, in qua ipsa fuit, felicitatis repetita memoria, eius solabatur mendicitatem. Quandoquidem non sinebat hostis, vt illi quisquam misericordiam impertiretur: quam etiam mercede locauit: id enim verbum, *ancilla*, declarat obsequij indigentibus illam famulata esse, ad suam, sui que viri vitam sustinendam. C H R Y S. Postquam, quod est cæteris rebus miserabilis, exposuit, de domo in domum se migrare, ne finem hic faciat lamentis, addit;

*Expectans solem, quando occidat, vt requiescam à laboribus & doloribus, qui me vrgerent.* C H R Y S. Quod alijs iucundum est, inquit, solis radios intueri; id mihi est acerbum, nox optabilis, ac tenebræ. Illa mihi sudorum requierem largitur; ea mihi solatium adfert malorum. Tum demum consolatur me dies, liberatq; molestiis, cum solem vrget ad occasum. Nox enim, cum in tenebris diuersorum habeat constitutum, sua sponte obsequitur improbitati. Proinde mulier, remisso nuncio calamitatis, furere dæmonis concitata, hanc vnam suadet Iusto superesse liberationem malorum. Si corpus intereat. Id autem posse illum cõsequi, si contumeliosis verbis Deum laceffat; atque ad afferendam necem illum ipsum prouocet. Flagitiosa autem & callida arte consilium explicat; cum ex suis ac viri calamitatibus comparat orationem. Eò partus, inquit, dolores experta sum, eò in educanda prole laboravi; vt tui memoria videlicet in liberis relinqueretur. Huius rei spes omnis euauit; mares ac fæminæ vnâ occiderunt. Ad quem mihi in posterum perfugium erit? ad tene ipsum totius calamitatis parentem vermibus redundantem? egentem? abiectum? num ad me confugiam miseram? incertis sedibus vagantem? ex tam magna felicitate ad operæ locationem deductam? rotius diei doloribus, difficultatibusque exagitatam? Quod si mihi quidquam credis, dic verbum aliquod in Deum; ita eum incita ad te interimentum. Vnum enim hoc est relictum malorum remedium. Ita subiungit;

*Dic verbum contra Deum: & morere.* C H R Y S. Hoc item loco sceleratam fradem animaduertisti? Nec enim statim mortem ei suadet. Verum calamitatibus prius miserabiliter expositis, ac breuiter recitata tragœdia, instruit adhorrationem,

F ncm,

nem, non quidem aperte, sed te tē, liberatione, quam ille optabat, maximē propo-  
 sita, exitumque pollicetur malorum, quod is cupiebat in primis. Atque hic  
 etiam diaboli plenum fraudis artificium cognoscet, qui, cum flagrans Iobi erga  
 Deum studium præclare teneret, haud sinit vxorem accusationem contra Deum  
 facitare, vt eam tanquam aduersariam non statim auersaretur. Ideo nusquam  
 Dei mentionem facit; calamitates tantum semper misceat. Tu verò cum dicitur,  
 mulierem consilium hoc meditatam esse; adde, Quæ præstigiis eloquentiæ  
 ad fallendum eos qui sibi non cauent, valet plurimum. Quocirca multi, qui ca-  
 lamitatibus obrui nequiverunt, mulierem consilio oppressi sunt. Itemq; hoc loco  
 diabolus mulierem tanquam postremam machinam, superioribus longè præ-  
 stantiorē admouet Iusto. Quod vitam aut eam, o scelereste, submouisses, aut  
 vnā cum filiis euertisses. Aiunt nonnulli non vxoris ea verba fuisse, sed diabolum  
 eius similitudinem, imaginemque exprimentem, eadem loquutum esse: quod  
 credibile non sit Iobi vxorem eiusmodi extitisse, nisi quispiam dixerit, calamita-  
 tis magnitudine, vt talis esset, circumuentam fuisse. Est item verisimile, non hoc  
 primum consilium ab ea adhibitum esse; sed alia multo a superioribus Iustum ab ipsa  
 illa sæpenumerò audiuisse. Ac diaboli cognosce nequitiam. Nam Euz cogitatio-  
 nem suscepit. Mulier, principem, inquit, hominem deiecit. Hæc igitur hunc  
 offendisset, potuit virus spargere suum: hunc autem & philosophantem vides,  
 & communi natura longè superiorem; quem nec bonorum amissio, nec imma-  
 tura mors liberorum, neque cruciatus intolerabilis, nec temporis diurnitas  
 flexit. Hunc igitur, qui rebus vinci non potuit, verbis expugnare te posse confi-  
 dis; sed nimirum mulier post accuratam tragediæ narrationem, impudens con-  
 silium obrudit. Neque verò enucleate dicit, Blasphemia. Nam qui suadent im-  
 proba, haud solent perspicuam adhibere adhortationem. Quid ais, mulier? Cum  
 necesse sit Deum exorare; cum necesse sit eum placatum efficere; ad eundem la-  
 cessendum me hortaris? Etenim, si horum omnium Deus est auctor, imploran-  
 dus est, non conuictis incessendus. Et verò qui scis, me, vbi maledixero morituru-  
 m? **A P O L L I N A R I I.** Affinitate hæc attingit diabolus, quæ hac oratione  
 spem viro præcidere conatur, Blasphemia mortem lacesse. Id autem ei consilij  
 dat, quod existimabat, quemadmodum ob præclaras, honestasque actiones Iob  
 maneret in vita; ita ob verborum impietate omnino à Deo multatum iri siqui-  
 dem mortem acerbæ vitæ illa anteponebat. Tu verò, quæ de blasphemia fuerit  
 mulieri sententia, cognosce. Blasphemiam enim solam idoneam esse statuebat,  
 quæ subitam necem adferret. **I V L I A N I.** Quidam defendendæ mulieris partes  
 suscipiunt, quod ea tanquam religiosa, & quæ ab illo olim erudita fuerat, sua-  
 deret viro, vt precibus ad se mortem allieceret; Ne forte aliqui illius calamitate  
 offensi, de eo improbè loquerentur; eaque re à Iobo muliebrem vxoris amen-  
 tiam, non impietatem condemnatam esse. Verum id mihi non probatur; ipsam-  
 que expositionem improbo. **B A S I L.** Ob temporis diurnitatem spe prorsus  
 abiecta calamitatibus succumbens vxor, manus collidens, ac viro pietatis fru-  
 ctus exprobrans, sistit se Iusto, superioreque felicitàte exposita, præsentia mala  
 demonstrat; & ex quo ad quale vitæ genus demigrarit: & quæ à domino tot  
 victimarum ei merces fuerit perfoluta, ostendit, semperque mulierum pusillo  
 animo digna verba eructat, quæ quidem possint vnumquemque virum permou-  
 ere, generosamque animi virtutem detorquere. Nec verò obscure viro suade-  
 bat rectius futurum illi, si verborum impietate Dei mucronem, qui illum ex-  
 cindat è terra, exacuerit, quam si malorum tolerantia, certaminum grauem mo-  
 lestiam tum sibi tum coniugi produxerit.

*Is autem inueniens in eam dixit, Quasi vna stultarum mulierum loquuta es.* **BASIL. & CHRYS.**  
 Cum ea verba stomachu Iobo mouisset, (id quod superiora mala facere minimè  
 potuerunt) pleno iracundiæ vultu, truciq; aspectu, ad vxorem conuertitur; & quæ  
 contra se ab illius vocibus comparabantur, machinas depellit. Illa quidem certè  
 expectabat, dum lachrymarum fontes ciceret; hic autem læone valentior extitit,  
 cum

cum non ob ea, quæ patiebatur mala; sed propter illa, quæ coniunx impulsu dæ-  
 monis suadebat, indignatione atque iracundia vehementius commoueretur: ac  
 vultu offensionem animi præ se ferente illam moderatè obiurgat: quandoqui-  
 dem in ærumna moderationem tuebatur. Quid tandem is loquitur? Quam-  
 obrem, quasi vna stultarum mulierum loquuta es? haudquaquam ita es mihi ipsa insti-  
 tuta, non ita es à me educata, vt non te iam coniugem meam possim agnoscere.  
 Verba enim isthæc mulieris sunt insanientis, estque consilium planè delirantis.  
 Mirre, igitur, inquit, mulier consilium istud tuum: quandiu sermonibus istis  
 communi vitæ contumeliam inures? meam (quod ipsum optavi nunquam)  
 euentita es educationem. Cum ista ratione loquuta es, irem vitam iniuria affe-  
 cisti meam: nunc mei dimidium impietate obligari puro; quando ius connubij  
 corpus vnum nos ambos fecit: tu verò animum blasphemix crimine obstrin-  
 xisti. Vidisti moderatam poenam, & flagra, quæ ad sanandum morbum possint  
 esse satis? haud dixit, stulta es, atque amens. Sed quid? Quasi vna stultarum mu-  
 lierum loquuta es. Id est, Nihil te, nihil institutione, disciplinaque mea dignum  
 attulisti. Deinde post obiurgationem consilium rursus vsurpat, quod cum plu-  
 rum rationis sit, ad vxoris animum leniendum haud mediocriter valet.

*Si bona suscepimus de manu domini; mala non sustinebimus?* **CHRYSOST.** Rerum  
 superiorum veniat tibi in mentem; & quis earum fuerit auctor cogita, atq; has,  
 quæ nunc nos premunt, fortiter feres. Vtrum viri modestiam animaduertisti?  
 Neque enim virtuti suæ adscribit perpeffionem malorum; verum ex ipsa rerum  
 consequitione nasci confirmat. Etenim, cuius demum rei causa illa nobis Deus  
 fuerat elargitus? quam nobis mercedem perfoluit? nullam: sua tantum benigni-  
 tate est vsus. Donum fuerunt illa, non merces, gratia, non compensatio. Ergo  
 hæc item constanter toleremus. In memoriam redi eorum, quæ te antegressa  
 sunt, bonorum, aduersa secundis emetire. Nullius hominis vita vsquequaque  
 beata. Bellè vsque habere, prosperèque agere semper, id vnus Dei est. Ipsa pro-  
 pterea quæ præsentia sunt, indoles; rebus superioribus te solare. Nunc quidem  
 lachrymaris, verum antea risisti; nunc mendicitate vrgeris, sed antea locuples  
 fuisti; è nitido vitæ riulo bibisti, è turbido nunc cum haurias; ferendum tibi  
 est placidè. Nec enim semper fluuiorum aquæ synceræ. Fluuius, quod te ipsam  
 minimè fugit, est vita nostra, quæ quidem continenter fluit, in quam vicissim  
 sibi succedentes, fluctus incurrunt; & illius quidè pars iam fluxit, pars verò labitur;  
 itemq; partim iam erupit è fonte, pars verò alia manabit. Ac cuncti ad cõmunem  
 mortis Oceanu properamus. *Si bona suscepimus de manu domini, mala non sustinebimus?*  
 Itane verò cogendus erit Iudex, vt paria nobis tribuat in perpetuū? Vtrū docendus  
 nobis erit Deus, quæadmodum vitæ is nostræ debeat moderari? Nempe suorum  
 suffragioru habet ipse potestatem, suo arbitratu nostra dispesat, sapiens est, & quod  
 è re est suorū seruorum, adhibita moderatione, procurat. Ne curiosius domini  
 iudiciu scrutare. Tantummodo, quæ ab eius proficiuntur sapientia, libèter am-  
 plectere. Quod tandem tibi cumq; dederit, id ouanti studio complectere. In  
 asperis, ac duris ostendè iucunda, atque grata te antea accepisse. Hac Iobus ora-  
 tione Diaboli incursionem atque imperum inane fecit, eumque acceptæ cla-  
 dis summa infamia notauit. Ipso oris vultu, quantum odio exardesceret in vitium,  
 præ se tulit. Eorum enim, quæ latent in recessu, suapte vi delator est oculus; &  
 qui improbi dæmonis irruptionem placatè, sapienterque tulit, is adhortationem  
 ad scelus ferre non potuit, facinorosam illam auditione rarus acerbiorē quàm  
 ea tela, quæ in corpore hærebant infixa. Quinetiam vxorem increpauit. Quem-  
 admodum enim curationem libenti animo admittimus, sic disciplinam mode-  
 ratè feramus. Bona enim dicit, quæ delectant; Mala verò, tentationes. Illud ve-  
 rò, *Si ut vna stultarum loquuta es*, quidam ad Euam retulerunt. Illam, inquit, imita-  
 ta es; illam, quæ nube peccati prima cooperta est; illam, quæ consiliis haud dif-  
 similibus, illum, qui Dei imagine ornatus, omni que vitio liber erat, circumue-  
 nit **DIONYSII & ALEXANDRI.** Ignorabat enim illa multiplex & captio-  
 sum serpentis consilium, eiusque agrestem & efferatam calliditatem, ob quam

non hominibus prudentior appellatus est; eum nec iustis hominibus iniustus, nec Dei assessoribus apostata possit esse prudentior. Quod si cæno, lateritioque opere quasi præstigijs stultos atque amentes decipit, hi iure optimo numerantur in belluis, quibus solis is est sapientior nuncupatus. Erat etiam tunc imperfectus, qui ab illo primus in fraudem inductus est Adam, qui in animam tantum erat viuentem, nondum factus in spiritum viuificantem, eius item costa in mulierem ædificata. Ita nec hominibus, nec angelis sapientia a recessit, qui enim? cum esset ab iis efficiendus ludibrio, atque eludendus, neque ab iis solium, verum etiam ab iis, qui in terris ad angelorum naturam proximè accessissent, qualis Iob fuit, qui & illum vicit, & vtrunque debellauit. Nam neque in magna rerum externarum facultate atque felicitate succubuit aduersario: immo verò Deo teste, ab omni querela & culpa vacuus perlitit, neque ob vim morbi intolerabilem, vulnerisque atrocitatem, artus omnes permeantis eidem concessit, sed potius ex cunctorum malorum tolerantia, & absoluta quædam erga Iobum Dei prouidentia, & sua ipsius virtus clarior eluxit, suamque aduersarium, tanquam munus honorarium ac præmium sibi vendicauit. (Accipies, inquit, ipsum seruum sempiternum) iocabaturque cum eo, tanquam cum auicula. Etiamne cupis ipse certaminibus nobilitari? Exerce te in palæstra; ærumosos dolores, qui animo obuersionem tuo, fer fortiter, vt corporis item possis. Etenim, si antequam cum diabolo certamen Iobus inicit, non animum exercuisset, non tantopere ex contentionibus elatus, ac nobilitatus fuisset. Si mentem ab omni ægritudine abduxisset, audacius verbum aliquod extinctis liberis vsurpasset. Nunc autem aduersus cuncta certamina, aduersus bonorum amissionem, tantarumque opum euersionem, aduersus liberorum extinctionem, aduersus coniugis condolecentis affectum, aduersus corporis flagra, aduersus probra amicorum, aduersus seruorum contumelias, inuictum animum præstitit. Ac si iustus gymnasia, disciplinæque exercitationem cupis intueri, ipsum audi his verbis pecunias contemnentem. Si lætatur sum, cum mihi multæ essent diuitiæ; si aurum constitui in terras; & si in lapide pretioso fiduciam posui. Quapropter neque harum rerum direptio illius mentem perturbauit; quandoquidem, nec, cum adesset quidem, eas adamabat. Audi nunc de ratione gubernandorum liberorum: quos in nullo modo contrà quàm decebat, non emolliebat, sed etiam seueræ disciplinæ omnem ab iis rationem reposebat. Nam qui pro occultis sacrificia faciebat, tute cogita quam seuerus earum rerum, quæ eminent & sunt in cōspectu, iudex fuerit. Quod si aues de continentia certaminibus etiam audire, illam ipsum dicentem attende, Pactam pepigi, inquit, cum electis oculis meis, non contempleri mulierem. Atque ideo vxor illius animum distorquere non potuit. Nam illam antea etiam diligebat; verum non effuse, sed potius quemadmodum vxorem diligere par erat. Quo etiam mihi admirabilius videri solet, qui tandem in mentem diabolo venire potuerit, vt cum eo contentiones suscipere, cuius exercitata studia minimè ignoraret? Qui ergo in eam est diabolus cogitationem ingressus? Nimirum belua est improba, nec spem abiicit aliquando. Id quod ad nostri damnationem permagni interest. Nec enim is vnquam de nostra ruina desperat; ipsi potius saluti nostræ diffidimus. Sed, quemadmodum laniatam corporis, ac perniciè meditata fuerit, attende. Quia igitur nihil eiusmodi Iobum aliquando passum esse cognouerat, qui vitam opibus, deliciis, cunctaque gloria affluentem dum experiebat alienas calamitates, secundum quietem tamen videbat: idque significans aiebat, Timor, quem timebam, venit mihi. Et rursus, Ego super omni impotente planxi & suspiravi. Ideo nihil eorum, quæ acciderunt, illum commouerunt; licet essent illa graua, atque intolerabilia. Nec mihi fortunarum ruinam consideres; non liberorum interitum, non vlcus illud insanabile, non coniugis insidias. Verum illa spectata, quæ multò sunt his acerbiora. Inquies, quid tandem Iobus magis calamitosum perpeffus est? Nam præter ea, quæ commemorata sunt, nihil prodit historia. Quoniam ipsi dormitamus, plura ac maiora non discimus. Verum, qui curam suscipit, diligenterque scrutatur

scrutatur, multò his plura cognosceret. Alia enim quædam erant grauiora, quæ perturbare eum poterant vehemētius. Primum de cælesti regno ac resurrectione nihil accepisse perspicui, id quod lamentans inquiebat, \* Non enim in seculum viuam, vt toleranter feram: Secundum, multorum rectè factorum sibi conscientiam esse: Tertium nullius rei flagitiosæ conscientia premi: Quartum, à Deo immitti illa existimares; & quamuis crederet à diabolo, vel hoc vnum haud me dicerem habere poterat offensivum: Quintum, voces audire amicorum, ei crimina per calumniam exprobrantium; Nec enim flagris aiebant, quæ peccatis essent digna, malè acceptus es: Sextum eos, quorum vita erat facinorosa, iucunda fruente vita intueri: Septimum exemplum eorum, qui in huiusmodi calamitatibus fuissent antea, prorsus nihil habere. Quod si, quanta sint hæc, scire aues, nostratia reputa. Nam, si his temporibus, in quibus cæleste regnum expectatur, ac resurrectio speratur, & reconditorum bonorum spes allata est; totique malorum conscientia ipsi stimulamur; & tantam exemplorum copiam habemus, tantæque philosophiæ participes sumus; nihilominus, si perparum auri amiserint nonnulli (quod etiam sæpenumerò rapina faciunt suum) vitam hanc non amplius sibi vitam esse arbitrantur; quàmuis non immineat vxor; quamuis non abrepti sint liberis; quamuis non conuicia faciant amici; quamuis non insultent seruis; immo verò quamuis multi sint, qui consolantur partim verbis, partim rebus ipsi ægritudine lenientes. Quot igitur laureis is dignus fuerit, qui rem suam honestis sibi rationibus partam, omnino, nec iure villo, vidit abreptam? qui post fortunarum ruinam, ingentes sexcentarum tentationum niues, nimboque excepit; ac ideo animo est vnquam immutatus, sed de his omnibus domino gratias egit. Et nimirum si reliqua omnia sileantur, vel vnus coniugis voces ad saxum quoduis conuellendum satis esse videantur. Nam callidum artificium cognosce. Tacet de re domestica, de pecuniis, de gregibus, de armentibus boum; quam enim in rebus huiusmodi vir ille philosophiam præstaret, præclare tenebat: ea, quæ ad ferendum difficiliora sunt, suggerit, filiorum inquam exitium, quam ipsa tragœdiam explanat, & quæ illam circumstant incommoda. Ac si mulieres multos homines, qui rerum abundantia, omnique voluptate diffluebant, persuasione sæpè vicerunt; cogita quàm robustus Iobi animus fuerit, qui illam tot armis instructam & adorientem profligarit, duasque perturbationes, quæ tyranide incredibili mortalium mentes opprimunt, cupiditatem & misericordiam conculcarit. Etenim plerosque eorum, qui cupiditatem vicerunt, inflexit miseratione. Iosephus ille mentis, virtutisque celsitudine præstans vir, eam, quæ summam inter mortales exercet tyrannidem, compressit voluptatem; barbaram quoque feminam infinitas machinas adhibentem propulsauit, sed tamen lachrymas tenere non potuit: fratres enim, à quibus iniuriam acceperat, cum conspexisset, inflammatus affectu, os celeriter lauit, ac rem gestam omnem exposuit. Quando igitur vxor extiterit, quæ ad misericordiam eliciendam dicat accommodare; tempore, vulneribus, plagis, & sexcentis calamitatum fluctibus illi opitulantis, qui tandem eius animum, qui tantam procellam superarit, non quouis adamaente iure optimo fortiolem ac solidiorem quispiam dixerit? C H R Y S. Hic enim beatus, licet in eum vndique mitterentur sagittæ, tutior ac firmior nihilominus consistebat: cumque iacula innumerabilia excepisset, nihil de animi virtute remisit; immò verò diaboli thecam refertam iaculis omnem exhaustis verò nec cecidit, nec fractus est, sed tanquam gubernator optimus, neque furente mari, sese que efferentibus fluctibus, obruebatur; neque in tranquillitate atque malacia erat desidiosior: parem potius artem ad temporis vtriusque discrimen afferebat. Quando nec cum extulere diuitiæ, neque depressit inopia, neque ob fugaciam rerum naturam supinum animum, iacentemue præ se tulit, neque omni domo euersa, funditisque deleta perturbatus est, sed multò magis virtutem animi declarauit. Audiant hæc diuites, audiant pauperes: vtrisque enim perutilis est narratio. Cunctis item hominibus historia ipsa fructum præbet utilitatis: siue secundis in rebus potiantur, siue afflictentur aduersis: hic enim pietatis

\* Maiorum disciplina nil fortasse certi Iobus de resurrectione acceperat: sed tamen etiam huius vel cælestis regni haud obscuram notitiam à diuinis fontibus hauserat.

taris athleta orbisque terrarum victor laureatus utroque armorum genere in duobus temporibus vltus victoriae erexit insignia. Omniaque pugnandi genera aduersus eum periclitante diabolo, instructus ad omnia, in aciem, dimicationemque venit; necnon in cunctis congressibus eiusdem virtus cum prædicatione enituit. Vt enim fortis & egregia virtute miles is est videlicet, qui in quavis præliandi ratione est exercitatus; qui & noctu manu manum cõserere & mænna oppugnare, & pedestre certamen inire, & nauali bello contendere & iaculari, & hastam vibrare, & fundis, missilibusque telis, ac quouis denique pugnae genere, & quouis loco superare nouit aduersarium; sic prorsus clarus hic, & insignis victor impetum omnem mira virtute sustinuit, inopia, fame, morbo, cruciatu, liberorum nece, amicis, inimicis, vxore, seruis, in eum irruentibus. Nulla demum humanæ miseræ ærumna, quæ non sit in illius corpore exhausta, & tamen \* plagis illis omnibus expeditus illius harundines gloriose vitauit. Verum enim id multo est admirabilius, quod in eum cuncta simul irruptionem fecerunt. Neque enim id attendas, quod tam multa sit passus; sed illud adde, quod non paulatim, non ex interuallo, verum coniuictim vniuersa. Haud enim exiguum est hoc calamitatum additamentum. Principio enim qui cuncta hæc mala vno sit, eodemque tempore expertus, ex omni hominum genere nondum sit quisquam repertus. Etenim, si quispiam cum paupertate contendat, commoda nihilominus vteretur valitudine; si egestate & morbo confossus sit, sæpenumero pro solatio & portu ei relinquatur coniunx; si huiusmodi careat vxore, caret etiam muliere perniciosi consilii cum perdere conantes; si nec huiusmodi quidem mulierem vitare potuerit, saltem cunctorum filiorum subitam extinctionem non videret; quod si subitam, certè non ex eo genere; quod si ex eo genere, amicos tamen habebit consolationem sibi adhibentes. Sin autem, qui consolentur, haud præsto sint amici, profectò non habebit insultantes; quod si nec insultantes quidem vitare potuerit, seruatorum saltem exprobratium conuitia non audiet; quod si petulantia seruatorum iurgia sint illi ferenda, nimirum sputis os fœdare verebuntur; quod si ne id quidem veriti fuerint, haud tanta erit morbi calamitate perfossus; quod si tam graui morbo fuerit exulceratus, domiciliū forsitan aliquod, te tunc illi non deerit, ne sedem in stercore cogatur deligere; quod si illi in stercorebus sessio fuerit, erit fortasse manus in columis, ne ab ea abhorreat cæteri; quod si à manu etiã abhorruerint, non itè insultabunt. Iobus autè isthæc est omnia perpeffus. ΕΡΕΓ. ΤΗΕΟΛ. Erat simplex, iustus, verus, & quicquid tandem de illo testatus est Deus; tantis nihilominus, tamque assiduus, ac vincendi libidine intentatis ærûnis, ab eo qui illū poposcerat diuexatur, vt, cum ab omnis temporis principatu multa sint multi mala perpeffus; atque, vt credibile est, calamitatus implicatis; nullius tamen ærumnæ sint cum illius acerbitatibus cõparandæ. Neque enim pecunias tantum, possessiones, præclaram sobolem, copiam filiorum, quæ magno ab hominibus studio quæri solent; non hæc inquam omnia solum amisit, atque ita amisit, vt nunquam interruptus cursus malorum ne ingemiscendi quidem locum relinqueret: verum etiam, cum esset insanabili inuisa que plaga cruentatus, habebat coniugem, quæ ad solandam calamitatè retriora quædam adhibebat. Exulcerato enim corpore, animus quoque exulceratè magnopere nitetur. CHRYS. Cum in malis huiusmodi is esset, & quasi in sartagine versaretur vndique, atque intestinis, externisque premeretur ærûnis, vxoris illi machinæ admouebantur; & quæ coniunx erat, diaboli efficitur telum, dumque diabolo linguam commodat suam, in virum sagittas contorquet, multoque in eum atrocius & perniciosius, quam illa ipsa, quæ exposita sunt, iacularur. Nec verò hic exitus fuit bellorum: immo verò noui conflictus præmununtur initia. Coniugia enim sequuntur, quibus ab amicis oppugnabatur. Vos autem ipsi an non estis hinc nunquam intermittentibus calamitatibus audiendis defatigati? Et tamen illis ferendis nondum est hic defatigatus. Quâ obrem vestram admoneo caritatem, vt etiam quid expectetis; (necdū enim omnia sumus exequuti) aliud enim quiddam, quod fidem, opinionemque superat, prætermisimus.

Quod

Quod enim communem vincit existimationem, illud fuit vnū, quod mala omnia, quæcunque in vita hominum immittuntur, hic vnus exorbuit. Erat alterum, quod sine induciis, nullaque interposita mora, cuncta sustinuit. In animo mihi est addere tertium: cuiusmodi tandem isthuc? quod singula eorum, quæ persequuti sumus, non certatim tantummodo, vnoque impetu congressa sunt. Sed etiam inuitata quadam atque incredibili ratione in illum ipsum incurserunt. Nam egestas, quavis paupertate erat acerbior: item morbus, sessio, liberorum interfectio, omnia denique. In hunc autem modū ratiocinare, Amisit quis possessionem honorum? Sed tamen nec funditus, nec eo modo. Liberis est orbatus? verum non simul omnibus, non totis talibus. Morbo est oppressus: verum non huius generis, sed aut febris, aut mutilatione, aut alio quopiam vltato morbi genere. At plaga illa insolens fuit, eique soli, qui in cruciatu erat, nota. Nec enim vlla reperietur oratio, quæ illorum vlcera atrocitatem, vulnerumque acerbiteriam consequi possit. Etenim ad plagæ magnitudinem declarandam satis sit, auctorem, qui illam infixit, eiusque effrazatam libidinem perspexisse. Noua quoque, nec antea audita sessio illa fuit: nemo enim est, nemo est adhuc inuentus, qui inopia coactus, in stercore domiciliū perinde habuerit, sæper sub dio, vt ille habuit, vestimentis nudatus, omnitecto exclusus. Habuit quis sæpenumero vxorem improbam: verum nulla vnquam adeo scelerata reperta est, quæ in huiusmodi calamitate virum insectaretur, & mucronem cõtra illius animum exaceret, atque eiusmodi consilia mediraretur. Est illud quoque haud vulgare, quod ad amicos, quod ad famem spectat. Id autem maiorem habet admirationem quod è parata mensa non degustabat. Nec quartum omittam, quod haud vim habet exiguam, superioris inquam temporis opes, atque felicitatem. Nam qui principio fuerit pauper, tranquillè, placidèque feret paupertatem; vt qui ad eam ærumnam ferendam præmeditatione iam firmauerit animus. Qui verò ex tanta fuerit felicitate derurbatus, vt qui nec exercitatione, nec meditatione animus præmunierit, asperior futurus illi sit sensus calamitatis cum vehemere dolore, atque perturbatione coniunctus. Dicam etiam aliud incredibile, quod insigni corona ac laude athletam exornat, eiusque excelsum animus, cælumque contingentem testatur. Quid illud? Temporis ratio atque discrimen. Etenim, cum ante gratiam legemque vixerit, est nihilominus talia philosophatus, non è disciplina commodo, vllò percepto, non in literis, nò in libris vllis versatus, non exemplis similibus eruditus, ad superiorem memoriam confugiendi, nulla ei data potestate, vt eos, qui virtutis muneribus perfuncti essent, egregie posset accipere. Nec dum enim res gestæ mortalium mandata erant historiarum. Ita viam minime tritam, & mare nondum tentatum nauigiis in mira vitiorum caligine, ingressus, solus ac princeps eius ætatis hanc philosophandi viam strauit, bonorum summam eximia quadam ac singulari ratione complexus. Maximum est, minores virtutis partes expleuisse: verum multo maius est in eo, quod summum est, summè cunctis antecellerè. Hoc autem summum, patientiam esse, haud quisquam fuerit inficiatus. Quod cum minime addubicaret diabolus, dixit, Pelle pro pelle, & cuncta, quæ adiunt homini, dabit pro anima sua: verum tamen mitte manum tuam, & tange carnes eius. Ex quo percipi potest, summam hanc esse partem officij mente robusta, ac ferrea indigentem. ΑΤΗΛΑΝΑ. Igitur Iobus præliabatur, eratque pugna acris, sed acrior certantis virtus apparebat. Magno ferebatur impetu aduersarius, atque erat hostis infestus. Sed is, qui petebatur, virtute maiorem animi adferebat. Cum altitudine exaggerata metis præstantia irrumpebat hostis conatus atque imperus cum victoriae laude dissiparet: fortitudinis enim insignia, sunt patientia. Hanc cum omnes sancti ad humanæ vitæ incommoda atque molestias adhibuissent, diabolus superarunt. Res ambas cum sanctus spiritus velit à nobis acquiri, sic præcipit in psalmo, Viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine dominum. Nam, qui sustinet, fortis est: & qui fortis est, ad sustinendum idoneus. Itaque beatus Iobus sustinendo confirmabatur, & constanter ferendis ærûnis sustinebat, & vxorem à serpente deceptam,



ceptam, menteque corruptam respuebat. Quia enim totus est odiosus diabolus, omnis sceleris architectus, idque tantum querit, ut quæpiam rapiat, & deuoret, ideo ingenium ille suum simulando tegit, veritatem autem, quæ à cunctis expectitur, cum simulationis integumento menti obicit, ut in eos, qui ipsi oblectantur, virus luum emittat. Hac ratione Euam fraude, & perfidia fefellit, non sua vsurpans, sed verba Dei simulans. Sic enim illorum mentem circumuenit. Nec secus Iobi coniugem subornauit, dum persuadet, ut erga virum studium simulet, sic enim fieri posse docuit, ut is impietatis in Deum iaceret maledicta. Hunc in modum vaser ille illudit hominibus, dum falsis visis surripit vnūquemque, atque in sua nequitia fontem impellit. CHRYS. Ego verò non ita Iobum admiror ante mulieris adhortationem, ut idem mihi est admirabilis post illius perniciosum consilium. Sarpè (vt ne id, quod diximus, paradoxum alicui videatur) accidit, ut, quem rerum natura euertere non potuit, eum oratio & exitiosa adhortatio frangat. Id cum diabolo nequaquam esset ignoratum, post plagam inflictam verbis hominem adortur. Hoc ipsum aduersus Dauidem fecit. Postquam enim eum vidit à filio suo concitatam seditionem, illamque iniquam tyrannidem fortiter tulisse, ad mentem Dauidis labefactandam, atque iracundiam facibus inflammandam, Semeam illum incitauit, aspersisque verbis instruxit, quibus animum illius aroderet. Id etiam est contra Iobum callide machinatus. Namque, vbi animaduertit per irrisionem sua iacula elusa fuisse, & illum tanquam adamantinam turrinam contra omnia presenti animo cõstitisse, vxorem tum demum armavit, ut suspicione vacaret consilium, ocululitque venenum verbis illis, cum calamitatem tragicè prosequeretur. Quid igitur vir constans? *Ne quid quasi vna stultarum mulierum loquuta es? Si bona suscepimus de manu domini, mala non sustinemus?* Quamuis enim dominus non esset, quamuis non tanto opere, inquit, nobis antecelleret, licet par nobis cum eo ius necessitudinis intercederet, nulla tamen nobis esset expedita defensio, si casus non seramus aduersos, qui tantis ab eo sumus beneficiis affecti. Viden hominem Dei cupidum? vt non magnopere de se ipse gloriatur? neque inanem aucupetur auram, quod plagas illas, ad quas ferendas non satis erat natura, fortiter tolerarit? Nec verò tantam malorum perpeffionem, aut philosophia: aut verò animi magnitudinem adseribit; sed rei, quæ necessario debebatur, solutionem reparat. Igitur tanquam nihil ipsi absurdi contigerit, sic mulierculæ loquacitatem vi magna compressit. OLYMP. Vtrum in hisce ærumnis doctoris sententiam & faciem contemplantis? Cum enim de coniuge, quam legibus religiosis erudierat, ea, quæ nunquam sperasset audiuisse, primum formidoloso illam terret aspectu, deinde verbis etiam pudore suffundit, isthæc enim, inquit, dicere, stultæ, heus tu, eras mulieris. An non stultitiæ est, existimare fore, ut mors blasphemiam statim comiteretur, aut etiam audere sceleratum verbum vllum in Deum dicere? Ita castigatam vxorem, tum oratione tum vultu ad agendas Deo gratias de susceptis calamitatibus adhortatur. Plerique enim, inquit, in nulla rerum copia atque abundantia vixerunt. Nos verò, quibus tanta est à Deo suppeditata, cur aduersæ conditioni successeamus? cur non item gratiis agendis tanquam à certo domino, hæc ipsa accipimus? Quibus illa auditis, conqueuit, monitisque obtemperans, nihil prætereà repugnauit. Vt facile credam eandem consequentium honorum confortem Iobo extitisse. Et nimirum propugnator egregius triplici diabolum vulnere fauciauit; cum nec ipse succubuit; & vxorem ab illo corruptam nefarie, ad officij religionem reuocauit; & voces illas grati animi testes, omnique laude dignas, nec vlla vnquam obliuione delendas exprompsit.

*In his omnibus, quæ contigerunt sibi, non peccauit Iob labijs suis coram Deo, & non de-  
dit insipientiam Deo.* CHRYSOST. Nec fas, inquit, est dicere vxori quidem eum  
ralia loquutum esse; partes verò animi interiores iracundia:, atque fastidij ple-  
nas fuisse. Nihil ergo is est labijs suis secus loquutus. POLYCHR. Non solum  
priora, quæ in eum incitata sunt mala, excello & inuidio animo tulit, verum  
etiam à plaga inuidiam se præstitit, cui rei fidem facit illa pietatis erga Deum  
index

index responsio. Nec modò inductione quapiam animi diuinum numen non violauit, sed ne \* labris quidem primoribus læsit. Ac rursus diuinum testimonium Iusto huic lauream tribuit; cum eum leuis etiam verbi culpa liberat, cuius vitanda ea causa fuit, quòd vnum Deum semper contuebatur, atque in eius conspectu versari se semper arbitrabatur. Nò igitur ad asperiores syllabas animum attendamus, neque prima specie decepti aduersus virtutem Iusti linguam incitemus; Diuino potius iudicio cedamus, quo illi, superatis omnibus, victoria præmia deferuntur; præsertim cum Deum ipsum testantem audiamus, & illum officio religiosè functum esse, & illius labra culpa vacasse, & in ærumnis ac malis acris, presentiq; animo versatum esse. Nam (vt diuinam Pauli vocè vsurpem) si Deus est, qui iustificat, quis est qui condēnet? Hac ergo de causa scriptura rursus nos dubitare non sinit, robustaq; menti, quã in calamitatibus præstitit, recēdat testimoniu. Vt de tam præstanti anima, deq; viri huius verbis, quæ in toto volumine sparsa sunt, quàm decet, dignè cogitemus. Quado igitur illius magnanimitas sese ex omni parte ostēdit, & euctis certaminib. victoriã reportauit, præter eos, qui cõsequenter sermones, nihil de viro hoc humile cogitare debemus.

*Cum audissent autem tres amici eius mala omnia, quæ acciderant ipsi, reuertunt de sua quisque regione ad eum.* OLYMP. Si quærat quispiam, quamobrem longo intervallo post, amici venerant, intelligat, primum quidem eos diuersarum prouinciarum incolas fuisse, ac multò post nuncium fortasse accepisse. Calamitas eaim is præter fidem, omnemque opinionem esse iudicabatur, vt Iobus omni ope destitutus iaceret in stercore. Ergo priusquam proficiscantur, expectant, dum res, quæ ad eorum aures affluerat, multorum sermonibus confirmetur. Neque antea aut certos homines mittendos, aut sibi discedendum statuant ad facti veritatem explorandam. Interim conterebatur tempus. Adde quòd, postquam de re ipsa dubitandi nullus est locus relictus, iidemque reges essent, ac de profectioe cogitarent, fuerunt illis in primis res constituendæ domesticæ, regendisque iis, qui erant in imperio, alij præficiendi, qui iuris ipsorum vicarij essent. Quæ quidem omnia illis ipsis moram iniecerunt. Quòd nisi tum caritatem, tum iustitiam magnopere coluissent, nunquam prouinciis suis, regnisque relictis, ad Iobum visendi causa properassent. Sed per alios potius suo ipsi muneri satisfecissent. Cogitare illud item possumus diuino factum esse consilio, vt diutius traheretur profectio: quandoquidem in amicorum disceptatione, ex diuino decreto certamen omne conqueuit, Deo Iustum in integrum restituyente, & coronante. Ad Dei quoque decretum illa amicorum procrastinatio ideo pertinuit, vt morbi calamitas & fama latius permaneret, virtusque certantis Iusti iustioribus præconijs celebraretur. POLYCHR. Illud, *Cum audissent*, quandam temporis indicat intercapedinem, cum solus fuit, nimirum quoad nunciatum malum illos ad profectioem instruxit. SEVERIAN. Et sanè vna erat Iobo reliqua consolatio, amicorum aduentus: verum hoc etiam diabolus est ad tentationem abusus. CHRYSOSTOMI. Veniunt amici, illi quidem vt consolatione permulceant, verum nihil minus quàm solacium præbent. Amicus enim fuit aduentus, non item amica fuit adhortatio. Quin illorum tantum adpectus nondum quidquam loquentium magnam vim habuit ad Iusti animum fodicandum. Nam nostrorum casum atrocitatem in alienis bonis acrius solemus ipsi contemplari. Tute cogita, quanti fuerit, seipsam in illis malis vidisse, amicos autem suos, eosdem qui fuerant, claros ac priore felicitate vtentes intueri; & illud calamitosum, calamitati e omnia loca peruagatam esse. Si enim is qui tanto locorum intervallo disuncti erant, auditione acceperunt, quanto magis, qui propius aberant? Maximè verò lacerabat eum non vis sanè malorum, sed quia tanquam in hominem impium & exlegem, tanquam in Dei hostem, & qui virtutè antea esset eminentis, calamitas illa incidisse videretur. Nec ira de corporis lue, vt is de nominis existimatione laborabat, non ambitione quidem vlla, siue quòd ad vulgi opinionem vitam institueret, sed ea re potissimum, quia suis illis ærumnis plerosque offendi animaduertebat. Ponit autem scriptor ipsa nomi-

\* *ἢ ἐπιπρολα-  
λας habet Ca-  
tēna Card.  
Caraf. puto  
legendum ἢ  
ἐπιπρολα-  
λας ἢ ἐπιπρο-  
λαλας, ne pri-  
moribus qui-  
dem labru.*

na amicorum, cum inquit

*Eliphaz Themanorum rex, Baldad Sauchæorum tyrannus, & Sophar Minæorum rex.*  
O L Y M P. Theman vrbs est Iudæa circa Sina. Saucha vrbs est Moabitarum, quibus Baldadus imperabat: hic enim tyrannus pro rege ponitur. Minæi verò sunt Ammanitæ, aut certè, vt ex posteriore paralipomeno intelligere possumus, alij quidam. His enim verbis est in eo libro, Surrexerunt filij Ammon & Moab contra habitantes montem Seir: & postquam hos consummauerunt, surrexerunt contra se inuicem. Vide igitur sintne alij Minæi, atque Ammanitæ, necnon Seir montis incolæ. Horum trium regum nomina hanc habent interpretationem, Eliphaz, Deus me dissipauit, vel, Deus contemptio, irrisio meca. Baldad, vetustas vel gloriofus. Sophar, scopus. Theman autem valet, defectio eorum. Sauchæi verò, loquacitas, leuitas eorum. In libro Genesis reperimus Sophar filium Eliphazi fuisse, quem Esau ex Adda suscepit. Eliphaz autem Thæmani filius exitit, qui Esau patre natus est, à quo oppidum, & regio Thæmaa nomen inuenit, quinto decimo lapide distans. Videntur igitur hi ipsi amici affinitate quadam Iobum attingere, eaque re liberiore vti oratione. Nam penè in extrema historia audituri sumus, è filiis Esau prognatum esse Eliphazum; è quibus ipsis Iobi quoque est orta progenies. Ergo mittuntur philosophiæ aduersarij persuadendi spe è generis propinquitate concepta.

*Et venerunt ad eum unanimiter, vt consolarentur, & visitarent eum.* O L Y M P. Symmachus verò sic extulit, Condixerant enim, vt simul venientes compaterentur ei, & consolarentur & visitarent eum. Atq; hinc cognosce aliud iam abiisse tempus, dum missis inter se nunciis, congregiuntur, vnaque iter suscipiunt. CHRYS. Visitare, pro, colloqui dictum est. Multum enim temporis videntur apud eum fuisse; haud sanè id facturi, si visendi tantum causa aduertissent, quandoquidem complures alij ad eum solo videndi studio adducti iam commearant.

*Videntes autem eum longè, non agnouerunt.* O L Y M P. Hoc item loco mali atrocitatem intueri. Idcirco enim non agnouerunt, quia lues antiquas corporis notas obliterarat. Namque credibile est, eas commutatas fuisse, vlceribus ad grauissimum odorem totum corporis habitum traducentibus.

*Et clamantes voce magna plauerunt, scindentes vnusquisque vestem suam.* POLYCHR. Id haud obscuram amicitia significationem habet. Etenim amici calamitate perspecta, ac recenti rerum conuersione animo pertractata ciularunt, vesteque discissa, eum tanquam mortuum luxerunt, cum abiectum mortuis miserabiliorum vidissent. Biblia quædam habent, Cumque in cælum suspexissent, Deum exorantes, quasi dixerunt, Propitius esto Domine, & ne talibus nos malis implicet. Id quod facere soliti sumus ipsi, cum quempiam haud opinatis malis cit cumretitum intuemur. POLYCHR. In cælum suspexisse, hanc habet fortasse sententiam. Quæ tandem hæc ratione contigerint, tu solus nosti, domine; neque enim ipsi eorum, quæ eueniunt, causas assequi possumus.

*Et stragentes terram super capita sua, sederunt propè eum: nemòque ei loquutus est verbū.*  
POLYCHR. Significantius hæc sunt expressa Hebraicè his verbis, Et sederunt iuxta ipsum in terra. Nec enim solùm subfellium, genuisque indicat sessionis, quòd non cum dignitate confederint; verùm quod eiusdem doloris sensu suscepto, lugubrem habitum, formamque ostentarint. O L Y M P. Non dicit scriptura totos septem dies, totasque septem noctes illi assedisse amicos. Perspicuum igitur est eos, vbi magnam dici partem assedissent, discedere solitos ad necessaria munera conficienda, ac rursus redeuntes ad multam noctem sessitauisse; deinde abiisse, tùm de mane ad eundem reuertisse: id quod certissimorum, summèque vnà dolentium amicorum proprium est. Quotidiani verò sermonis consuetudinem complexa scriptura simpliciter pronunciauit, septem illos dies, septemque noctes propter eum sedisse. Nam cum Iacob inquit annos quatuordecim seruasse, & dici æstu exustum esse, ac noctis glacie obriguisset; an idcirco nunquam is rectum succedebat? nullam toto illo tempore quietis partem capiebat? Hæc igitur velle ad calculos reuocare, ridiculum est. Scriptura enim, vt dixi,

dixi, à sermone familiari non discedit. Et tamen nonnullam hoc loco mendacij insimulare audet; quòd credibile non sit, eis sine cibo, ac somno tot dies fuisse consumptos. Nos verò cogimur hanc omnem calumniam in eorum importunam loquacitatem conferre. CHRYS. Nemoque ei loquutus est. Animus enim semel mærore afflictus, nihil potest commodè audire. Quare illi, cum domus illius tragœdiam spectarent, iustumque in stercore sedentem, atque exulceratum viderent, vestes disciderunt ploraruntque vehementer, sessionemque propter eum delegerunt, illoque silentio declarunt, iis, qui sunt in ægritudine, nullam principio aptiorem medicinam esse, quàm quietem & silentium. Nam re ipsa morbi calamitas vincebat omne verborum solatium. Ad consolandum quidem illi venerant, cum autem consolationis imaginem nullam cernerent, obmutuerunt, quanquam rebus ipsis id prudenter præstiterunt, quando sessionis propinquitate, conscissaque tunica eum consolati sunt. Et hæc quidem præclara, & digna amicis, & eorum, quibus communis esset calamitas, cetera argumenta. Quæ verò consequuntur, non item. O L Y M P. Dies, noctesque ea ratione perstiterunt, quam ipse exposui, & quam lex exigit caritatis; nullam ad leuandam ægritudinem orationem idoneam inuenientes, cum quouis verborum genere ad consolandum adhibito vis esset calamitatis longè superior. POLYCHR. Nemo, inquit, ei loquutus est verbū. Planum igitur est aspectum malorum expectatione fuisse maiorem; plagæ verò atrocitate commoti sedebant silentio, cum nulla iis consolandi species suppeteret. Itaque causam adfert;

*Videbant enim plagam grauem esse, & magnam valde.* Cum secum ipsi repararent, nudam sermonem homini tot malis vexato futurum acerbum; vt accidere iis solet maxime, qui morbo tentantur, tacendum sibi esse statuerunt, fontibus intereà lachrymarum ex eorum oculis erumpentibus, illumque quasi mortuum inelamantibus, & conceptis vestibus quasi mortuorum iusta eidem persoluentibus. O L Y M P. Sed de secundo capite hætenus.

#### Protheoria Capitis tertij iuxta Græcorum diuisionem.

O L Y M P I O D. \* Igitur capitis tertij protheoriam instituentes, dicimus, nimirum esse in cruciatu iustum: quis id neger? Nec enim sensu carentium virtus est, sed in malorum ærumnis philosophantium. Corpore igitur atque animo grauitè afficiatur, corpore quidem ob plagæ atrocitatem artus fodicantis; animo verò, quia, cum homo frugi, Deoque carus esset, nonnullos suis offendi calamitatibus intelligebat, qui Dei gloriâ idcirco exagitabant, quia in virum iustum incumbere mala illa animaduertebant. Etenim cum inquit: Quare me posuisti obloquentem tuum? non is Dei obrectator erat: absit: qui enim id vnam facere ausus esset? Verùm hoc dicit. Cur mea causa domine nomen tuum contumeliosè tractatur? perturbatur nihilominus & vacillat, ne fortè sit à Deo planè derelictus. Nec enim re vlla animus Dei amans sic extruciatur, vt diuinæ opis amissæ suspitione, maualtque emori millies, quam cum cruciatibus atque huiusmodi suspitione inter viuos numerari. Quâdo igitur in fortunarum amissione, ac repentino liberorum interitu, quas plenas grati animi voces fuderit, audiuimus, & quemadmodum coniugem contra quam decebat, de Deo cogitantem increparit; & quam post conatum illum atque despicientiam, atque in ipsius morbi æstu fuerit loquutus; & quemadmodum nihil eorum, quæ in vita hominum contingunt, eum perturbauerit, animaduertimus. Nunc aduentantibus amicis, hominibus iustis, atque condolentibus, de quorum patientia & caritate nequidquam dubitabat, locum sibi opportunum, datum esse credit, de suis animi angoribus apud eos palàm differendi. Ipsa verò testatur historia in iis, quæ loquebatur, illum vitasse periculum: hæc enim vna cura Diabolo erat, vt ad sceleratè obrectandum Deo, Iustum adduceret, quod quidem Iobus cauit omninò; quin Deum exultit honorificè, eumque gratissimis verbis est profecutus. Execratur autem diem natalem suum, mortemque expetit, ob

\* Quo animo accedendū sit ad interpretationem verborum sacrorum, vide Athanasium in libro de humana verbi in extremo.

cas, quas supra exposui, causas. At intelligentiæ quoque mysteria suggerit, dum & de præteritis philosophatur, & certò differit de futuris. Eiusmodi enim verbum dictio & colloquutio esse solet. Nos verò sic in verbis ipsis versabimur, vt complicatam eorum notitiam euoluamus, illo ipso duce nobis ad interpretandum, qui certantis Iobi animum confirmauit.

## CAPVT TERTIVM, IVXTA

GRÆCORVM DIVISIONEM.

*Prima Iobi cum amicis disputatio.*

**P**ost hoc aperuit Iob os suum. OLYMP. Os Iusto aperiente, haud oscitanter iis, quæ dicuntur, mentem adhibere debemus, sed multò maxime ex ipsis verbis fructus est nobis aliquis decerpendus. Semper enim sanctorum voces vilitatem habent adiunctam, & quidem cum Iustus os aperit, thesauros, qui erant abditi, propalam collocat. Quamobrem vas electionis Paulus, in epistola ait, Os meum apertum est ad vos, Corinthij: & de domino scriptum est, Et aperiens os suum docebat. Denique os aperire is dicitur, qui tacendi rationes antea perdidicerit. Posthæc ergo Iobus os aperit, id est, post insigne trophæum, post illas calamitates. Toto autem corpore ex cruciatus haud improbabilem format orationem, neque animi rationem lingua præcurrit, sed sapientibus vocibus moderatur. In eo verò ipso, quod os aperuit, mentis tranquillitatem decorumque orationis præ se tulit. POLYCHR. & CHRYSOST. Studiosè positum est illud, *Post hoc*. Cum enim multos ad se venientes ac rursus ab euas cerneret, præstabat animum nihilominus à malis inuictum. Cùmque Eliphazi comites, qui ingenua quadam germanitate adducti ad se festinauerant, conspicatus esset, multumque temporis iis contritum esset, & eorum, quæ contigerant, grauem calamitatem silentio testarentur, nec consolandi rationes attingere auderent, nisi principium aliquod fieret loquendi. Idcirco ne iis Iobus diurniore silentio molestior esset, illud, videlicet rumpit. Sed quid tandem loquatur, postquam os aperuit, videamus.

*Et maledixit diei suo dicens, Pereat dies, in qua natus sum; & nox, in qua dixerunt, Ecce masculus.* OLYMP. Iustos calibus mædere aduersis dubitari non potest. Audi Hieremiam, Maledicta dies, inquit, in qua natus sum. Audi Moysen, Interfice me, si sic debes facere. Nequaquam verò aut contemnunt aut contrahuntur animo, vt cadant, cùm huiusmodi orationem vsurpant, nec de Deo quidquam secus loquuntur. Verum voces illas ab ægritudine profectas, aut contra seipos aut etiam contra res, quæ nihil læduntur, solent emittere. Ita magnus Dauid montes Gelbue addidit maledictis, quia in iis optatissimus Ionathas cum patre ceciderat. Ob eas igitur, quæ indicatæ sunt, causas merore Iobus affligitur. Etenim cùm intelligeret nimium audax esse facinus, quidquam iniusti in Deum conferre, ad mæstas illas voces delapsus est, quæ nec improbitatis, nec impij conuicij, accusari villo modo possunt. Rei verò, quæ nusquam existit, nocti, inquam ac diei, quæ præterierant, ideo malè precatur, vt vim ostendat ægritudinis. Verba enim, quæ ab homine religioso expectari poterant, prætermittit, ratus humana ratiocinatione esse diuinam prouidentiam longè superiore. Itemque ad se ipsum duriora hæc verba refert, vt medicinam, & consolationem aliquam malis quærat suis. CHRYSOST. Non igitur vicumque hæc verba expendamus, sed tanquam à mærente animo profecta consideremus. Si enim illa loquutus non esset, cõmunis expers naturæ videri potuisset. SEVERIANI. Quandiu cū uxore solus erat, aspernantem illam erudiebat, nec interim vllam precatus est sibi mortem, veritus, ne ea re apud Deum offenderet. In aduentu autem amicorum, cùm eorum cerneret animos in ipsius calamitatibus recidisse, nouo exerceretur bello, id metuens, ne illius causa iniusticiæ crimine Deum accerferent. Atque

ca causa

ca causa fuit, cur diem ortus sui detestaretur, meliusque non esse, quàm sic esse existimaret, ac si diceret. Vtinam nunquam essem in lucem susceptus, ne mea causa Deus accusaretur. Immò verò pereat dies, in qua natus sum, id est, nec dies commemoraretur, nec nox in qua conceptus sum. Hanc enim sententiam Hebræus ac Symmachus expressit, cùm ait, In qua conceptus est homo. Atque, vt vniuersæ & simpliciter dicam, ij, qui ante gratiæ tempora fuerunt, molestiam ex humanarum rerum incommodis suscipiebant, Apostoli verò lætitiā capiebant. Neque ea, quæ a tate gratiæ antecesserunt, consequutionem iis debent adferre, quæ sunt gratiam consequuta. Quamquam illud quoque expeditam habet defensionem; hæc enim Iobus mysteria tanquam propheta eloquitur in uoluntate: cùmque scriptura, non solum carnis natiuitatem agnoscat, sed etiam eam, quæ morum commutationem habet, vt quæ à virtute est ad vitium, aut è contrario, peccati diem Iobus optat extinguere, quo se scelere obligauit Adamus. Totius enim humanæ naturæ personam suscipit, dicitque, *Dies pereat*, quo à virtute ad scelus homo migravit, atque ad ærumnas & interitum ruit, munere immortalitatis amisso. Nam, si hæc interpretatio probabilis non est, cur non dixit, dies pereat, quo creatus sum, sed, *Dies pereat, in quo natus sum?* nempe vt ostenderet tùm nobis generationis opus fuisse, cùm ob parentalem labem orbem terrarum mors est introgressa. Ita cùm Dauid peccatum deploraret, ad antiquum flagitium refert orationem. Ecce, inquit, in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea; debilitata enim est lubrica natura. OLYMP. Quod autem ad vocabuli rationem spectat, diem vnum scriptura vocare consuevit, totum diei ac noctis spatium. Verùm quod pertinet ad sententiam, eandem diem, noctemque appellat, quæ initia attulit peccato. Ac diem quidem, ob illuminationis promissionem, Eritis, inquit, sicut dii: noctem verò, quoniam & animam tenebris obduxit, & mortem introduxit, & quamuis hoc loco satis apertum discrimen inter marem & fæminam constitutum sit, neutrius tamen naturali diei, tanquam malo Iobus maledicit, vt Manichæi opinantur; sed illa tantum, quæ die eueniant accusat. Ob illa enim ipsa dies vocantur mali, non quòd tales natura sint, sed ob rerum duntaxat euentum. Detestatur etiam, sed alia quadam ratione, eos qui marem illum nuncuparunt; quòd crederet eiusmodi Dominum solum fuisse, eique maris nomen propriè conuenire. Cùm hominum genus vnus Adami contumacia effaminatum sit, vt non amplius potioribus nominibus appellari queat. Ergo diem illam carnalis sensus parentem peroptat interire, quæ licet primi parentis propria fuerit, is tamen tanquam suam in se transfert; sed ita vt ab omni accusatione vindicet opificium. Etenim prima illa ad nos vsque permanente condemnatione, tanquam nostram ac propriam hanc ipsam lugemus, opemque liberatoris imploramus, ac scelus illud, quod nos à pietate abduxit, quasi diem existimamus, cui etiam optamus exitum. Quod enim quemque delectat, id diem putat suum, ita errore animi decipimur. Quare hanc diem Iustus caput deleri, vt quæ solo nomine vicinitatem lucis imiteretur; noctem verò dicit peccati sinitum ac furtiuum introitum: & quidem totius honesti capitalis ille hostis hoc est nomine perquam dignus, non ideo, quòd tùm reapse, tum hominum opinione sit ipse nox; sed quia, cùm tenebræ sit, lucem ementitur: in quo cæteros fallit mortales, ac diris illos addicit: dum lucis ad fallendum paratissimè species occultata, ac noctis suspicione detracta, prauis, latentibusque artibus in fraudem inducit quamplurimos. Id ergo quod ait, est huiusmodi, Pereat superior illa dies, illa inquam primigenia ac princeps peccati, quæ ægritudinem, peccatum, ac mortem inuexit hominibus, quæ tenebrarum & singulorum errorum extitit procreatrix, dolorum fons, prima dies tristitia, quæ Euz conceptus decreta est, & appellata, id est, execrationum gignens exordium. In tristitia, inquit, paries filios. Vt ergo corporis vehementem cruciatum Iobus indicaret, ortum suum non item Deum malis precibus est insequutus: nec præsentem diem sed præteritum, & ærumnarum causam insectatur. Et interea quidem, dum illi diei exprobrat, se ipse consolatur. Solet enim miserabilium

G 3 verborum

verborum vsurpatio dolores corporis demitigare.

*Nox illa sit tenebra, & non requirat eam dominus desuper, & non perveniat ad eam splendor; excipiant illam tenebra, & umbra mortis.* CHAY SOST. Quoniam intelligebat Iustus malorum suorum atrocitate amicos accitos esse, & quanta plagæ esset acerbitas, nō ignorabat; diuturnæ quoque sessionis amicorum, quibuscum de iis, quæ acciderant, nihil loquutus fuerat, cū tēdiū cogitaret, & vt simpliciter dicam, cū videret omnia sibi graviter aduersantia, non propterea stultē suos repellit necessarios: cum rectum minimē putaret, qui honoris causa venerant, eos cū dedecore dimitti, neq; ad profectiōem illos temerē hortatur: amicitia enim iura verebatur. Verūm, cū ad hæc omnia meditaretur, omnibusque torqueretur, ad hæc verba descendit, cupiens propemodum probare amicis esse sibi quidem in animo cum iis sermonem habere, sed malorum imperu prorsus retardari. Sed quid ille dicit? *Nox illa sit tenebra*, id est, nec in notitia, nec in hominum verferur memoria, non illam tanquam suam sibi vendicet dominus, neque in noctibus numeretur. Et quoniam non de natura quapiam, quæ vi sua cohæret, aut de quopiam animali verba faciebat, idcirco nec mortē nec interitum sed diei contrariā intercapedinē precatus est, tāquam si diceret, Diē illam vtrunque nox complectatur productioribus tenebris, nec in mentem veniat numerare cupientibus. OLYMP. & SEVER. Nimirum si verba spectentur, natalem suum diem optat sine splendore esse, itemque noctem nec Lunæ, nec Siderum luminibus illustrari, sed densissimis tenebris potius circumfundi. Hoc enim mortis ymbra nominavit. Illud autem ad sententiam atque intelligentiam pertinet, vt peccatum per se ipsum quale sit, nempe omni priuatum luce ab hominibus cognoscatur, ne aut in simulatam sese virtutem induat, aut specie quadam lucis rudiioribus animis fucum faciat; sed quō cæca eius perspecta caligine, vitari facile possit. Sed nec diem illam requiri exoptat. Nec enim requiri illa potest, quin admissum scelus non statim in nos transfusum incurrat. Quōd si minimē requiratur, execrationis, & quæ est illam comitata, sententiæ, nobis obreperit obliuio. Ergo postulat, vt ne dies ille splendeat, ne, quæ ab Adamo tunc peccata fuerunt, sub nostrum subiiciantur aspectum. Ac si diceret; Adsit mihi in his precibus Deus, vt e dierum numero illa eximatur, ne ortus mei recordatio memoriam calamitatum adducat. Cū autem adiungit, *Excipiant eam tenebra, & umbra mortis*: ad diabolum vult videlicet, quæ nobis machinatus est, mala pertinere, transfertque noctis nomen ad ea, quæ in illa ipsa contigerunt ad execrationem inquam, atque sententiam. Vocabulo autem tenebrarum & ymbræ mortis significat diabolum. Ad illud, inquit, Diabolus properet diuersorium, sua republica perquam dignum. Excipiat is mortem, qui illā inuenit, sit sanē suis ipse retribus implicatus, nequaquam propter eos, qui nullo certo consilio sibi obtemperarunt, audester exulter in improbitate.

*Irruat super eum nubifera caligo.* Aquila, Symmachus, & Theodotio verbis aliis extulerunt. Nam Aquila, Obnubilatio; Symmachus, Caligo; Theodotio, Nubium obductio dixit. Gnophos autem est e nube caligo. Ergo si verba duntaxat sequamur; diei obscuritatem precatur, si verō sententiam, hoc petit, vt peccatū quid suapte natura sit, haud quisquam ignoret, neue Satan, qui trāsfiguratur se in Angelum lucis, mala nobis pro bonis obtrudat; sed potius, vt, cum tanquam mala, ac tenebrarum causa à nobis cognita fuerint, odio habeantur. Nam, vt hoc etiam discas, fac, inquit, peccatum cognosci non posse; qui poterit ad historiam pertinere, cū rerum, quæ nusquam sunt, nullus possit esse sensus, nulla scientia.

*Maledicta sit dies illa, & nox illa, asportent illam tenebra.* Dies, illa, inquit, humanam mentem numerantem prorsus effugiat, hoc enim declarat, cū ait, *Maledicta sit.* Illud autem, *Asportent illam tenebra*, interpretans Aquila, pro, *Tenebra*, Lunæ obscuratio, dixit. Et quidem huc Iobi pertinent verba. Quemadmodum in tenebris nec cernere quidquam, nec ea, quæ ante pedes sunt, videre possunt homines, sic extra mentis notitiam sit illa dies ortus mei. Verūm iad magis

magis abditam hæc referens cognitionem, de præuaricationis Adæ loquitur die, quæ ementita luce principes homines sefellit, cū ob facilem decipiendi rationem diem se videri voluit. Quæ enim tūm nostra nox extitit, immani hosti dies fuit, cui ad sceleratum facinus nullum obiectum est impedimentum. Ac rursus, ne hinc abeamus, iis, qui sunt corporis voluptatibus deliniti, quæ videtur dies, nox est, lux inquam, mearum deliciarum nox est, quæ cunctis est obducta mortalibus.

*Non sit in diem anni, nec memoretur inter dies mensis.* OLYMP. Symmachus verò, Ne copuletur, id est, deleatur dies ille natiuitatis meæ, anni contracta periodo. Et quoniam mensium quidam pluribus, partim paucioribus constant diebus, & annus certo quodam confecto circuitu, augetur; id quod quarto quoque anno solet accidere. Dies illa, inquit, à mensū numero summoueat, nec tanquam dies anni ante vsitatam periodum numeretur, quasi apparere debeat. Immo verò obliuione prorsus obruarur, sed altiora quædam indicans Domini aduentum, annum vocat acceptabilem. Obsecrat igitur, vt illo tempore eius diei funditus intereat memoria, vt ne inquam dominus, cū sese orbi terrarum ostender, peccata nobis deputet, sed obliuione potius obliteret sempiterna. SEVERIANI. fortasē etiam prophetice ac figurate de futuro æuo precatur, in quo sancti vitam viuent perpetuo lumine splendescentem, cū sæculum hoc mensum, & annorum numeris, & interuallis distinctum euauerit, cuius profecto exitum obnixē precatur. *Sed sit dolor nox illa.* Symmachus verò, Abligata. Hebræus, Derelicta. Nox, inquit, illa sit conferta doloribus, neque sit lætitiæ parte aliqua temperata: quamuis nox laxamenti causam soleat adferre.

*Et non veniat super eam lætitia, nec gaudium.* POLYCHR. Nequidquam Deo, eiusus factis obtrectat; verūm iis, quæ non sunt, maledicit, seipsum, calamitatesque suas consolans. Etenim nec illa nox erat amplius, lumen astrorū & phosphi, quæ noctem illam collustrarunt, præterierat. Sed quemadmodum qui à medicis vruntur seu secantur, ad doloris significationem mortus vestibus insungunt, ita beatus hic illa omnia flebiliter lamentatur. Sed tamen, quod præstantiorem sententiam habet, cum dixit, *Nox illa sit dolor*, id significare etiam voluit. Peccatum, vt verē malum cognoscatur, & tanquam vera causa doloris habeatur odio, *Et non veniat super eam lætitia*, cui ipsi obnoxij fuerimus, nec culpa fuerit condonata, nempe nox illa scelerum parens, noxter inquam, aduersarius omnibus incesset lætitiis. Ipse igitur aduersarius flagitioso frustretur sine, eaq; re acerbe mareat, quod ei sit præda elapsa de manibus, ne sim ipse facinoroso hosti lætitiæ causa illius iaculis sanciat.

*Maledicat ei, qui maledixit diei illi, qui debet magnum cete subiugare.* POLYCHR. Execrationis meæ, inquit, partes explicat Deus, qui solus harum rerum potestatem habet. OLYMP. Simul optat, & vaticinatur futura, ad Christum traducens cogitationem. Is enim fortem alligans diabolum, huius vasa diripuit. Quis enim alius aut maledicto addixit peccatum, aut id deleuit in semetipso? Quis intelligentia præditum cetum, serpentem antiquum, peccati ducem, nostris illiqueductis voluptatibus administris exercentem tyrannidem Leuiaran illum in potestatem redegit? Leuiaran inquam illum nimia enatantem audacia, quem scriptura identidem draconem appellat: sed in extremo hoc libro maxime, cum suis vocibus restatur Deus fortem illum esse, atque omnibus superiorem. Quocirca neque illum hoc loco cetum simpliciter dixit, sed ingentem addidit. Is igitur, inquit, qui solus cetum immanem capere potest; qui potestate, cui nequit obfisti, pollet, is me de diei noctisque ratione postulantem audiat. DIXIT. Præclare dictum est, *Qui debet subiugare*, vt incarnationis mysterium enunciarer, remque declararet non factam; sed perficiendam. Neque enim decebat, sola diuinitate eum, qui mortis imperium habebat, diabolum debellari, sed opera templi verbi, quod ex semine factum est eius, quem decepit diabolus. Insolenter enim improbus demon gloriatus esset, si à nuda diuinitate captus, ac superatus fuisset. Porro diuersa eius nomina diuersas eiusdem actiones, non item multiplicem

placem naturam declarant. Namque diabolus aduersarius, malus, leo, draco, serpens, bellua & Cetus ob mores appellatur; quoniam multiplici artificio flagitium machinatur. Atque hoc ipsum, quod diximus, valet ad Manichæorum dogma funditus euertendum.

*\* al. Luciferam orientem.*  
*\* Codex Card. Caraf. habet deus puro mendose, cum deus potius sententia requirat.*  
 Obtenebrentur sidera noctis illius, sustineant, & ad illuminationem non veniant, & non videat \* stellam matutinam surgentem. OLYMP. & POLYCHER. Symmachus verò, Expectetur lumen, & non sit, maneat in tenebris. Verborum hæc est plena sententia, Ne suum splendorem impertiant, en luceant, inquam, noctis illius astra, sintque occulta omnino, nèue siderum necessitatem ostendant. Siderum cursus, quibus illa fuit nox obnoxia, inutilis appareat. Sustineant id est, cursum intermittant; atque illuminationem. Ira maneat, vt non appareant, neque cursum conficiant suum, sed neque noctem illam lux excipiat, vt quispiam præteriti illam sentiat. Huc enim pertinet illud, Non videat stellam matutinam orientem, quod etiam ad solis astrum referri potest. Quod si subtilius sententiam persequamur, hæc ait, Peccati inquit, quam noctem nominat, adumbratæ voluptates, formæque; eximia deleantur omnino, nèue aliquando virtutem vincat improbitas. Id enim valet, Ad illuminationem non veniant, pro eo enim est, Illud cognitum sit, peccati illecebras ipsas esse tenebras, nec boni specie fallat. Absit enim illi stella matutina, id est ratio, quæ propter probabilitatem illuminata videri posset. \* opinio. Nam qui libenter ruit ad flagitia, sæpenumero persequitur in prolapsione; aut quia à voluptate comprehensus est, eiusdemque illecebris delinquit; aut quia probabiles sibi fingit rationes, ob quas putat, nequaquam se in errore versari. OLYMP. Illud, Non videat orientem luciferum, fortasse non deprecando pronunciauit, verum id, quod est, indicauit. Nec enim Dei verbum, qui lucifer appellatus est à Petro, cum scribit, Donec lucifer oriatur in cordibus vestris, prætolari potest peccatum. Splendescere enim luce, tenebræ discutiantur. Quia non conclusit ostia ventris matris meæ, hoc ad verba, Quia non meum, inquit, prohibuit ortum. Atqui non in noctis erat potestate id facere, vt is ex vtero ne egredieretur. Sed tamen, quod his omnibus significat, illud est, Præstitisset, non esse natum, quam natum hæc perpeti. Illud verò ad intelligentiam grauiorem, Detestor peccatum, inquit, quia non sunt primi mentis meæ conatus repressi. Immo verò peccatum, concepti, & peperi, id est, re ipsa expleui, cum à vetiti ligni gustatu non abstinui, neque intra primos ad peccandum impetus constiti.

Abstinisset enim dolores ab oculis meis. POLYCHER. Quoniam in hanc lucem veni, inquit, Cur non cum matris meæ doloribus, inquit, vnà extinctus sum? Quod si non fuisset, haud me præsentia mala attigissent, nisi me mater mea peperisset, in has calamitates haudquaquam incidissem. Sed illud ad receditiorem notitiam, Nisi scelus atque perversitas consequuta fuisset, interitus, inquit, ac morbi mortalibus minimè contigissent.

Quare in vtero non mortuus sum? de ventre autem egressus sum, & non statim periij? CHRYS. Quemadmodum cum dixit Christus, Melius erat ei, si natus non fuisset, id tantum significauit, difficilia illum & acerba manere. Ita cum hoc loco Iobus ait, Vtinam natus non essem, aut natus continuo periissem; non Dei succensent opificio, sed magnitudinem tantum calamitatis ostendit. Ac vide hominis pietatem, vt iracundiam omnem in diem effundat, nec lineam hanc transilire audeat, semperque diem ac noctem iaculet, ac si diceret, Etiã pietatis nullam à Deo mercedem tulissem, nullum eram tamen facinus aggressus. OLYMP. Si sola ratio habeatur verborum, plena sententia, Rectius illi futurum esse aut non nasci, aut natum confestim extingui. Illud verò anagogiam habet. Præclarum, inquit, est, aut nullam facinorosam cogitationem mentibus nostris innasci, aut conceptam statim deleri.

Vt quid obuiauerunt mihi genua? vt quid vbera lactauit? APOLLINAR. Amplificat sua, dum optabile sibi fuisse demonstrat non esse principio procreatum. Nam cur mihi genua obuiauerunt? pro illo est, Cur supra genua educatus sum, à nutrice gestatus?

gestatus? Cur inuenta est mulier, quæ infantium molestias sustineret? quæ genibus illum exciperet? quæ illi puerilem escam in os infereret? OLYMP. Non debebam, inquit, in genibus collocari nutricis; lac ad vitam sustinendam mihi sugendum non erat. Verum hæc, quæ sequuntur, sunt altioris doctrinæ. Cur inflexa genua præbui peccato, aut deceptus sum, quando ad ligni veriti gustatum accessi? cur & sceleribus scelera cumulaui? Nam, Lactauit vbera, nempe id valet, Mores improbos auxi.

Nam sopitus tacerem; dormiens autem requiescerem cum regibus & consiliarijs terræ, qui gloriabantur in gladijs, aut cum principibus, quorum multum est aurum, qui impleverunt domos argento. APOLLINAR. Dormitionem & somnum mortem dicit, ab imagine nomen mutuatum, aut etiam hoc appellat vocabulo ob spem resurrectionis. Quasi diceret, Nihil mihi noui accidisset. Quod enim est hominū naturæ comune, id ipse minimè recularim. Nec enim est quisquam, qui mortem possit euadere, & reges & qui sapientiæ nomine gloriosi sunt, si modo vitalem huc spiritum ducunt, necessitati parent moriendi. Regno autem & sapientiæ quid tandem præferentius fuerit? OLYMP. Hinc ipsi erudimur, neque in tyrannide ac potestate, neque in diuitiis, neque esse in sapientiæ magnopere gloriandum. Quandoquidem reges & senatores terræ, hoc est, qui sapientiæ & consilium venditant, & qui gloriantur in gladijs, id est, in imperio atque dominatione, in victorijs atque trophæis, adde eos etiam qui copia auri abundant, communem mortis conditionem, subire tamen coguntur. Nullam rem igitur asperam larurus eram, si ortus comitem interitum excepissem; nullamque eorum, quæ in vita putantur, bonorum partem tulissem; præsertim cum ipsi illi, qui ob eas res sese magnopere circumspiciunt, non secus quam ceteri excedant è vita. CHRYS. Mihi quidem certè cohibere videtur amicos, iisque persuadere, ne magno res humanas æstiment. Vel ipsa in calamitate philosophiæ verba recognosce. OLYMP. Quamobrem hæc inquit, lugeris, quæ suapte natura fluxa sunt, atque fugacia? Num mortem acerbam putatis? At illa portus est, & cessatio præsentium malorum: quæ me sanè in hanc lucem ingressum cunctis ærumnis liberauisset, & nunc quidem si mihi mori contingat, Regum & principum haud ero dissimilis. Vbi enim nunc illorum dominatus? aut verò diuitiarum fiducia? aut etiam consilij ac sapientiæ insolens gloriatio? Etenim, si verba nuda spectentur, qui fieri potest, vt qui est in lucem editus, non necessario somnum & quietem capiat? Ad theoriam igitur confugiendum est, atque hoc pacto cogitandum, Primum parentem, nisi sese scelere obligasset, fuisse sempiterna quiete quasi iucundissimo somno fruentem.

Aut tanquam abortus egressus de vtero matris, aut tanquam infans, qui non viderunt lucem. POLYCHER. Postquam dixit de morte, quæ è matris vtero foras progredientem sua sponte comitatur, nunc augendi causa addit, aut quasi embryo, cuius nulla potestas est, adipiscendæ lucis. Vtinam, inquit, maternos dolores excepisset interitus, atque ad sepulchrum deportato nulla hauriendi lactis imposita necessitas fuisset. Etenim non modo quidquam grauioris mali expertus essem, sed etiam vitæ huius difficultates vitauissem; quanquam quid mihi primordia vitæ degustanti optem interitum? Vtinam prima mei corporis conformatio nusquam extitisset. CHRYS. Ad omnem elationis auertendam suspitionem cum inchoatis & abactis partibus se ipse comparat. OLYMP. Abortus, est factus nondum in vtero absolutus atque formatus. Infantem autem dicit eum, qui nec malorum nec bonorum, quæ sunt in vita, sensum hausit. Cur autem nonnulli partus non absoluantur, alij verò perfecti quidem, sed tamen mortui fundantur, quidam etiam quo tempore eduntur, extinguantur, huius inquam rei explicare rationem, non est humanæ mentis, cum id totum ad arcana Dei iudicia sit referendum. Sed nimirum conceptibus rudibus in uideo, qui nec vllam sunt ægritudinem, doloremue experti, nec è re quapiam molestiam vllam susceperunt; sed, quemadmodum sine labore venerunt, sic sine dolore aliquo, atque omni sensu vacui abierunt. Necnon iis in uideo, qui immatura ætate decesserunt,

cesserunt. Et hi enim quasi per transensam strictim vitam adspicientes sunt extincti celerius. Dein nequis illic paria esse omnia arbitraretur, quid inter pium atque impium discriminis constitutum sit, ostendit, dum addit;

*Illic impij cōstauerunt a furore iracundiæ; illic reuenerunt defatigati corpore.* CHRYS. Quid ais? Ergone impius ac facinorosus? Verum nec huiusmodi hominum generi est negarum solatium, laudationem deinceps mortis instruit, quod vitium nonnulli deseruerunt, alij ex ærumnarum fluctibus emeruerunt, quidam portum calamitatum inuenerunt, quidam etiam impedimenta nequitia offenderunt; sed, quod caput est, rerum, quæ in præteritis relictæ sunt, inanis est expectatio. Nam qui semel quietem illam complexi sunt, nunquam dimittent, vt mors acerbiteratum omnium ac malorum sit planè solutio. OLYMP. Doctrina nos erudit præstantissima, mortis enim utilitatem docet; quamuis eam peccatorum in nostrum genus infuderit; Dei nihilominus benignitate, atque consilio mortalibus conuertisse tamen in bonum, cum impij atque superbi ea ratione à malo atque ab insanabili furore prorsus arceantur, quandoquidem interimuntur iuuiti; qui verò sunt corpore defatigati, id est, qui corporis doloribus exagitantur, ac rerum mortalium molestiis excruciantur, laborum exitum consequuntur. BASILI. Fuerint sanè defatigati, qui arctam & ærumnosam viam ambulauerunt, qui in hoc sæculo laborauerunt, qui in sexcentis pro adipiscenda virtute susceptis certantibus defatigati sunt, qui laboribus exerciti fuerunt vehementius. Talis fuit ille laborosus, & calamitosus Lazarus; talis Iobus ob tam multas cum hoste pugnas pugnas defessus. Itaque hos, qui in bonis actionibus ac recte factis laborauerunt, ad quietem Dominus inuitat, eos inquam qui angustiam, laboriosamque viam, præ facili & laxa delegerunt. OLYMP. Nullam rem expeo flagitiosam, sed id tantum quod ad mortalium commodum instituit Deus, interitum. Verum enim, cum biblia nonnulla habeant, illic impij inflammantur furorem iræ, sic ipse commentabere, eos, qui postquam in terris castigati fuerunt, in impietate nihilominus manserunt, diuinæ iræ supplicio esse coarcendos. OLYMP. Theodotio autè cum ad hunc modum interpretatur, Posuerunt furorem iracundiæ, sententiam quandam aliã adfert, nepe illos à sua improbitate cessasse.

*Vnanimiter autem seculares, qui non audierunt vocem exigentis tributum.* Phorologus est, qui tributa colligit, exactor, qui multas pecuniarias redigit. Hoc igitur, dicit, post mortem nullum esse discrimen regis ac priuati; exactoris, & eius, à quo exigitur; diuitis, ac pauperis. Verum vitæ huius figura, atque imagine per mortem sublata, peræquè esse omnes in potestate mortis, cum alios quidem laborum contentione relaxet, quorundam autem dominationem extinguat. Illic enim versantur, qui iam inde ab initio moriendi necessitati concesserunt, qui sunt acerbis quæstorum exactoribus liberati. CYRILL. Vt significet eos, qui è viuis exceperunt, extra ærumnas esse, mortem omnibus superiorem esse confirmat. Vt non modo nihil ij patiantur mali, sed ne auditione quidem accipiant. CHRYS. Est autem hoc loco illustrior quædam quærenda sententia. Nempe igitur diuinus sermo eos prædicat beatos, qui vocem vestigalia, ac tributa exigentis minimè audierunt. Qui enim corporis voluptatibus, animique cupiditatibus resistunt, & principatus, ac spiritualia nequitia proculcant, exactoris, hoc est, diaboli voce nequaquam vincuntur. Nam ab iis, qui sese ei vltro dederunt, hoc pro tributo exigit, vt eius satisfaciunt cupiditati. Verum iusti homines cum illius vocibus hortantis ad mala aures claudunt, tùm demum in cæleste regnum feliciter adscribuntur.

*Paruus & magnus illic est, & seruus non metuens dominum suum.* CHRYSOST. Mira est, inquit, huius vitæ inæqualitas, mira item post migrationem ex hac ipsa vita libertas, & æqualitas. Mutationis vt hic, illic nulla suspicio; mors malorum ac scelerum est impedimentum, ærumnæ dissolutio; nam quæ hominum opinione erant mala, prostrigata sunt; & qui olim herum metuebat suum, haudquaquam illum extimefcit. *Illic paruus est & magnus*, id est perinde obscuri, & humiles, vt qui dignitate clari extiterunt. OLYMP. Is, qui tabe corruptus erat, ex quo

vermium

vermium fontes redundabant, qui sanie perfluebat, adeo multis de morte philosophatus est. Ac dolorum penè oblitus, incurrupta mentis acie optimas nobis tradidit disciplinas. Ipsi autem nullam harum rerum cogitatione suscipimus. Si enim in mortis memoriam rediremus, esset videlicet vita nostra rectius constituta. Diuitias verò atque imperia ac denique quicquid est in vita iucundum, facile contemneremus.

*Vt quid data lux est iis, qui sunt in amaritudine? Vita autem animabus, quæ sunt in doloribus?* OLYMP. Multifariam scriptura, vt quid, adhibet in supplicationibus, cum nullum ob casus aduersos grauem animi sensum reicitur. Vt quid, domine, recessisti longè? Et, vt quid Deus repulisti in finem? Nec enim quidquam aut expulstat, aut caussatur, sed precibus hoc tantum contendit, vt ne in rebus aduersis deseratur, neue tandè repudietur. CHRYS. & POLYCH. Nec verò criminâris hæc verba sunt; apage. Nec enim ea, quæ nõ eadem mente promittuntur, eodem modo sunt accipiendæ; sed merentis, & sciscitantis sunt illæ voces; Quid sit, cur ij, qui calamitatibus vexandi erant, in vitæ stadium ingrediantur. Nam ætatem cum aliis degere iucundum sit iis, qui & splendore præditi sunt, & firma corporis fruuntur valetudine. Quibus verò hæc ipsa denegata sunt, vitæq; angustibus & miseriis conficiuntur, non video quid commodi huic ipsi vitæ possint adferre; illi enim utilitatem quampiam fortasse præbuerint; at hi quanam? OLYMP. Quando igitur tu domine vitæ lucem impartiris, circumcide dolores, circumcide animi ægritudinem. Nam, vt nunc est, hæc, quæ doloribus conferta est vita, mors est optabilior. CHRYS. Hinc intelligimus non vitam solum, sed etiam mortem ad hominum commoda demigrasse. Ergo, quia mors habet, cur expetatur, adiungit;

*Qui mortem optant, & non assequuntur, sicut qui fodiunt thesauros, valde latè facti sunt, si inuenerint.* POLYCH. Ardentissimam quandam his verbis ostendit cupiditatem. Eiusmodi, inquit, qui premuntur calamitatibus, è morte capiunt voluptatem, qualis est eorum, qui cum auri sint appetentes, thesaurum inueniunt. Vt enim, qui aurum effodiunt, thesaurumue scrutantur, vbi inuenerint, lætantur; ita, qui acerbis plagis perculsi sunt, cum adesse mortem senserint, in spem solutionis malorum ingressi lætantur. CHRYS. Idcirco tempus, inquit, est rei cuiuslibet, ac rursus; O mors, quam amara est tui memoria homini pacem habenti in subitantiis suis! viro quieto, & cuius vitæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum! & rursus; O mors bonum est iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, qui summa est senectute, qui ab omnibus distrahitur, & qui perdidit patientiam. Ita Iobus, cum in ærumnis iaceret, mortis cupiditate teneatur, atque hæc loquitur, scilicet vt intelligas, cum ei vxor suadet, Dic verbum aliquod contra Deum, & morere; non ideo ei non paruisset, quod vitæ flagraret desiderio, sed multo maxime religionis ergo; quippe qui accersendæ mortis sibi occasione oblata vti noluit, quamuis eam magno opere expeteret.

*Mors viro requies.* CHRYS. Sententia est hæc, Si igitur mors est requies, quamobrem non ad eam festinant multi? ob id ipsum vitam optabilem nobis esse voluit Deus, ne propterantem incurfaremus in mortem. ISIDOR. Ex hoc loco, *Mors viro requies*; persuadere conantur nonnulli, fortibus tantum hominibus atque excelsa mente præditis esse ipsam mortem quietem; cæteris hominibus non item. Quod mihi sanè frigidum atque inane videtur. Nam si magnanimo mors quies est idcirco, quia contentionum exitus est principium præmiorum, est iudicium satis apertum clarissimo Iobo non de iis, quorum generosa est animi virtus; sed de illis, qui necessa iis oppressi sunt ærumnis, fuisse sermonem. Quod si id cuiquam videatur incredibile, ex cognata ac finitima ratione loquedi id facile perspexeris; hæc enim fuerat horum posteriorum verborum præmunitio; Vt quid data lux est iis, qui sunt in amaritudine? Vita animabus, quæ sunt in doloribus? Quando igitur alio quodam loco dicit; Cum tentationes vndiq; fuerint ad cælum pertingentes, & incuitabiles, & minime suum super me exal-

H 2

tauit

rauit, tunc mors iucunda & desiderabilis est; certe ab hac nostra non discedit sententia. Adde quod viri nomen non de mare tantum, sed de femina etiam dicitur, ita homicidam eum etiam, qui mulierem interfecit, appellamus; & *audipderum* non quod solius est viri, verum etiam quod est mulieris simulachrum. Verum Iobas simul vt dixit, viro mortem quietem esse, causam attulit;

*Conclufit enim Deus contra eum.* Duplici est, inquit, nomine mors viro requies; tum quia cum vitæ sit meta, hominum claudit actiones, facitque vt à scelerate agendo abstineant; tum etiam quia studiis, laboribusque virtutis finem imponit: illic enim non amplius certamina, sed coronas; non amplius sudores, sed quies. Ea igitur verba? *Conclufit Deus contra eum;* huic par est; laborum qui virtutis causa suscipiuntur, ac vitij mors habet exitum. Fortasse etiam ne quispiam diceret, Si mors requies est, cur igitur non eam eligis? *Deus enim,* inquit, *conclufit contra eum.* Portæ, inquit, clausæ sunt, Symmachus reddidit, Sepfit contra eum, id est, ei Deus ab agendo vacationem concessit. Verum primum illud est probabilius. Habent nonnulla biblia inter ea verba, *Mors viro requies,* atq; inter hæc, *Conclufit enim Deus contra eum,* verum hunc interiectum, Cuius via abscondita est ab eo. Quorum verborum hæc est sententia, Mortis via abscondita est ab homine. Nec enim quisquam mortis impendentis tempus animo complecti potest, cum illa repentina sit, & incerta. Nam dictum est, quia dies domini, vt fur in nocte, sic veniet.

*Ante cibos meos gemitus mihi venit: lachrymor autem ego compressus timore.* OLYMP. & POLYCHR. Causam exponit, cur optet interitum. Quod enim dicit, est huiusmodi, Haud quispiam dixerit, hæc leuiter à me, ac temerè fundi, quasi nihil mali patientes; quandoquidem nec cibum ipsum sine labore capere possum, nec sumere sine suspirio; oneratus ærumnis vsq; suspiro; malorum additamentum semper adspecto, & ex eo, quod præterit, quod futurum est, pertimesco. Sed nec lachrymas tenere possum, veritus ne me Deus planè deseruerit. Cum mihi multò futurum sit præstabilius non fuisse omnino, quam in hoc mali genus incidisse.

*Timor, de quo sollicitus eram, venit mihi; & quem metuebam, obuiavit mihi.* CHRYS. Hæc igitur causa fuit, cur in tantis procellis & fluctibus, qui oratione explicari nequeunt, iustus hic inuictò animo semper constitit. Namque, cum diuitiis, & opibus abundabat, paupertati præstolabatur; cum valeret corpore, morbum expectabat; cum tot liberorum pater erat, subitam orbitatem opperiebatur. Atque hic metus ille erat, hæc anxia exercitatio, quam domi semper alebat, cum nec rerum naturam ignoraret, & earum fluxam conditionem commentaretur. Idcirco dixit, *Timor, quem metuebam, obuiavit mihi;* præclare dixit, *obuiavit;* tanquam si dixisset, ad quem ipse cogitatione progrediebar, semper inquam animo sese illi offerebat, illum expectabat, illum sperabat, illi præstolabatur. Quamuis diuitiis affluens, atque delitiis in magna gloria vixerit, nihilominus alienas calamitates quotidie tractabat animo, & agitabat. Itaque ea, quæ grauias, & intoleranda videntur mala, incurstantia nihil illum permouerunt. OLYMP. Illa Dauidis verba haudquaquam vsurpauit, Ego dixi in abundantia mea, non mouebo in æternum: sed ob excellentem potius philosophiam magno semper erat in metu, rerumque deteriore conuersionem meditabatur.

*Non pacem habui, non tacui, non requieui: venit autem mihi ira.* CHRYS. Non dixit, Non pacem habeo, non quiesco, verum superiore tempore, nec pacem habui, nec quieui. Quamuis enim illa, quæ iam abierunt, iucundè mihi blandirentur; tamè acerbitarum expectatio quiescere animum, præsentibusq; frui deliciis non sinebat. Ergo quæ ratione antè complexus eram, cum illa ipsa nunc mihi euenisse videam, fero fortiter, vt quæ mihi multò antea fuerint præmeditata. Nec verò illa, quæ iam expectatione deuoraram, cum cernam præsentia, aut noua videntur, aut quoquo modo perturbant: immò verò expectata, inquit, mihi venit ira, id est, pœna acerba atque intolerabilis, quam & expertus sum, & prius quam experire, peruidebam.

*Protheoria*

*Protheoria Capitis quarti iuxta Græcorum diuisionem.*

OLYMPIOD. Iis quæ Iobus philosophatus est, palàm ostendit, nec se doloris sensu carere, & nihilominus in mediis cruciatibus à corporis commercio penè alienatum esse. Nam & præstantissima est ab eo immortalitatis inducta doctrina, cum animos cum corporibus nequaquam extingui persuadet, sed in infernis sedibus commorari: & diuites erudiuit, & pauperes solatus est, dum rerum omnium finem esse confirmat, tum eorum quæ terribilia, tum eorum quæ iucunda videntur in vita; Deumque hominum rationibus vtiliter morte consuluisse. Quando hac ratione & improbitatem cohibet, & laboribus atque molestiis quietem largitur; neque in amplis copiis despicientes cæterorum esse oportere, sed vitæ inclinationem esse potius pertimescendam. Ac demum esse morti optabilius, quam diuinum numen scelere violare. Hæc cum Eliphazi comitibus minime intellecta essent; ac verba, quibus moriendi desiderium Iustus testabatur, impia in Deum maledicta arbitrantur, insipienti studio concitati, atque ea parte animi, in qua irarum & cupiditatum ardor existit, inflammati in diuinæ providentiæ rationibus prorsus hallucinantur, quod mala, quibus hominum vita tentatur, in scelus referunt omnia. Illi igitur, Dei causa & defensione suscepta, cum Iobum tanquam culpis obnoxium iustus à Deo pœnis coerceri contendunt, nimirum qui consolandi causa commearant, viri iusti cruciatus vehementius amplificauerunt. Neque id mente agunt improba, verum ea re tantum adducti, vt terroribus etiam adhibitis amicum ad meliorem mentem, & saniora cõsilia traducerent. Quocirca stomachatur iis Deus, tanquam hominibus minus iusta loquutis. Sed tamen veniam impetrant, quod non à scelerato animo, sed à beneuolentia erga hunc iustum, atque à pietate aduersus Deum illorum conformabatur oratio. Vt nec ipsa quidem amicorum refellendi studio inducta oratio inutilis nobis futura sit: licet nec necessaria, nec opportuna, nec eius personæ, qui haud illam audire debebat, digna acciderit. Principio igitur hoc doceatur, non vt cumque adhortationes institui oportere; sed magna cum religione ac precibus Deo adhibitis: ne ratiocinando erremus, neue peruertamur. Et quoniam is, qui contra quam oportet, iudicat, non modò ex suo iudicio vtilitatem percipit nullam, sed damnum potius sentit, quamuis Dei causam verbis tueri videatur: idcirco diuino timore duce est habenda oratio. Improbis enim dæmon nostris libenter solet præesse sermonibus, eamque animi partem, quæ effervescent iracundia, perturbare, vt mente tenebris circumfusa, & à pietate ipsi abalienati, qui vtilitatis causa conueneramus, iidem nobis mali ac damni simus auctores. Et quidem exordio vtitur Eliphazus ad persuadendum accommodato, sed tamen in media concidit oratione. Probare enim nititur ob peccata Iobum torqueri malis, & ad virtutem conuerrere, qui conuersus est, conatur; & ad pietatè traducere eum, qui & omni reprehensione vacabat, & Deum colebat religiosè, & qui in mediis cruciatibus talia fuerat philosophatus.

*Suscipiens autem Eliphaz Themanites ait.* OLYMP. *Suscipiens,* id est, Iobi verba Deum exceperit.

*Nunquid sape tibi sermo est habitus in labore? robur verborum tuorum quis sustinebit?* CHRYSOST. Nouit scriptura laboris nomine peccatum significare. Vt cum dicit, Sub lingua eorum labor & dolor. Sic ergo Eliphazus, Vide, Iobe, ne fortè aliquid loquutus sis in peccato, eaque de causa his premaris ærumnis. Nec verò dicit, Numquid gestum tibi est, sed, *Nunquid sermo est habitus tibi?* Nam, cum esset vita eius insignis, & clara, & vbiuis gentium eius virtutis plura extarent monumenta, ne eiusmodi, inquit, vtare oratione. Quamuis enim tuæ actiones præclaræ sint atque honestæ, id etiam accidit, vt peccetur in verbis. DIXIT.

*Nunquid sape tibi sermo est habitus in labore? hoc valet, ipse videlicet sæpè apud eos*

H 3 sermonem

sermonem habuisti, qui casibus vrgebantur aduersis, iisdemque laborantibus consolationem adhibuisti, iis inquam, qui in calamitatibus & ærumnis versabantur. Nunc aurem verba tua contemptus plena sunt, vt nullus iam ferre possit. Immo verò tuæ orationis asperitas tanta est, vt vel eum, qui sileret libenter, exciter ad refellendum. O L Y M P. Theodotionis hæc est expositio, Si expe- rimus loqui ad te, laboriosè feres. Symmachus verò, Si recepimus sermonem, affigeris, quæ quidem interpretationes huc pertinent, Nosti videlicet, ô Iob, nunquam ea nos tibi loquutos esse, quæ molesta acciderent. Nunc verò, cum verborum tuorum asperitatem ferre nequeamus, cogimur contradicere. Opor- tebat enim erga ortus tui auctorem te gratum videri, quâdoquidem cum pro- fus non esses, vt esses, tibi largitus est. Pœnitentia opus erat illum peccatis in- sensum ruis abs te placari, nec quidquam de eo dici absurdum. Contra illum ausus es & natali diei grauiter succensuisti. Hæc loquebatur Eliphazus, quoniam quæ à Iobo dicebantur, cuiusnam modi essent, ignorabat prorsus.

Si enim admonuisti multos, & manus infirmi consolatus es, infirmos erexisti verbis, ge- nubus impotentibus fiduciam dedisti: nunc autem venit in te dolor, & tetigit te. & festina- sti CHRYS. & POLYCHRON. Non ea præclara persequutus est facinora Eliphazus, quæ Iobus in opum possessione ediderat; hic enim facile paupertatem potuisset opponere. Itaque eam tantum commemorat vilitatem, quæ ad alios ex illius verbis peruenerat. Id autem, quod loquitur, est huiusmodi, Præ- sentia hæc cum veteri illa tua pugnant sententia. Qui enim fieri potest, vt, qui oratione sæpenumero alios confirmaris, & propè labantes erexeris, bona spe illis ipsis obiecta, hæc tute ipse patiari? Qui tandem inuadentem dolorem ferre non potes? Sed festinasti, id est, perturbatus es. Ductum est enim ab iis verbum qui tumultu perterriti, celeritatem addunt ad gradum. Atqui oportebat tibi tuorum verborum venire in mentem, & illa reuereri, nec solum in alienis, ve- rum etiam in tuis calamitatibus philosophari. Illudque observa, illud operis ac muneris Iobum habuisse diuinitus, tum vt alios doceret, tum vt ad mala leniter, tranquillèque ferenda adhortaretur. Huius enim virtutis, non obscurum illi, vt taceatur de cæteris, testimonium dat Eliphazus. Adhuc verba Eliphazi minimè dura: verum quæ consequuntur, solantis personam haud decent am- plius. Nam audis;

Verum non timor tuus est in insipientia? & spes tua, & malitia via tua? Verum Aquila, Patientia tua, & simplicitas viarum tuarum. Stultum implicat syllogismum. Nam, quia dixerat, Timor, quem metuebam venit mihi; ait timorem illum insa- num fuisse, & spem fuisse animi improbitate subnixam. Est enim amentia à viro bono talia expectari. Quare vel tuo ipse testimonio vitam tuam flagitiosam fuisse comprobasti. Nam, si te innocentia fiducia erigebat, sanè stultus ac teme- rarius fuerit metus. POLYCRON. Nunc demum rebus ipsis probatū est aper- tē, cum sceleratè ageres, tum te dixisse, in vno Deo tibi spem omnem positam esse; quod quidem certum est stultitiæ argumentum. Id enim ad hunc modum conficitur. Si tu eos, qui maxime conficiebantur, consolatus es, ac prostratos egri- tudine erexisti; Quis tandem ipse presenti implicatus ærumna, intolerandum tibi ducis dolorem? Igitur mentiebatur tunc illa tua fortitudo, mentiebatur patientia, quandoquidem hæc ipsa te tantopere plaga commouit. Præterea, si homo frugi cum esses, metuebas, & grauissimi alicuius mali incursionem expe- ctabas, metus ille videlicet, atque expectatio insipiens erat. Nec enim hominem Deo carum formidare fas est, sed fidere, neque res tristes ac malas sed secundas ac bonas expectare.

Recordare igitur, quid mundus cum esset, perijt? POLYCHRON. Discede, inquit, ab ista virtutis tuæ inani estimatione; æquus esto rerum æstimator: haudquaquam reperis, qui, cum vitam è virtute ageret, pœnas dederit.

Aut quando veri radicibus perierunt? O L Y M P I O D. Non ob illa, quæ gesserat, sed ob ea, quæ patiebatur, diuini consilij ignarus Eliphazus Iustum condemnat. Illud autem, radicibus, vim magnam habet, rerumque omnium interitum decla- rat,

rat, fortunarum, inquam amissionem, extinctionem liberorum corporis affi- ctionem. Dicere fortasse possis, alios quoque mala esse perpeffos. Sic ita sanè, inquit; At ita mala ad filios & posteros haudquaquam permanarunt. Tu verò cum tota familia funditus interuisti. Quamquam, ô vir præstantissimè, verus Iobus haud est periturus.

Quæ admodum videtur arantes, quæ non oportebat, seminantes autem illa, dolores merent sibi metipsis; a præcepto domini peribunt, à spiritu ira eius delebuntur. O L Y M P. & POLY- CHRON. Quod seminat quis, hoc & merit, vt inquit sacer Apostolus, dubitari id minime potest, & illud præclare dictum est ab Eliphazo, esse supplicia facinoro- sis constituta. Hos egomet vidi, inquit, non potuisse calculum vitare diuinum, idque iure optimo; suis enim operibus fructum ferunt dignum. Etenim, cum scelerati homines vitiorum semetem faciant, supplicium pro manipulo vicissim reportant. Et quoniam primum arandum est, deinde serendum, tum ad extre- mum metendum, nempe rectè atque concinnè vsus est Eliphazus translatione sermonis. Nam primum dixit, Arantes, quæ non oportebat: deinde, Seminantes illa: tum adiunxit, Metent dolores. Sed tamen id non vidit Eliphazus non cunctorum hominum esse in hac vita remunerationem. Cum multi multa admiserint scelerata, qui sine reprehensione vlla migrant è vita: qui idcirco pœnas non luerunt in terris, quia tribunalibus illis, & quæ illic exercentur, iudiciis reseruabuntur. Ergo non rectè illud vniuersè pronunciauit, & iniustos in vita exerceri omni- no, & iustos ab ærumnis esse prorsus liberos. Atqui hi ferè diuexant malis, vt eorundem sit spectata virtus. Itaque errore mentis Eliphazus diuinæ aduerfa- tur scripturæ de Iobo his verbis testificari, Et erat homo ille verus. Ille verò inquit, Haud verus es. Nam, si esses, radicibus non periisses, liberis fortunisque orbatus. CHRYSOST. Illud, A præcepto domini, huc pertinet. Noli putare, in- quit, aut ab improbo dæmone, aut ab hominibus ista in te mala esse immissa. Deus est, qui te vlciscitur ac punit. Dubitari igitur nullo modo potest, dignum ac iustum esse supplicium. POLYCHRON. A præcepto domini. Haud labore defatigatur Deus: Iobus videlicet imperio reorum supplicia decernit. O L Y M P. A spiritu ira eius, huic responderet, à minis eius. Dictum etiam est, Peribunt à spiritu; vt seminatibus à vento consumptis accidere solet, vt hic etiam metapho- ra retineatur. Nam qui talia spargunt semina, horum à fructu inanis est messis.

Robur Leonis, vox autem Leæna, superbia autem draconum extincta sunt. Myrmecoleo perijt, id quod non haberet isam. Catuli leonum se inuicem deseruerunt. DIDYMI. Na- turas sumit mutorum, quæ non solum nostro generi nullam magnopere præ- stant vtilitatem, verum etiam eidem sunt infesta insidiis, probatque Eliphazus quicquid iniquum est & arrogans, perdi à Deo. Nempe igitur, inquit, cum Deo visum fuerit, intolerabilis concidit leo. Vox item Leæna opprimitur, infirmiores bellus immanitate soni territantis. Superbia draconum extincta est: Myrmecoleo perijt, &c. O L Y M P. Negat nonnulli Myrmecoleonem animal esse ad veritatem historiarum, sed compositione esse duntaxat fabricatum. Alij bestiolam esse aiunt ab Oceano ortam\* siue è terra procreatam. Idcirco verò interiire, quod cibo  
ἤτοι ἐν γῆς  
 οὐκ ἔστιν. Ἐπεὶ  
 στίμιον ἄν  
 τικῶν ὑψὺ  
 παρὰ τὴν  
 αἰθῆρα, ἢ  
 τὴν τῶν  
 πτερυγίων  
 τῆν  
 εὐκλειδῆ  
 τῆν  
 εὐκλειδῆ
 caret cum eius natura congruente. Quidam etiam affirmant sine cibo vitam il- lud ipsum animal tueri, sic Deo ipsi consulente. Verum, si in historiarum rationibus perscrutandum sit, à natura peritis exemplis nititur persuadere Eliphazus haud verum hominem esse Iobum. Nam interrogatione confirmans orationem, sic eum propemodum alloquitur, Dic mihi, Iob, num leones suum amiserunt robur? annon est adhuc robustum animal leo? Numquid draconum superbia & gloria extincta? an non adhuc exultant arroganter, nec quidquam terrentur? num Myrmecoleo perijt, quamuis cibum non attingat? Num leonum catuli peccorum more gregatim pascuntur? an non vitam degunt solitariam? atque in suo loco quisque commorantur, primæque naturæ parent institutioni? Ergo vt hæc naturæ metas tuentur, nec eas transiliunt aliquando, siue pusilla, siue im- mania sint animalia: sic tu, si verus homo extitisses, nec verbis tantummodò pie- tatem iactasses, profecto nihil tibi huiusmodi accidisset, nec à Deo descriptas  
 lineas



lineas transfilisses, ut esses ob rectè facta infelix atque ærumosus. Hæc verò ipsa si ad theoriam traducantur, dicemus impetus animorum, atque perturbationes superiorum animantium sequi similitudinem. Myrmecoleonis similis est diabolus. Is enim formica est pietate præditis hominibus, leo impiis. Quòd si apud te diabolus non inuenerit escam, nimirum perierit, id est, eius conatus ad nihilum reciderint, incurstantesque perturbationes restinctæ, oppressæque fuerint. N I L I. Ea natura est perturbationum, ut principio haud grauiore cōtentione superentur; corroboratæ verò maiore ferantur impetu, infestumque bellum ac periculosum iis inferant, qui à primo illis ipsis pugnando obistere noluerunt. Idcirco propheta Babylonis semen deleri iubet. Igitur, quamdiu in sensuum officinis imagines impressæ refederint, eas deleri suadet oportere. Quidam autem alius felicem prædicat eum, qui vim perturbationis acrioris atque vigentis nunquam exceperit, quin etiam priusquam mammis adhærescat, elidunt. Illud verò, *Perijt Myrmecoleo, eo quod escam non haberet*, hanc sententiam adfert, Cum enim oratione insidiantis perturbationis naturam velle ostendere, coniuncti nominis appellationem excogitauit, nomenque ex audacissimo leone, contemptissimaque formica coagmentauit. Irruentes enim perturbationes à tenuioribus visis exoriuntur, & quasi formicæ latentè obrepunt. Vbi verò se confirmarint, adeo est earum fastus immanis, ut nō minus quam leo periculum iniiciant occurfanti. Tunc igitur certamē inuenti cum perturbationibus, opus est armis decernere, cum instar formicæ progrediuntur in aciem, contemptam quandam escam obitientes. Si enim vires fuerint consequatæ leonis, difficillimam habuerint expugnationem. Necessè quoque fuerit, iisdem cibum subtrahere. Sunt autem esca perturbationum, rerum, quæ sensibus hauriuntur, simulachra. His enim aluntur perturbationes, his spectrum vnūquodque ac visum contra animam vicissim armatur. Neque verò, cum hæc ipsa commentaremur, Eliphaz sententiā perfecti sumus: sed, cum verba ad allegoriam torqueri facile possent, veterem vsū sumus instituto. Illi enim & in his theoriam inuenerunt, & Myrmecoleonis notionem in diabolum accomodarunt: siquidem cum is paruas principio subtractiones comparat ad peccatum; postquam clam subrepperit, edocet ad extremum contemnere. D I D Y M I. Ad historiam illud est. Postquam dixit Eliphazus, eos, qui ferunt, quæ non oportet, Dei imperio interituros, addidit id ipsum eiusdem Dei nutu, leoni, ac draconi euenturum esse. Qui igitur in mutis tueretur ordinem, multo magis hunc inter homines conseruabit. P O L Y C H R. Sed alia quædam superiorum verborum fieri potest interpretatio; Iobum ob regiam potestatem leoni comparat, in quo quasi nutu significat, eum tum ingenio ad rapacitatem procliuem, tum elato animo fuisse. Vox leonæ ad coniugem pertinet; Draconum superbia, & fastus ad filios: carulos verò leonum inter se reliquisse, illos ipsos morte dissociatos esse ostendit. Hæc verò omnia extrinsecta esse dicit, ut hominis incessat calamitatibus. Ac Myrmecoleonis nomine Iobum indicat, ut qui peccati labe aspersus Iusti nomen sit simulandi artificio adeprus. Quocirca statim inducit;

*Si autem verbum aliquod verum fuisse in sermonibus tuis, nihil tibi horum occurrisset. Tuorum flagitiorum te pœnas dedisse, à signo verissimi facile quis possit argumentari. Nisi enim solis verbis religionē prætulisses, sed factorum etiam suiles veritatem assequutus, nihilque ab officij religionē declinasses, haud tantorum malorum acerbiter degustasses; præsertim cum iustorum hominum actiones nullo pacto Deus aspernetur. C H R Y S O S T. Illud, Si verbum aliquod verum fuisse in sermonibus tuis, indicat, atque innuit, sæpenumero plenā grauitatis orationem à Iobo vsurpatam esse, vel ad æmulatione concitandos nonnullos, vel alterius rei causâ.*

*Primum non accipiet auris mea \* magnifica ab eo? Symmachus autem, \* Ad me sermo factus clam, surtiuè, & accepit auris mea susurrum ab eo.*

*Timor & sonus nocturnus, incidens timor in homines; horror autem mihi obuiuit, & tremor, & magnopere ossa mea constituerunt: & Spiritus in faciem meam irruit; cohortue-*

*tunt autem pili, & carnes meæ. Surrexi nō agnouit: vidi & non erat forma ante oculos meos, sed auram & vocem audiebam. O L Y M P. Planè difficilis atque impeditus locus, vnde multiplices nobis notionum semitæ ostenduntur. Nimirum igitur conatur hæc oratione Eliphazus timorem Iobo inferre. Timeas, ô Iob, inquit, necesse est, nec abs te decet Deum vlla ratione contemni, quandoquidem non die solum sed noctu etiam de dormientibus supplicium sumit, cum nocturnis eos visis exercet. Id quod cum ipse ab aliis, cum id dicerent, audiui; tum egomet sensis, qui territis somniis sæpè cohortui atque contremui, cum ossium harmonia penè conuelleretur vniuersa. Quidam etiam in me spiritus ruere videretur, nulla mihi interim forma, certave specie percepta. Solius vocis exterrētis sonitum exaudiebam, qui sensum admovebatur, ac me tremere cogebar. Aut etiam tale quidpiam fuerit, quod dicit Eliphazus, Verere cum, qui immittēdis etiam somniis, irrogat supplicia hominibus, cuius quidē est formidolosa notitia. Etenim, si quando naturæ illius admirabilem excellentiam mente complexus fuero; & quemadmodum, cum loca compleat omnia, extra omnia tamen sit, intellexere, accidere idem mihi sentio, quod iis euenit, qui in tempesta nocte, arctissimo silentio omnia occupante, mira quiete consopiti, à nocturno nihilominus sonitu perterrentur. Quocirca huiusmodi me notitiæ horrore, ac tremore perturbant, nec quidquam in animi intelligentia aliud relinquitur, nisi notitia quædam obsecuri atque incomprehensi spiritus. Quòd si ratiocinando altius euolero, profusus nihil cognouero, nihil percepero. Cum enim diuina natura nulla sit forma prædita, nostri animi fugit obtutum; quâtoque magis ratiocinationibus, quod querit, inuenire adnitatur, tantò minus quærendo inueniet. Est enim illius natura incomprehensa, quæ ipsam noster animus tanquam tenuem auram, sed tamque vocem, quæ mens re fititur, videlicet, sentit oriturque ille sensus à quadam diuinæ naturæ actione, ipsa natura nequaquam sese ostendentes; ut quæ nec percipi possit ratione aliqua, sitque tota horrida. Cuius quidem contemplatio tenebras, caliginemque mentibus ratiocinationibus obducit; ac simile quidpiam, quod fit in vento, consequi solet. Ut enim illū cernere nequimus oculis, sic nec Deum rationibus inuenire. Ut enim ventus oculos, sic Deus nostrâ præteruolat intelligentiam. Et quemadmodum vox, ventique flatus sentiri quidē ipsa possunt, cerni non possunt; ita diuina etiam natura, quamuis sublimioribus illam sæpenumero ratiocinationibus exquisierim, à conspectu sese tamen abstulit. Cùmque quid Deus esset, nosse cuperem, illius tantum actiones mihi licuit istueri. Hinc ergo discere, ô Iob, sermones & monita mea nequaquam contemnere. Nam ipse quoque sum illustratione dignatus diuina, ac quieta visa contemplatus sum, sanctique spiritus recepi splendorem, atque intellexi esse diuinum numen, ab omni specie, ac figura secretum; natura simplex & incomprehensum. Quasi aura tenuis sensum mihi quandam tantum obtulit. Hæc eò disserit Eliphazus, ut in Iobi animum facilius eius influat oratio, atque ut in iis, quæ parat dicere, fide dignus habeatur. Fortasse etiam terrorem Iobo adferre conatur, eumque ad pœnitentiam deducere nititur. P O L Y C H R O N. Annon, inquit, auris mea, quæ mediocritatem superant, accepit à Deo? ut ipse ne mihi fidem abroges? hoc enim loco, *Accepit*, pio accepit, intelligendum est: multifariam enim scriptura tempus pro tempore summutat. Et quidem cum ipse sæpenumero disputantes de Deo audirem, ac disputationem ego conare attingere, perterrefactus sum, ac tremefactus omnino. Quod autem ait, *Nocturnus sonus*, hoc indicat, quemadmodum in tempesta noctis silentio cum quies est arctius cuncta complexa, quasi cuiusdam circumcursantis soni cogitationem ipsi suscipimus, & huc flatus ruentis motionem sentimus, ipsum contueri non possumus; sic de Deo mihi cogitanti, cum illum inuenisse me credo, tunc elabitur maxime, nec ea re tamen diuini splendoris sum expers omnino. Spiritus, inquit, in faciem meam irruit. Cur ergo Iob secus philosopharis? cur non pertimes Deum adeo præstanti excellentique natura præditum, quem quanto quis acrioribus rationibus assequutus videretur, tantò eum magis absoluta præceptio fugerit, ingenique sui tenuitatem & quæ-*

\* Quædam, magnifica. Ita quoque apud August. \* Ita etiam in vulgata latina.

stionis pondus perspexerit.

*Quid enim? nunquid mundus erit mortalis coram Domino? aut ad operibus suis vir irreprehensibilis?* POLYCHRON. Inexplicabilem Dei naturam esse probauit, ad hominis audaciam refurandam. Nunc ad illum ipsum refellendum communis naturæ infirmitatem demonstrat. Ne putes, hæc, inquit, à me exprobrâdi causa dici; peccata enim tibi profero. Nam vt vniuersè dicam, nemo reprehensione culpæ vacat, quæ licet hominem lateat, latere tamen Deum non potest; idque significat, *coram Domino*. CHRYSOST. Vide quemadmodum Deo contradicatur Eliphazus. Deus enim de Iobo testatus erat, illum omni vacare reprehensione: hic autem, nequaquam, inquit, reprehensione vacat: in quo propterea quibus ipse erat affinis, superbo decreto alios condemnat. DIONYSIUS. Ne dixeris hæc te nulli peccato obnoxium pati: cum nemo, inquit, homo reperitur, cuius sit vita ad perfectam legum disciplinam instituta. Fit etiam infirmitate naturæ, vt nonnunquam culpas voluntarias sæpè etiam vt easdem nec voluntate contrahamus; quod ipsum si pendatur animo, cum vim habeat ad persuadendum, propositum facile concludit. Nam, si ob peccatum quis miserè & acerbè viuunt; nemo est autem à labe integer, profecto nullus non moleste atque ærumosè vixerit.

*Si contra seruos suos non credit, contra verò angelos suos prauum quid excogitauit.* DIONYSIUS, OLYMP. & CHRYS. A maiore sumit argumentum, nititurque probare, nullum esse hominem, qui non peccet. Quid de hominibus, inquit, attinet dicere; cum nec angeli quidem reprehensionem vitare potuerint? quando & mutabilem sunt adepti naturam; & si diuini iudicii ponderibus examinentur, haud sint Dei legitimi serui, atque administri? neque cunctis in rebus firmitatem constantiamque tycantur? Quam sententiam non obscure expressit Symmachus, sic enim ille; In seruis suis inconstâtia; & in angelis suis inueniet stultitiâ. Ne igitur mirere, inquit, quod dixi; Non erit mortalis mundus coram Domino; quando quidem neque id seruis, ac famulis suis angelis largitus est, vt reprehensione constanter carerent. Illius enim munere continentur, quando illius tantum est, vt mutari non possit. ATHANASIUS. Rerum quæ generatione creationeue effectæ sunt, mutabilis est natura, vt quæ extra Dei sit essentiâ, atque ex iis, quæ non erant, constiterit. Proinde, Omnis homo mendax? & Peccauerunt omnes, & egent gloria Dei. Diabolus verò cum inter medios Cherubinos versaretur, essetque signaculum similitudinis Dei, tãquam fulgur è cælo decidit; & Angelos iudicabimus, qui nimirum principatum minimè conseruarunt. Hic etiâ dicitur, *Si contra seruos suos non credit*. Denique rerum creaturarum ea est natura, vt commutentur. Nam esse immutabilem omnino, solius est diuinæ naturæ. OLYMP. Illud, *Prauum quid excogitauit*, huic alteri respõdet, Mutabilem eorum naturam fabricauit, vt ea re in culpæ reprehensionem possit incurrere. Quod sanè certè angelis defertoribus euenit, idè quòd naturam non erant à mutatione alienam consequuti. Verùm libertatis consilio de sua ipsi statione decesserunt. CHRYSOST. Rectè illud dictum est, *Excogitauit*. Id enim declarat Dei sapientiam, qui ne angelos eorum naturæ efferret excellentia, sibi que parerent in perpetuum, prauum quid contra eos excogitauit, hoc est, eos, qui proprium deseruerunt domicilium, supplicio constrinxit.

*Habitantes verò domos luteas, ex quibus & ipsi ex eodem luto sumus, percussit eos tanquam tinea, & à mane vsque ad vespèram non amplius sunt, eo quòd non potuerint sibi ipsis subuenire, perierunt: insufflauit eis, & exarserunt; perierunt, quia non habebant sapientiam ipsi.* OLYMP. Si angelos, inquit, qui se scelere astrinxerunt, pœnis irretiuat, dum nostra crimina supplicio vlsciscitur, morabimur ipsi, qui tantò sumus angelis inferiores? ac circa terras volutamur, ad tam facile delinquendum nos trahente natura? Et verò delinquentibus nobis supplicia diuino consilio irrogantur, ne peccandi impunitate muniti, in summa scelere impietate bacchemur. Nam, si Angeli qui spiritus sunt, ac cæli incolæ, cum diuini iudicij seueritatem subeant, habent, quod in ipsis reprehendi possit, quid nobis fiet, qui ex argilla facti sumus, terramque habitamus? Hoc ipsum Symmachi expositione illustratur: sic

rursus enim ille, *Quantò magis qui domos habitant luteas? quorum terrenum est fundamentum? Etenim si Deus percussit, facile consumimur, neque diem integrum sustinemus, tanquam olera à vermibus peresa, aut vestimenta consumpta à tineis.* Ex quo facile perspici potest, & quanta Deus potestate polleat, & quanta nostræ sit naturæ imbecillitas. Nam quæ est olerum, eadem est, nostrum omnium infirmitas, celeriterque consumimur ipsi, vt tinea vestis; eaque est Dei vis, tamque sine labore vilo, quæ voluerit, perdit, vt quàm facile est homini spirare, tam etiam Deo sit, solo voluntatis nutu cuncta siccare. CHRYS. Illud, *Percussit eos tanquam tinea*, huic par est, per facile ea etiam, quæ sunt intima, corrumpit. *Insufflauit autem, id est, nullo labore eguit, sed duntaxat voluit, & quæ contra illos parabantur, perfecta sunt omnia.* Verùm hæc dicuntur ab iis, qui ira exandescunt, sumpta translatione, qui pro obiurgatione spiritu atque inflatu vti solent. Illa autem verba, *A mane vsque ad vespèram non sunt amplius*, fortasse Iobi causa dicta sunt, quòd vno die sustinisset omnia grauiter dolentis. OLYMP. Iudicium & condemnationem Dei, vsus verbo translato statum & anhelitum nuncupauit, *Insufflauit, inquit, eis, & exarserunt*, vt cum flante vento flores exarescunt, quia quidem re Dei sit potestas insignis. Illo enim tantum dicente, plectitur mortales, iis nulla vitandi ictus, ac repellendi facta potestate. Ac ne quispiam diceret, Deum imperio cuncta administratē temerè atque indicta causa irasci hominibus, idcirco negat hæc sine certa ratione consilij accidere hominibus; sed ideo euenire, quia non habent sapientiam, id est, quia Deum non timēt. Nam initium sapientiæ timor domini.

*Innocentia autè, siquid tibi ob audiat, aut aliquem sanctorum angelorum videas.* OLYMP. CAPVT V. Quid inquit, præter dignitatem loqueris? idque homo cum sis? Vsq̄ue eò est enim homo inferior Deo, vt non solum nec videre illum, nec comprehendere queas, sed etiam vt nec a te millies inelamatus sit responsurus. Quid loquor Deum? quando quidem nec eius angeli in nostrum possunt aspectum incurrere? POLYCHRON. Quòd si recta ea esse putes, quæ disseruisti, ageris sententiæ tuæ comitem mihi profer aliquem. Sed nimirum ea es vsus orationis asperitate, vt nec angeli conspectu dignandus sis, si etiam inuocaris.

*Etenim stultum perimit ira.* OLYMP. diuina videlicet.

*Errantem autem interficit zelus.* Zelum dicit Dei odium in improbos. CHRYS. Eum meo quidem animo insipientem appellat, qui peccat, quem etiam ira interimit; minimè verò sapientem, neque enim illic est ira. OLYMP. Sic etiam intelliges, stultè irascaris, atque iis stultè vitam inuides, qui vitam iucunde, tranquilleque traducunt, quando te sanctum & integrum esse constituis, atque audacia in Deum incitaris. Quocirca illius impetum ac vim minimè effugies. Tua etiam iracundia opprimeris. Cuilibet enim insipienti atque iracundo sua iracundia adfert interitum.

*Ego autem vidi insipientes mittentes radicem, sed statim ipsorum conuersatio deuorata est.* Symmachus: Et maledixi decori illorum statim. OLYMP. Quoniam Eliphazi causæ non parum officiebat iniustos homines sæpenumero esse rebus secundis vsos, Iobi quoque rerum priorem statum florentem fuisse. Ac ne hic ipse multorum certaminum vir diceret, Si insipiens eram, cur opibus ac diuitiis antea circumfluxi? Contrario huic argumento occurrit amicus, & dicit, Quamuis homo iniustus belle atque iucundè habere sese videatur interdum, ac res suas felicitate atque securitate septas esse arbitretur (Id enim est, *radices mittere*) illas tamen diuturnas esse non posse. Immo vero illius conuersatio, id est, domus eius vniuersa, & lætus ille blandusque coniectus concidit, atque interit. Cumque radicis, quæ in plaris spectatur, mentionem fecisset, vt in translatione commoraretur, addidit, *deuoratur*; siquidem plantæ, quarum exeduntur radices, exarescunt. Impiorum deinceps exitia atexit: quæ optando quidem efferuntur, sed tamen ex decretis, ex effectis, atque ex euentis oportet intelligi.

*Longè suauis filij eorum à salute.* OLYMP. Hoc non rarò contingit impiis. Terra promissionis iure hæreditatis Iudeorum nationi obuenerat; nihilominus eorum

rum, qui illam antea habitauerunt, scelere, atque impietate interfecti sunt. Neque id tamen fit in hac vita perpetuo; cum non hic, sed in eo, quod consequetur, ævo profus reponatur hominibus. Ita cum sine discrimine enunciarit, haud rectè dictum est Eliphazo. Illud verò, *longè sunt*, non oprantis est, vt iam admonuimus, sed pro hoc altero est, facti sunt, tanquam id euenerit omnino. Tempora enim absque discrimine v' surpantur, præsertim in hoc ipso volumine.

*Tanquam porci versentur in portis inferiorum, & non erit, qui liberet.* O L Y M P. Id est, conterantur, contemnantur, *καταθρῆσθαι* enim pusillus est porcus, cui Aquila, conterentur; Theodotio, Confracti sunt; Symmachus, humiliati sunt, reddidit. Contempti enim nulliusque pretij habebuntur. In alienis ianuis contabescunt, in ianuis inquam humiliorum, extremaque in eos incumbet calamitas. Et quia erunt Dei protegentis ope destituti, haud quispiam reperietur, qui illos ipsos vindicet ab ærumnis.

*Quæ illi congregauerunt, iusti comedent.* Symmachus autem, Edent famelici; hoc est, quæ ab improbis fuerint cum labore congesta, iis homines pij poticatur. C H R Y S. Nimirum id dixit, qui artibus improbis opes cœcuerant, his eos nequaquam perfruturos.

*Ipsi autem à malo non erunt liberi.* P O L Y C H R O N. Non modò impij suas, inquit, amittent diuitias, sed nec etiam quibus premuntur malis liberabuntur; æque enim fieri potest, vt pœnas non persoluant, licet ad breue tempus in rerum abundantia gliscere videantur.

*Exhauriatur eorum furtitudo.* Id est, absorbebitur, consumeretur, planè vacuabitur, ab iis rebus sumpta metaphora, quæ fistula canaliue exhauriuntur omnino, vt nihil humoris planè relinquatur. Ita Symmachus, Exoribet sitiens potentiam eorum.

*Non enim e, ressus est de terra labor.* Symmachus autem, Non egredietur de puluere labor.

*Neque de montibus germinabit labor; sed homo nascitur labori, pulli autem aquilarum in sublimia volitant.* O L Y M P. Tacitè his verbis Iobum consolari videtur. Minimè decet, inquit, ideo te confici, quòd ærumnis afficiare, homo cum sis. Neque enim cruciatus est rerum sensu carentiam; sed nimirum ipsæ etiam volucres (ex Aquila enim reliquis item aues intelligi) multò minus, quàm nos laboriosam atque curis anxiam sunt vitam adeptæ: C H R Y S. Quid ergo? an volueribus magis consulit Deus? apage. Quandoquidem nec terra, nec montes, cum partem nullam sensus habeant; res enim tantum sunt quædam naturæ; infelicitatem queunt subterfugere. Ac ne rursus se iustum Iobus diceret; ideo eiusmodi esse ait humanam naturam, vt nequaquam sit immunis à culpa. Firmum igitur à natura Eliphazus petit argumentum, propriumque dicit esse hominis vexari ærumnis. Statim igitur, vt homo est susceptus in lucem, laborum, atque molestiarum adit hæreditatem, difficultatibus atque miseris illius vita completur. Atq; hoc nomine deteriore est nostra natura statu quàm earum rerum, quæ è terra, montibusque gignuntur; quoniam nec in ortu nec in accretione, dolorem, acerbiteratemque potest deuitare. Auibus etiam concessum est, vt sine labore volent, ac cibum sine molestia colligant: nihil horum sine tædio atque ærumna adest homini.

*Verumtamen ego obsecro dominum.* O L Y M P. Sanè certè hæc ita se habent, Ego tamen ipse ad Deum cōfugio; illius opem imploro. Ad hæc, vt ad metum Iobum adducat, Dei narrat excellentiam, suaq; obiecta persona eundem allicit ad penitentiam. Illud autem, *ego*, dictum est arroganter, vt se ipse à Iobo fecernat, tanquam si diceret, Ego ipse precabor, quandoquidem tu precatione aspernaris.

*Dominum autem omnium dominatorem inuocabo facientem magna & inuestigabilia, gloriosa & imperjurabilia, quorum non est numerus.* D I D Y M I. Postquam in homines insipientes inuictus est, atque ea quæ de illis dicere habebat, exposuit; nunc prouidentia auctorem atque opificem Deum confitetur. Nec verò improbabile est, eiusmodi de Deo Eliphazum habuisse animo perceptas notitias, qui re-

rum

rum humanarum sapientia antecelleret. Rerum igitur aspectabilem, & quæ aspectabiles non sunt, mente continet comprehensas notiones. Nam de iis, quæ peruestigari nequeunt, differit, de magnis atque illustribus rebus, de pluuia & aqua, de earum discrimine, de iis quæ è fontibus, torrentibus, venisque fluunt. Ergo dicit, Ipse nec opinor, nec sapio more impiorum. Verum, cum de prouidentia nequidquam dubitem, illud quoque mihi sit exploratum, esse Deum omnium dominum, temporum, locorum, rerum. Illum scilicet inuoco, decere id ratus; quandoquidem statis ipse ille temporibus ad hominum commoda res efficit admirabiles, in quibus cunctorum animi merito obtupecunt; quarum etiam rerum multitudinem nemo oratione potuerit vaquam percensere; docetque per omne tempus, tum erga omnes vniuersè, tum erga singulos propriè, varias diuinæ prouidentia rationes extitisse. Vt enim hominum numerus teneri non potest, ita nequit prouidentia diuinæ ratio planè comprehendi.

*Qui dat pluuiam super terram, qui mittit aquam in eam, quæ sub alo est.* C H R Y S. Hoc primum illius beneficentia munus, quo & vita nostra coniunctur, & temporum vicissitudo declaratur.

*Qui facit humiles in sublimitatem, & mortuos suscitatur.* D I D Y M I. Ad eam prouidentiam delabitur, quæ nostrum genus propius attingit. Atque hæc de Deo constituit, ipsum solitum esse, è summo loco deturbare ad imum, ex egentibus locupletes, ex obtemperantibus imperantes, ex ægotantibus valentes efficere. P O L Y C H R O N. Hunc ergo, inquit, inuoca; is enim per se ipse potest te præsentis ærumna liberare, atque in pristinum dignitatis gradum restituere. Idem tibi instantium calamitatum & perturbationum sanantem medicinam adhibebit, qui etiam desperantes erigit. Denique huc eius omnis refertur oratio, vt tum Dei prouidentiam maximam, tum eiusdem erga omnia potestatem parem esse persuadeat.

*Qui immutat consilia astutorum, & vt non faciunt manus eorum verum.* O L Y M P. Id est, non patitur, vt veteratorum, callidorumque consiliis euenta respodeant. Quin etiam nullo negotio, cum illi collibitum fuerit, huius hominum generis artificia praua peruerit, vel etiam vt Aquila interpretatus est, Irrita facit: vt Symmachus, Dissoluit: vt Theodotio, Dissipat.

*Qui comprehendit sapientes in presertis, consilium autem multiplicium auertit.* O L Y M P. Hoc est, Qui arguit, qui eminet; qui sua vincit sapientia, qui eam quæ sapientia videtur hominibus, stultitiam esse ostendit. Simile huius est illud, Qui comprehendit sapientes in altitudo ipsorum. Multiplices verò appellat eos, qui sunt nimum prudentes, qui perfidiosa ac ficta instruunt consilia, quos ipsos prauæ sententia homines vocare consueuerunt ij, qui vim propriam vocabulorum aucupantur, ideo quod prauitas in eorundem mente & consilio insit. Illud verò, *Auertit*, pro illo est, Inutilia esse ostendit, aut etiam irrita fecit, perfecitque, vt à scopo aberrarent. Id verò Symmachus his verbis extulit, Consilium prauum perturbabitur.

*Die occurrent illi tenebrae, meridie verò palpabunt sicut in nocte, pereant in bello, impotens autem egredietur de manu potentis; sit autem spes impotentis; iniustus autem os obstruatur.* O L Y M P. Vbi ac meridiei nomine vitæ hilaritas atque iucunditas significatur. Hoc enim dicit, tum demum improbos florentis status improuisam mutationem passuros esse, eam illorum erit ad summam perducta felicitas. Noctem verò, ac tenebras dicit calamitosam rerum conditionem. Accidit quoque hisce hominibus, vt, quæ sibi ab aduersariis nox affertur, vitare non possint. Qui verò ad diuinarum legum normam humilis est, nullaque potestate, ac vi munitus, cui in Deo spes est omnis constituta, hic potentium petulantem iniuriam facile propulsat. C H R Y S. Hæc, inquit, Deus agit, vt & qui nullis est viribus, bene speret, & vt iniustus non efferatur, & vt lingua sublimia loquens obstruatur, & vt elatum supercilium deprimatur.

*Beatus autem homo, quem arguit dominus. Increpationem omnipotentis ne abicias: ipse enim dolere facit, & rursus reuertat; percussis, & manus eius sanauerunt.* O L Y M P I O D.

I 3 Præclarum

Præclarum quidpiam dicit, atque emendationi aptam tradit disciplinam. Iob enim auctor est, ut, quamuis eius à Deo errata corrigantur, non idcirco ferat acerbe. Deum potius plagæ auctorem, & qui solus mederi potest, precibus exoret. Quod autem dicit, est huiusmodi; **DI DYM I.** Arguit Deus & flagris admonet, non ut perimat; sed ut eum, qui corrigitur, seruet. Ergo ipse quoque spiritus deponit, diuinamque increpationem, grata voluntate complectere. **P O L Y C H R O N.** Sed neque tanta est plagæ magnitudo, ut te à diuina spe atque fiducia queat abducere; certam enim id est prouidentia signum, castigari diuinitus. Neque enim iratus hæc fecit Deus, sed tua curans, ut calamitatibus eruditus, tuorumque erratorum iudex ipse & cognitor constitutus, pristini status splendorem ac dignitatem recuperes. **C H R Y S O S T.** Si enim illius nutu mala soluantur, atque ad contrarium statum commutantur; si summa pax ab illo tantum conceditur; profecto existimare debes ab illius tantum consilio non aliunde, hæc in te omnia esse profecta. **S E V E R.** Consentiant hæc oportet, cum iis, quæ contingunt erudientibus malis.

*Sexties de necessitatibus eruet te; in septima autem non tanget te malum.* **C H R Y S O S.** Id est, Non hæc semper agit Deus, sed primùm quidem hominem tentationi permittit, deinde non item, ut nec liberatione postea egeas. **O L Y M P I O D.** *Sexties, id est, sæpius in te incurrent molestia.* Verùm, si, cum eas exceperis, erga Deum gratus videbere, *in septima, id est, post multa intentata mala, Deus amplius te mala pati non sinet.* **DI DYM I.** Quorundam hæc est expositio, Vsq; dum in hoc, qui sex diebus fabricatus est, mundo quis commoratur, quæ in eo gignantur, molestias semper experietur. Quantalibet enim sanctitate polleat, corporis parat tamen necessitati. Cum autem mūdum prætergressus in illius septimæ diei requiete confederit, nullum est amplius accepturus sensum malorum; sicut qui nulla pecuniæ cupiditate teneretur, nullo is damno, iacturæ tangitur. Intelligentia verò est huiusmodi; In hoc quidem æuo te exercebit, in altero autem gloria cumulabit. **P O L Y C H R O N.** Nec verò deinceps ac continenter necesse est theoriis historias explanare. Quidam sex malorum liberationem ordine conantur exponere. Dicit enim, In fame liberabit te à morte, quam vnam esse putant calamitatem; Alteram in iis, quæ consequuntur, verbis constituunt, De manu ferri; Tertiam verò illam, A flagello linguæ; Quartam, Ab ingruentibus malis; Quintam, Ab iniustis & exlegibus; Sextam, A bestiis. Quod septimo loco cuncta insequitur, Est domus illi pacem adferens. Sed tamen fuerit fatius, *Sexties* non in certum, ac definitum numerum conicere, sed pro incerto numero vsurpare, ut idem sit, quod sapius. Etenim cum hortatus sit Iustum, ut in Deo spem suam defigat, pluribusque id probare contenderet Deum cum pœna quempiam afficit, non ira sed prouidentia uti, consequens illud erat, ut diceret, Hæc si tibi est sententia, multis te Deus ærumnis liberabit. Ab illo verò, qui nunquam à virtute discedit, primum etiam malorum impetum auerter.

*In fame liberabit te à morte, in bello autem de manu ferri expedit te.* **P O L Y C H R O N.** Egestate dominante, & cunctis fame enectis, faciet is videlicet, ut ipse in rerum abundantia viuas: quod ipsum Iosepho & Iacobo euenit. Sed neque regionē peruadentibus & populantibus hostibus, ipse mali quidpiam patiere: cuius rei in Daniele atque Hieremia haud obscurum editum est exemplum. Non enim te finet in bello occumbere. Manum autem ferri vim ferri peracrem dicit.

*A flagello linguæ te abscondet, id est, perficiet ut contumelias facile vincas, ut in ore omnium tua verferet laus: flagellum enim linguæ, nequitiam & calumniam appellauit.* **C H R Y S O S T.** Haud leue est, immò verò magnum, eum posse iuuante Deo hominem effugere, qui nihil boni vnquam loquatur. lingua enim nihil improbius; quibuslibet insidiis, quolibet ense immanior est atque intolerabilior.

*Et non timebis à malis ingruentibus.* **P O L Y C H R O N.** Aquila autē, A direptione ingruentiu. Quid singula, inquit, commemoro? Nullū denique ad te malum manabit. Cum cæteri miseris, calamitatibusq; opprimantur, tūm libertatem ipse retinebis,

tinebis, vitamque duces ab omni metu exploratam. Famis autem & belli, & contumeliæ mentionem fecit; famis quidem propter inopiam, qua Iobus premebatur, Belli verò, quòd à barbaris illa videbatur illi importata calamitas; contumeliæ verò, quia admirabatur ea vehementer, quæ in Iobum sermone iactabantur. Tanquam si diceret, Hæc tibi mala acciderunt, quia cum Deo impiè agis. Quod si hoc scelus depuleris, non solum periculum, quod ante pedes est, vitaueris, verum etiam ærumnæ & ægritudine affectis cæteris, securo ipse animo, tranquilloque confites.

*Inimicos & exleges irridabis; à bestiis autem agrestibus non timebis, serua agrestes pacifica erunt tibi, deinde cognosces quòd pace fruatur domus tua.* **C O N V E R S A T I O A U T E M T A B E R N A C U L I T U I N O N P E C C E T.** **O L Y M P.** Vbi perspexeris, inquit, quanta vis sit pietatis aduersus Deum, atque ad eum perfugij, mirifico risu prosequeris iniustos, ferinos autem homines minimè formidabis. Hi enim ipsi tuam pietatem reueriti, contra te non pugnant amplius. Verùm, cum cæteris bonis nullus erit tibi ab infidiantibus metus, tunc demum experimento intelliges, domum tibi fore pacatam, nec vitæ tuæ cursum frustraturum, id est, à spe bona deflexurum; nempe omnis tibi aberit infelicitas, nihil patieris acerbi, nulli erit vita tua obiecta vicissitudini, Deo prouidentia sua tuam illam, in qua viues, gloriam continentem. **C H R Y S O S T.** Postremò non exteri modò tecum pacem habebunt, sed domus etiam pace perfuatur incredibili: tuique domestici non solum inter se, verum etiam nullas tecum contentiones exercebunt. Et nimirum pacata domui, nihil par reperiri potest. Quid enim profuerit, externis eum non tentari bellis, qui turbis redundat intestinis?

*Cognosces autem, quòd multum erit semen tuum, & filij tui erunt sicut omnis herba agris.* Pace te, inquit, vndique complectente, copiosa Iobolis felicitatem assequere. Pars enim quædam erat benedictionis præcis illis temporibus, copia liberorum. Qui liberis nunc orbatus es, tunc speciosa prolis pater eris: terramque florentem & herbescentem, spicisque exuberantem imitabere. Erunt item filij tui, filiorum ve nati, sicut omni herba agris, id est, sicut ager, qui omni herbarum genere efflorescit.

*Venies autem ad sepulcrum, sicut frumentum maturum, quod suo tempore demessum est: & sicut aceruus area tempestiue comportatus.* **C H R Y S O S T.** Id est, cunctis bonis florens, liberis tradita hereditate ad latam perductus senectutem, nullo nec à tempore nec à vita petito necessario subsidio, decedes. **DI DYM I.** *Comportatus aceruus,* hoc indicat absolutam copiam, & vbertatem, illudque declararat sibi in tuto collocato nihil in posterum defuturum.

*Ecce hæc scilicet inuestigauimus; hæc sunt, quæ audiuimus.* **TU A U T E M C O G N O S C E T E M P U S T E A L I Q U I D E G I S T I.** **P O L Y C H R O N.** & **O L Y M P.** Nimirum hæc ita se habent, nec quisquam dixerit, aliam esse rerum humanarum conditionem. Hæc ipsi, dum viximus, vsu percepimus, atque etiam ab aliis auditione accepimus, prorsus nihil esse, quod Dei subterfugiat prouidentiam, & improbos quidem supplicis coerceri, pios verò multis potiri bonis diuinæ prouidentia lege. Quæ cum ita sint, illud tibi cogitandum est, quorumnam peccatorum pœnas luas, ratioq; incunda, quem admodum, omni adhibita diligentia, diuinum numen placarum efficias, sed non frustra ac temeres id quod nunc grauitur, molestéque fers.

*Protheoria Capitis quinti iuxta Græcos.*

**O L Y M P.** Iobum cohortatus est Eliphazus ad respiscendum; ob sua enim scelera in cruciatu esse Iustum arbitrabatur. Verùm ad nihilum Eliphazi recidit consilium; neque Iobo persuadere potuit se noxa teneri, qui nullius rei esset sibi conscius. Itaque amici contradicendi studio Iobus animaduerso, rerum suarum suscipit defensionem, de quibus vnuerse, summamque dicit, neque silentio amplius suam constantiam declarat. A natura quoq; petitis exemplis suæ fidem facit orationi, ac Deum sanctum appellat, eique fidere se ait. Abditam ægritudinis

\* August. in lib. Annot. in Iob, Tu vero scito te ipsum. Græcè, οὐδὲ γὰρ ἐπὶ δευτέρῳ. Vnde de quâto fuerit antea vsurpata hæc sententia, quæ nostrates philosophi vident. \* τὴν ἀπὸ πρῶτο λεγούσαν esse μὴτ' εἶναι ἄλλως.

dinis suæ causam aperit, quod vereatur, ne Deus illum planè abiecerit, nec non suas enumerat calamitates, suadetque diuitiis ac potestati, nequaquam confidere oportere. Accusat etiam amicos, quod verbis illius molestias amplificaverint, iisque suadet, ut in alienis ærumnas intuentes metuant: optimumque cunctis hominibus statuit documentum, tentationum esse vitam hanc refertam. Ac rursus tragicè suas persequitur calamitates, contenditque à Deo obnixè, ut sui recorderetur, seque inuisat. Ac denuò suos purgat sermones, & humauæ naturæ nihilum adhibet ad precationem, petitque à Deo ut, si quid fuerit ab illo peccatum, perpetua velit obliuione delere.

## CAPVT VI.

*V*ispiens autem Iob ait, Si enim quis appendens appenderit iram meam, dolores autem meos simul sustulerit in stateram, profecto arena maritima grauior erit. OLYMP. Cum exprobrando dixisset Iobo Eliphazus, Si enim tu commonefecisti multos, nunc autem venit in te dolor, & perturbatus es: cumque eum tanquam à philosophia abhorrentem nec consolandæ egritudinis rationes ac vias tenentem criminatus esset; docet nunc Iustus eiusmodi suam esse ægritudinem, ut nullam solatij admittat medicinam. Utinam, liceret inquit, quam in me Deus exerceat iram, meaque animi atque corporis cruciamenta in eandem libram imponi, paribusque examinari ponderibus, ut cuius perspicuum fieret, inuicta mihi mala, & quæ me conficiunt ægritudines, esse vel ipsa arena maris longè ponderosiora. CHRYSOST. Si enim quis, sumit pro, utinam; iram, pro ægritudine ac mæore animi, qui in ciebant ærumnæ, Dolores eos dicit, quos corporis vlcera adferrebant. Ad augendam autem vim mali ingentem, addit, Simul. Quod verò ait, est huiusmodi, Vos in alienis ærumnis philosophiam ostentatis: & cum à meis longè absitis malis, multa fiducia, menti que securitate, admonita mihi traditis. Quod utinam fieri posset, ut cunctæ acerbitates meæ, cunctique dolores in vnum congererentur aceruum, atque hic in vnam, maris autem arena in alteram eiusdem stateræ lancem imponeretur; nimirum meorum lanx illa malorum multo maiore pondere deprimeretur. Maris autem sumpsit arenam, ut quæ sit magis humida.

*Sed, ut videtur, verba mea praua sunt.* Symmachus verò, Propterea verba mea amara.

*Sagitta enim domini in corpore meo, quarum furor ipsarum ebibit sanguinem meum: quando capero loqui, pungunt me.* CHRYSOST. Vide pondus calamitatis ob ea, quæ ad misericordiam mihi tribuendam cæteros deberent impellere, ipse inuisus sum ac condemnatus. OLYMP. & POLYCHR. Ipsi qui consolandi studio cæcis adducti, contra quam vobis antea constitutum, cætrumque erat, nunc agitis, dum probrosam vsurpatis orationem, idque mea spectantes vulnera: quæ inimicorum etiam mentes miseratione facile permouerent. Sed nimirum ipsi, qui nihil in vobis grauioris mali sitis adhuc experti, meorum sermonum despicientes in alienis calamitatibus philosophamini; neque in ista vestra animi remissione ad pœnas mihi iustificas diuinitus meditamini, quæ acri quodam morfu sanguinem meum absumunt, id est, vires elidunt, vitalemque facultatem concidunt, neque me sine cruciatu loqui permittunt: sed, cum loqui vulnere, tunc demum perfodiunt. Ita mihi dicenti meritò fides habetur nulla, cum morbi atrocitatem nullo verborum genere consequi possim. Illi etiam, qui audiunt, ad verborum meorum iudicium non meas calamitates, sed suam animi mollitiem & otium adferunt. Itaque nulla mihi à quopiam misericordia impartitur; quæ à me dicuntur, contemnuntur. Mala, quæ nunquam antea audita in me incurfarunt, solus ipse noui. Ipse inquam, qui plagas à Deo inflictas meo excepte corpore. Sagittas enim supplicia dicit. Earum autem furor è, permolestiam ac paracerbam incursionem, itemque dolorem, qui acutis quasi stimulis confodiens, haud ei orationis potestatem faciebat.

*Quid enim non frustra clamabit asinus syluester, verum cibos querens?* Symmachus autem, Nunquid gemit onager præ fame, præ sente herba?

*An etiam rumpit vocem bos in præsepe habens cibos?* OLYMP. Naturalibus vsus

vsus est exemplis, suæque orationi fidem conciliat, ac docet, cur adhortanti Eliphazo, minime paruerit, cuius conatum omnem ad refellendi studium incumbere planè cognouerit. POLYCHR. Qui tandem & illud, inquit, non consideratis, inopia nec mutis quidem esse tolerabilem? Asinus enim, cum cibus defecerit eum; bos etiam, nisi copiosum suppediter pabulum, perturbationem atque dolorem voce testantur. DIDYMI. Haud frustra asinus syluester vocem edit, sed cum cibi indiget. Neque ad præsepe bos mugit, esca proposita. Quare nec vitio mihi dare debes, quod ego ut ipse existimas, molestia coactus vociferer, cum natura sit ipsa perinfirmata. Iusti verò verba ad hanc spectant sententiam, Sicut non frustra bos vociferatur, sed tunc vocem emittit, cum alimenta defuerint; sic ego haud ita mærerem, nisi extrema implicitus essem ærumna. In quo persuadere nititur Eliphazo, ut ei minime indignetur, qui in dolore exclamet. Neque enim eum qui iustus est, sensum omnem exuisse humanitatis necesse est; quamuis is constanter casus ferat aduersos. Nam, acerbis rerum sensu suscepto, cum quis in cruciatu propter Deum exclamat, ea demum virtus est.

*Si comedetur panis sine sale.* Symmachus autem, Nunquid comeditur aliquid infullum, cum sal non habeat? Si etiam est sapor in verbis inanibus. OLYMP. Qui fieri potest, inquit, ut vestræ morem geram hortationi, cum nec quidquam probabilis rationis præ se ferat, nec sit ad leuadam ægritudinem comparata? Et enim quemadmodum panis, cui nihil est salis adpersum, edinequit; sic ieiuni, inaneque sermones à ratione & probabilitate remoti perturbationem audientium animis admouere non possunt. Saporem enim vim persuadendi appellat, nihil interim à tropo discedens. Quamobrem aiebat Apostolus, sermo vester semper in gratia sale conditus, quasi dulcis ac iucundus qui eodem tempore perstringat & delectet eos, qui audiunt. ISIDORUS. Superioribus verbis duas res quasdam significari crediderim, aut quod falsum conuicium ab auribus longius non digreditur: neque enim auditorum pellit intelligentiam, aut quod est temperanter in oratione sal adhibendum, ut & grata, & ad cibum idonea accidat audientibus, atque ut in eorum influat animos. Sales verò, quibus sunt parænetici sermones aspergendi, testimonia sunt è diuinis deprompta voluminibus; cum vel Iudicij terrorem, vel de cælesti regno orationem inducimus, quæ tum robur, tum efficacitatem addunt hortationi, tum etiam eandem quasi gratam parant escam, non iis solum, qui valent stomacho; verum etiam illis, qui, quod cibi sunt fastidiosiores, opportuna & accommodata optant esculentia. DIDYMI. Quod autem ad intelligentiam pertinet, quiuis sermo inanis est ac stolidus, qui virtutis caret actione. Id ipsum planè illa verba comprobant, Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute, non in pollicitationibus inanibus, verum in sermone efficaci salutis nostræ causa consistit.

*Non potest cessare animus meus: furorem enim video cibos meos, sicut odorem leonis.* CHRYSOST. Tanquam in communi orbis terræ theatro hic vir præstanti & generosa virtute consistat, sic cunctis hominibus ex suis ipsius calamitatibus comparata oratione loquitur; eosque ad illa fortiter ferenda hortatur, quæ in vita contingunt, neque in malis atque ærumnis contrahant animos, atque demittant. Nulla est enim, nulla in humanis rebus atrocitas, ad quam non peruenire hinc possit medicamentum. Quæ enim in omni terrarum orbe sunt sparsæ ærumnæ, hæc conspirantes vniuersæ vno impetu in vniuersum corpus incubuere. Quænam igitur ei venia reliqua fuerit, qui earum acerbissimum, quas passus est ille grato animo, partem nullam ferre voluerit, illo ipso interim non partem aliquam, sed genus omne malorum, quæ talia videntur hominibus, perferente? Quid enim Iobo factum est vnquam egentius? qui & illis, qui proiciuntur in balneum, & qui in camini cineribus dormiunt, ac cunctis denique hominibus spoliator erat? Hi enim habuerint forsitan vestem laceratam, hic autem nudus residebat; & quam à natura vestem acceperat, quæ corporis esset operimentum, hanc diabolus putida & intoleranda luce vsquequaque concepsit. Et hi quidem paleis ac stipulis

*Puto legendum aut ἀναλτοῦ, aut quod videtur probabilius, ἀνάγειτον, id est, non odium: nam ἀνάγειτον mendo nō caret.*

slipulis se fortasse contexerint; ille verò pernoctabat sub dio, nec pusillum ei lectum dabatur ad solatium. Et quod maius est, hi multa habuerint graua, quibus ipsorum conscientia exulceraretur: id quod magnam partem obtinet ad ægritudinem leniendam, quando is, qui pœnas luit, iuste se multari cognoscit. Verùm hæc etiam illi exrepta erat consolatio. Is enim, cuius vita qualibet virtute cumulata enitebat, sustinuit ea, quæ facinorosissimis debentur hominibus. Et hi quidem principio sua cogitatione prospexerint calamitatem; ille autem nec præmeditatam tulit inopiam, summam illam quidem, & cui haud parum liceat reperire. Quid enim homine nudo & recto carente pauperius excogitari possit, cui nec fruendi pauimento erat vlla potestas? cui non humi erat, sed in stercore sessio? Vna igitur hæc ærumna cunctorum malorum materies videri possit hominibus. Sequitur altera illa posterior, seu porius illa superior, corporis inquam plaga. Quis enim talum exceperit, qua sensum illius corpus depascabatur, atque ex eius corporis membris fontes vndique vermibus redundabant, eratque vermium fluxio illa perpetua, & grauis odor complens omnia, & corpus paulatim discerpebatur, tantaque lue tabescens cibos efficiebat, insuaues: mira, nec opinabili fame cruciabatur; cum nec eius, qui ministrabatur, cibi potuendi daretur facultas. *Fetorem*, inquit, *video cibos meos, sicut odorem leonis*. Quid pœna hac fieri potest acerbius? non somnus ei quietem adferebat, non cibis eum alebat, *Sicut odor*, inquit, *leonis*. Nam mirandum in modum retri est odoris hæc bellua. Cùm enim sit natura infatiabilis, alia quadam ratione eam fecit Deus cæteris bestiis flagitiosiore. Ferunt etiam huius ipsius bestię cibi reliquias à cæteris animantibus respui omnino; idque ob grauem in eas inspiratum odorem, qui ex illius corpore exhalatur. Quis igitur inuistatam illam atque inexplicabilem famem vnquam oratione prosequatur? eandem voluntariam an coactam? Nam quo eam appellem nomine, haud inuenio; nec vocabulum occurrit, quod in genus calamitatis paradoxum queam accommodare. Et à mensa quidem appoita abstinebat, & qui sub oculorum sensum subiecti erant, cibos non attingebat; propterea quòd grauis, qui è corporis vlceribus manabat, odor illi occurrans, cibi cupiditatem omnem extinguebat, ac nausea mensam reddebat infestam: quod ipsum significare cùm vellet, dixit, *Fetorem video cibos meos*. Atque famis necessitas manus in mensam porrigere planè cogebat; fetor autem intolerabilis, qui mittebatur è corpore, vim famis facilè superabat. Ergo ob id ipsum, vt dixi, famem illam voluntariam coactamue appellem, haud est mihi satis constitutum. Nam qui voluntaria videri possit, cùm cibos paratos cuperet degustare? qui etiam coacta, quando cibaria aderant, nec quisquam prohibebat? **I V L I A N I**. Huiusce verò rei causa non in morbo solum, sed in improbi etiam dæmonis opera consistebat. Hic enim Deo inuisus odoris sæpenumero afflare dicitur feditatem.

*Si enim dederit, & mea venerit postulatio, & spem meam dederit dominus, cùm ceperit dominus, vulneret me; in finem autem non me interficiat.* Aquila verò & Symmachus non, *Cum ceperit*, sed, *Immittens manum suam*, interpretati sunt. **C H R Y S**. Iobi hæc petitio ac spes, quam optat non esse inanem, vitæ exitus est atque interitus, & ne diuturniores sint cruciatus. Huc enim pertinet illud, *Ne interficiat me in finem*. Id verò, quod ait, est eiusmodi, Vnum mihi reliquum est remedium malorum, mors & requies: nempe me ipse educere ex hac vita non possum. Dominum igitur imploro, & obsecro, vt, cùm mihi manum iniecerit suam, meque flagris ceciderit, hinc velit abducere, nec me sinat in finem excindi, id est supplicium esse diuturnius. Ita mortem tanquam beneficium sibi dari postulat, vt eadem ratione ægritudineliberetur.

*Sit autem mea vrbis sepulchrum, in qua super muros saliebam in ipsa.* Aquila & Theodotio dixerunt, Et adhuc erit consolatio mea. Huius autem versus hæc est sententia, Illud mihi ad solatium ægritudinisq; medicamentum erit latis, si in ipsa mihi ciuitate mori atque humari contingat. **C H R Y S**. Illud verò, *super muros saliebam*, pro eo est, in qua gestiebam, & in qua mihi fiducia erat, & in qua cum voluptate

voluptate versabar.

*Nan parcam: non enim mentitus sum verba sancta Dei mei.* **O L Y M P**. Vos, inquit, ipsos refellendi studio minimè parcam, nec remissa sed libera vtar oratione; cum præcepti alicuius diuini violati nulla me conscientia aguat, quæ me existimare cogat sentio, loquar. Verùm illa ipsa, quæ credit animus, verbis lingua exprimit. Quam eius mentem, libertatemque orationis minimè mentientis cùm commendaret scriptura dixit, Et erat homo ille verus, irreprehensibilis. Intuere Abrahamæam cognationem, Isaac Iacob filij contemplare successionem, illi non tam conditione sanguinis quàm genere pietatis succedentem. De illis testatus erat his verbis Deus, Ego sum Deus illorum. At hic est eorundem proles legitima. Nam quod inquit, *Neque enim mentitus sum verba sancta Dei mei*, Vidistis quas is erga Deum caritate exardescat? quemadmodum sibi quouis loco vendicet Deum? Ergo eius laudibus prosequere veritatem, quæ elucet vbique, & quanto erga Deum studio formet orationem cognosce.

*Quæ enim fortitudo mea, vt sustineam? aut quod tempus meum, vt sufferat anima mea?* Sed Aquila, Et qui finis meus, vt patienter agam.

*Numquid fortitudo lapidum, fortitudo meorum carnes mea sunt enea?* **P O L Y C H R**. & **O L Y M P**. Siquis mihi, inquit, homini onerato ærumnis grauiter succenscat, scilicet hominem me esse cogitet, & à lingua, vi cogente ægritudinis huiusmodi verba dimitti; ideo quod sine dolore vllò hæc ipsa mala ferre non possum. Nam corporis imbecillitas morbo planè concedit. Num ego, inquit, aut doloris sensum amisi, aut verò lapideus, æneusue sum, an non humana carne conuictus? An breuis mea hæc est calamitas? Nemo igitur mihi mærenti & liberationem malorum postulanti indignetur. **C H R Y S O S T**. Quibus tandem egomet viribus polleo, vt tantis ferendis malis par sim? Ergo tolerantia illa non à robore corporis. Sed pietatis ac timoris Dei manabat. Alioqui sibi ipse manus attulisset. Nunc verò rem omnem non suæ audaciæ, sed precationi permittit.

*An non in ipso confidebam? adiutorium autem mihi abest, deseruit me misericordia: visitatio autem domini despectit me.* Et corporis quidem calamitas est huiusmodi. Quod autem animum ægritudine lacerat maximè, illud est videlicet, Quod ex his malis facere coniecturam licet, me à Deo, qui mihi præcipuè cordi erat, in quo spes meas omnes collocatas habebam, profus esse derelictum eiusdemque visitatione ac miserationibus planè nudatum. Atque ea re Iustus angebatur vehementissimè. Id enim secum ipse expendat vnusquisque, quantus eius hominis sit mæror, qui cum diuino sit amore sauciatus, à Deo, quem vnum optat, desertum se tamen esse suspicetur. Etenim, si nec viuendum sibi esse amplius putant ij, qui mulierum amoribus exulcerati, ab illis ipsis contemni se animaduertunt, quæ res amatoribus ægritudinem adfert intolerabilem: animæ, quæ erga Deum caritate vulnerata est, quanta fuerit ægritudo, si non amplius eum sibi adesse arbitretur? Mox suas subiungit acerbitates, ex quibus à Deo se despectum esse suspicabatur.

*Non respexerunt me proximi mei, sicut torrens deficiens, aut sicut fluctus transferunt me.* **P O L Y C H R**. & **O L Y M P**. Primum me Deus, inquit, deseruit: deinde in eam sum coniectus ærumnam, vt ope etiam spoliatus sim amicorum, nec me vlla cognati ac propinqui humanitate comprehendant. A me namque deiciunt oculos, neque me ob ea, quæ peccaui; sed ob ea, quæ patior, execrantur. At verò torrenti se comparat propter superioris vitæ statum affluentem. Nam torrentis ea est natura, vt hieme quidem fluat, & aquis modò redundet, modò exsiccatur, vt alueus tantummodo squalidus relinquatur: fluctus etiam talis est, vt nunquam maneat idem, sed interdum sublimis efferatur, atque turgescat, nonnunquam verò deprimatur, abeatque in spumam. **D I D Y M I**. Et verò qui amici duntaxat videntur nec sunt, dubiis temporibus facilè declaratur, eosdem, & mentitos esse, ac specie tantum amicitiam ostentasse. Propter inconstantiam verò atque perfidiam, torrenti ac fluctui eorum comparatur similitudo. Vt enim torrens nati-

ui, ac perennis fluij speciem præbet, ac sicut fluctum, cum sublimē se tollit, nunquam delectum iri rudes arbitrantur: sed tamen & torrentem squalor ac siccitas aperte indicat, & fluctum tranquillitas: sic qui assimilatae amicitiae specie fallunt, hos temporis procella facit iniquos, & quantoperē veris amicis aduerlentur, prius ostendit. Nam qui amicitia ac virtutis tuerentur iura, constantiam & perpetuitatem seruant in eorum, quos diligunt amore. Hanc in utraque retinent fortuna: amicitia definitionem nequaquam peruerentes. Quod ipsum haud mirum videri debet, quandoquidem ipsis inimicis officia præstant caritatis, cum iis, quibus odio sunt, pacem habent. At improbi ad certum quoddam tempus, id quod sunt, occulunt; in rebus autem afflictis amicorum palam cernuntur, amicitia larua detracta. Nempe igitur hoc ipsum tunc Iobo ut magis eius probaretur virtus, euenit. Aut eam etiam ob rem fortasse quia is, qui ad penam Iobum depoposcerat, id subiecit, suadebatque amicis, ut commoti vehementius ipsum despicerent. Tristibus verò temporibus amicorum absentia, perquam solet esse acerba: quam cum Dauid ferre cogere, canebat, Considerabam à dextris, & respiciebam, & non erat, qui agnosceret me; ac rursus grauius lamentans aiebat, Obluioni traditus sum, tanquam mortuus à corde: factus sum tanquam vas perditum. CHRYS. Et id quidem diuinæ derelictionis est opus, cum is, qui viuunt æumnosius, à domesticis ac necessariis negliguntur. Vbi enim à quopiam Deus recesserit, eumque suo auxilio spoliari, cuncta res in illum miserum, arma atque odia conuertunt. Qua demum igitur ipsi ratione eiusmodi exprobratis homini, cuius vita tantis est oppressa malis? cui à re nulla quidquam præbetur solarij? qui idcirco ægritudine exeditur ac contabescit, quia rerum omnium status aduersus eum nec opinantem obsedit?

*Qui verebantur me, nunc irruerunt in me.* Hoc certè multò atrocius insultare iacenti. CHRYSOST. & POLYCH. Sed quid dico me à proximis haberi ludibrio: nempe ij meas æumnas cruentarunt, quibus paulò antè erat nomē meum terribile & horrificum. DIDYMI. Fortasse his verbis accusat amicos. Nimirum caussa ignari ipsi malorum, ita vestra oratione mihi imminetis audacius, quæ cum me antea veneremini, planè abstinuitis. Est illud quoque verisimile alios item complures in eiusdem calamitate insultasse.

*Sicut nix & glacies concreta, liquefacta orto calore, non est agnita, id quod fuit: sic ego derelictus sum ab omnibus; perij autem & exul de domo mea factus sum.* CHRYSOST. Id est, superioris felicitatis nec monimēta vlla, nec vlla extat reliquia. OLYMP. & DIDYMI. Verum quemadmodum nix & glacies, dum calore liquefacta dilabitur, accipit locum relinquit, nullo facto vestigio. Itaque qui mihi ob generis propinquitatem misericordiam tribuere debebant, ij me pro nihilo putarunt, & quod antea latebat, calamitas patefecit, eos scilicet adumbratam, simularamque amicitiam coluisse. Est etiam quid asperius. Nam qui me antea reuerabantur, cultuque & obseruantia dignabantur, in meas nunc iidem miseras insultant. Illud autem, *Perij*, ad vulgi dictum est opinionem, cunctarum rerum amissionem exitium existimantis. Illud quoque, *Exul factus sum*, huic par est, Cum omni domo funditus interij.

*Videte vias Thamanorum, qui semitas Sabaorum intruunt, & confundentur qui in ciuitatibus & peruenijs consistunt.* OLYMP. Alius quidam interpres eadem his verbis expressit, Respiciunt in vias Thaman: itinera Saba expectant sibi ipsis. Eos igitur, qui diuitiis ac potentia gloriuntur, hortatur ut in earum rerum natura ne sperent incerta. Qui animum, inquit, intendunt in vias Thaman & in semitas Aethiopum: Saba enim Aethiopes sunt. Ergo hoc dicit, Qui cum hoc hominum genere mercaturam ac commercia exercētis, atque inde compendia expectatis, pecuniis atque opibus ne confidite. Nam qui rebus huiusmodi spe atque animo incubant, turpitudinem ac dedecus vitare non poterunt. Ponit autem loca in conspectu ac regiones, quæ quondam beatae fuerunt, tunc verò desertæ, ac ruina collapsæ. Hinc igitur admonet conuertendum aspectum, nec fugacibus diuitiis esse fidendum. Sive igitur hoc, sive illo sese res modo habeat; nempe eos, qui

*Si verbum, ad Iobum referatur, existit hæc altera & fortissè probabilior, interpretatio, ut Iobus aspiciatur æumnas.*

qui intuentur, ac cernunt, id est, qui res intelligentia & cogitatione exquirunt, commonefacit, ut in fortunarum possessione, atque potestate spem minime ponant. Hæc autem eò dicit, ut suggerat amicis, ne præsentibus bonis insolenter elati, illum despiciant habeant, quod ad summam inopiam deuolant. Vestrarum rerum vobis veniat in mentem. Cumque sit ratio temporis consequentis incerta, omnium par est conditio.

*Veruntamen etiam vos insurrexistis in me immisericordes.* DIDYMI. Atqui nec eum, qui sua culpa est irretitus æumnis, quis admonendo obiurget, idque non absque ratione consilij. Neque enim ut obiurget, hortanti propositum est, sed multò maxime ut ad virtutem, fortiterque ferendum cohortetur. Id enim dicere, Quamobrem peccastis? auget potius quam leuet ægritudinem. Verum enim omni miseratione abiecta, ideo amici Iobo acriter imminabant, quia totius mali causam ignorabant. Ita, qui nulla erat reprehensione dignus, reprehendere conabantur. OLYMP. Esto, inquit, fuerint me illi ipsi sane aspernati; quid tandem fuit, cur amici mei, cum illis propinquis conspiraretis? ac me tanquam impium idcirco condemnaretis, quia corporis luem estis intui? Nam ob id ipsum & me vobis male accepistis, & immaniter incessistis. CHRYSOST. Id est, nullo communis doloris sensu suscepto, refellendi studio accusatori, quæ me vrunt, mala conuictis vehementius inflammatis, cum consolatione à vobis eadem leniri oporteret. OLYMP. Adhæc Iobus præstantissimum ac philosopho eoque homine, qui Deo carus est, dignum consilium explicat, oportere eos, qui alienas calamitates contuentur, vereri, ac pertimescere. Addit enim:

*Quare intui meum vulnus timuistis?* CHRYSOST. Videte inquit, ne istius immanitatis à vobis pœnæ reperantur. Nam, si nihil aliud, si non amicitia, si non mea in omnes beneficentia, si nihil vos denique aliud ad facilitatem traducit; vel ipse vulnere meorum aspectus lenitate atque equitate vestros animos imbuisset. DIDYMI. A suis rebus sumpro argumento, diligentissimè sanctus hic suos necessarios curat, atque ad saniora consilia deducit; idque molitur ex anticipata in eorum mentibus notione, suasionis ducto principio. Nam, si omnis, qui peccat, veratur æumnis, atque ob scelera illas sustinet, neque est quisquam mundus à sorde: igitur & vobis metuedum est, ex nostro vulnere illato terrore.

*Quid enim? numquid aliquid vos rogavi, aut vestra fertitudine indigeo, ut saluetis me de manu hostium, aut de manu potentium liberetis me?* CHRYSOST. Vtrum vllam vobis, inquit, aliquando molestiam exhibui? aut vos leuiter vnquam offendi, ut me tam crudeliter tractaretis? aut etiam suasi vobis, ut aduersus hostes meos suppeticas mihi ferretis? aut verò vobis ipsis supplex fui, ut ad meam solandam inopiam vestras opes conferretis? Verum enim verò nec vestra prius opera indigui, neque nunc egeo. Ipsi vestra sponte consolandi causa venistis: cur ergo inimicorum officia usurpatis?

*Docete me, ego obmutescam: si quid erravi, dicite mihi.* POLYCH. Si in iis, quæ adhuc à me dicta sunt, quidquam mendacij residet, ostendite, nimirum filebo: meaſque ipse contumelias, ob quas grauis alicui fortasse fui, mente pertractabo, arguite me, & ego tacebo: si opinionis errore inductus mortem expero, ipsi docete. An non acerba, minimeque ferenda ipsa calamitates? An non optabile cruciatibus liberari? CHRYS. Quòd si quippiam à me peccatum videretur, id mihi profus subicite. Neque enim ij poterant aperta Iobo crimina vlla obicere: coniectura illa tantum quærebant. Nam de vita, quam virtus commédabat, dubitari non poterat. Eandem nihilominus è virtute non agi, è supplicij ipsi illi coniecturam capiebant. DIDYMI. Ac nimirum summa animi lenitate rationem eos docet, quemadmodum apud mærentes, & in fordibus iacentes, vti deceat oratione. *Docete*, inquit, *me*, id est, docere debetis, non arguere importunè; nisi si quando est increpatio adhibenda, in quo illud Apostoli custodiendum est, Argue, increpa, hortare, in omni longanimitate & doctrina.

*Sed ut videtur, verba vera: mala sunt.* OLYMP. Tanquam si diceret, Grauis multis accidit veritas: hoc ipsum vobis euenit. Idcirco mea ipsi verba, quamuis

vera sint, tanquam flagitiosa, ac nullius precij tamen repudiatis. I V L I A N T. Aut etiam ad hunc modum commentari licet, Quando auxilium cunctatur diuinum, licet vera quis dixerit, nulla ei tamē fides habebitur ab auditoribus. Neque verò mihi vobiscum par potest esse consensio, ipsa me refutat calamitate.

Neque enim à vobis robor flagito, neque redargutio vestra cessare me faciet à verbis, neque loquutionem verbi vestri sufferam. Verumtamen in pupillum irruisti, & insultasti in amicum vestrum. C H R Y S. Haud vestra opis, inquit, indigeo, ne mihi obsecundetis, nec ad me confirmandum gratia causa quidquam loquamini. Immo verò libera mihi oratione obstitite, neque enim vestras ego refutationes reformido, neque in vestra oratione acquiescam; præsertim cum omni me culpa conscientia liberet. Singulis igitur verbis vestris resistam: nec quidquam despero mihi ad iudicandum iri victoriam. Illud etiam mihi intelletum est, idcirco me à vobis nullam interim amicitia, nullam calamitatis rationem ducentibus, asperè probis vexari; quoniam omni me diuina ope orbatum esse arbitramini; nec mentes vestras aut amicitia, aut ipsa inflexit ærumna. Sed tamen ego, quamuis ipsi in aduersariorum meorum castris consistatis, haud pugnā detrectabo; quin etiam pedem contrā conferam, & meam causam tuebor: nec enim cuiusquam mihi rei sum cōscijs. D I D Y M I. Et hoc fortitudinis est. Plerique enim eorum, in quos incurunt ærumnæ, molestis auditis sermonibus, deiecti sunt. Hic verò sanctus neque reprehensionem amicorum, neque eos, qui per iniuriam ab illis iactabantur sermones, æquo sibi animo ferendos putauit. Nec verò hæc ideo à primo pati noluit, quòd ad eius mentem commouendam viam vllam haberent; sed ea re potissimum, vt insanam illorum increpationem, ac stultam reprehensionem, quam aduersus eum meditati fuerant, palam comprobaret. Dicit enim. Non me cessare faciet redargutio vestra. Sermo enim, qui sine opere profertur, nec constans est, nec fide dignus. Quòd si temere nec verè promatur, est item imbecillus. Quamobrem cum eiusmodi sit à vobis vsurpata reprehensio, haud veros meos sermones prohibebitis, neque offenderis hominem vestra orationi libenti animo assentientem.

Nunc autem intuitus in facies vestras, non mentiar. O L Y M P. Id est, ingenue, quod verum est, eloquar, nihil subueritus, nullo rubore suffusus. D I D Y M I. Id ipsum quod dicitur, doctrinam habet, absentium famæ nequaquam esse obtrectandum; sed coram, quæ opus sunt, dici oportere. Dictum est enim, Ne detrahas, nec libenter audias detrahentem. Illud verò libertatem quandā orationis ostendit egregiam, Non mentiar. Nam & huius est illud Pauli simile, Veritatem dico in domino; non mentior.

Sedete iam, & non sit iniustum \* ac rursus cum iusto congregimini: non enim est in lingua mea iniustum. An non fauces meæ meditantur prudentiam? O L Y M P. Vos ipsos de mea controuersia iudices sumo; vestra iusta suffragia imploro. Nec enim quidquam vos iniusti dicturos esse confido, nec vestros puro, aut stultos aut futiles futuros sermones. Hæc autem dicit, vt ad diligenter inquirendum illos ipsos prouocet. P O L Y C H R O N. Perinde vt si diceret, sermonum, qui à me vobiscum habebuntur, iudices ipsi adestote; dummodo ius calculo moderetur. A vobis sit initium; ad refutandum descendite; ad verborum meorum reprehendendam veritatem aggredimini. D I D Y M I. Elegantiā hæc quandam habent pari malorum tolerantia coniunctam, docentque ad sermocinandum vacuum, attentumque animum, & inquirendi cupidum adferri oportere. Huc enim illud, sedete, refertur. Dictumque est alibi, Priusquam exquisieris, ne conqueraris. Magnum verò est id, quod artexuit, ne sit iniustum. Haud enim paruum est, in sermone minimè labi. Postquam verò cohortatus est amicos, vt in illum inquirerent diligenter, quod ipsum verbis illis aperte significauit, Sedete iam, & non sit iniustum. verba libertatis & grauitatis plena vsurpat. Non est enim in lingua mea iniustum. In quo tacitè illorum quam de ipso animo imbiberant opinionem, labefactat: sic enim opinabatur, ob sua scelera Iobum in illis malis volutari; illudque subindicat, non cum homine stulto iis agendum esse. Hæc enim ratione ad eius causam

\* ἢ μὴ ἴστω  
διεγίγαι  
κεῖν. qua  
verba puro à  
Catena aucto  
re intexta;  
quoniam nec  
exponuntur.

causam prudenter, sapienterque cognoscendam illos erigit. O L Y M P. Quasi igitur illis iam pro tribunali sedentibus, verborum suorum Iobus instituit defensionem, suamque ex hac vita migrandi cupiditatem vacare culpa, duplici ratione confirmat. Primum quod vita hæc fragilis vndique est obuallata periculis. Deinde, quod communibus periculis, contentionibusque sepositis, ipse præcipuis quibusdam est irretitus ærumnis, quem interim huius communis vitæ exercet improbitas, dicitque;

AN non tentatio est vita hominū super terram, & tanquam mercenarij quotidiani vita eius? aut sicut seruus timens dominum suum, & consequutus vmbra? aut tanquam mercenarius expectans mercedē suam? An non vobis videtur, inquit, cunctorum mortalium vita tētationibus esse atq; ærumnis referta? Quilibet autē homo ad diurnum mercenarium, qui totius diei labore conficitur, vt exiguum quid ferat, habere similitudinem? aut eum imitari famulum, qui herum veretur, ac vix pusillum nancisci potest laxamenti? aut denique eius mercenarij similis, qui tamen diurnam minimè locarit operam, mercede nihilominus ita conductus est, vt nisi post multos labores, nulla ei merces persoluatur? P O L Y C H R. Angoribus & difficultatibus vitam hanc esse confertam & tanquam cum mercede conductum de vita sua laborare vnumquemque dubitari non potest. Aliiter enim agricola cibum sibi querit; secus is, qui in sordibus versatur artificijs, alia item ratione ij, quorum est ampla dignitas. Nullus est denique mortalium, qui vitæ necessitatibus non inferuiat. Quinetiam dum vitam cum timore traducimus, nequidquam à seruis differimus. Siquidem pauper potentiorum timet rapinas, ij verò, quorum est conditio honestior, maiorum cupiditatem verentur, & hi dominantium publicationes, proscriptionesque bonorum. Reges verò partim tyrannidem, alij insidias pertiment. Vt igitur seruo aduersus Domini morositatem, est in vna nocte perfugium, sic miseriarum, quibus humana vita affigitur, est in vnica morte liberatio. Nam, cum dixit, vmbra consequutus, pro vmbra, mortem ac quietem intellexit. C H R Y S. Nititur his verbis ostendere, tum laboriosam, tum breuem esse hominum vitam, dicitque, Num laboribus tantum, non item periculis est hominum vita circumuallata? Nēpe videtur is mihi de seruo fugitio præformidine ob fugam semper æstuate induxisse serionem. Id enim declarat illud, vmbra assequutus, id est, qui non præsentia tanquam præsentia propter metum opinatur, queritque tenebras ad oblitescendum. Ac si tentationum locus est isthæc vita, qui fieri potest, vt, qui in tentationum loco versetur, sit à tētationibus immunis? Quocirca in iis, quibus ego affligor, malis esse, non iniustitiæ tantum culpa, sed naturæ etiam necessitate contingit.

Sic & ego sustinui menses vnos. Sic, inquā, in ærumna, in metu. Hoc autem non de vniuersis hominibus, sed de seipso loquitur. O L Y M P. Hoc concluso, vitam hanc improbam, & ærumnosam esse, ad ea, quæ illius propria sunt, delabitur oratione, ac dicit; Ego de iis sum vnus, qui spiritum huius vitæ anxium hauriūt, ac per diu tabesco ærumnis. Nam id significat, Menses vnos.

Noctes autem dolorum datæ mihi sunt: & cum dormiero, dico quando erit dies? Aquila autem & Theodotio, Quando surgam?

Cum vero surrexero, quando vespere? plenus autem sum doloribus à vespere vsque mane. Si mea, inquit, mala aueris scire, hæc sunt, Noctes, quæ sunt ad quietem tributa mortalibus, mihi sunt videlicet peracerbæ, ipsumque solem intueri peropto, vt à die aliquid mihi fortè solatij adsciscam. Verum, vbi dies illuxit, paribus affectus cruciatibus, nocti rursus præstolor: qua ipsa appetente, in lucem vsque doloribus exedor. C H R Y S. Et noctis intolerandam perpexisti acerbitatem, nouam illam quidem & insolentem, atque hominum opinione longè superiorem. Hominiibus enim reliquis omnibus, etiam si infinitis premantur ærumnis, quamuis vinculis teneantur constricti, licet lue corporis contabescant, licet afflicentur inopia, licet morbo laborēt, miserique excrucientur, nox nihilominus aduentans medicinam affert malorum, & corpus quidem à laborum molestia vindicat;



cat, animum verò relaxat à curis. Iobo verò nox ipsa erat pro portu scopulus, pro medicamento vlcus, pro solatio cruciamentorum additamentum. Nam, quo tempore cæteri mortales tràquillitate fruuntur, tunc in ipsum tempestates formidolosissimæ concitabantur, nitenturque ad summos cruciatus diei quasi fluctus subterfugere: sed tamen in noctis procellas turbulentiſſimas, in turbines, in demersa saxa ac petras abditas incidebat. Ac rursus, cum se ad lucis fluctus reciperet, atque id quod aderat, illi molestiam exhiberet, eius, quod aberat cupiditate flagrabat. Ita confectus doloribus temporis intervalla vigeat. Quapropter in huius recentis mali narratione, sic ille exclamabat, *cum dormiero dico, quando dies erit; cum verò surrexero, quando erit vespera?* quid ita, amabo te? Nam, cum luce noctem expectas, nã tu rectè facis; cum ille det cunctis mortalibus diurnorum laborum immunitatem. Verùm, cum ad noctem peruenisti, quæ tranquillitas, quæ molestiarum solutio, quæ curarum solet esse relaxatio; quid rursus diei expectatione torqueris? Scilicet huiusce rei mihi causam expono. Quia die est mihi nox ipsa atrocior. Tantùm enim abest, vt vllam mihi immunitatem tribuat molestiarum, ipsas iritat asperius, ad eam rem terroribus quoque ac perturbationibus incitatis. Quod ipsum est ab eo his verbis expositum, *Terres me insomniis, & in visionibus timore percellis. Perterresiebat enim, terribilibus sibi secundum quietem visis obiectis: & in metu quidem versabatur maximo, stuporèque percussus incredibili exhorrescebat; & quæ cæteris nox data est ad quietem, huic amplificatrix erat acerbiorum.*

*Maceratur autem nunc corpus meum in putredine vermium, liqueſcio autem glebas terræ de sanie radens.* O L Y M P. Vtinam, inquit, ad doloris metas hæſſet ærumna. Nunc sator & procreator ipse sum vermium, qui meum corpus absumunt: quem autem tabificum profundo eryore, adeo vim habet immanem, vt, si quando me fortè testa defecit, ad excipiendam sanie terræ glebas adhibere voluero, vel ipsas glebas liquefaciat. C H R Y S. Dum ait glebas sanie deliqueſcere, hoc ipsum mea quidem sententia ostendit, tanta se inopia atque ærumna laborare, vt non amplius testa sed gleba abstergere sanie cogere, omnique conatur loco amicis suis tum fortitudinis atque constantiæ exemplum edere, tam eam opinionem eripere, quæ illorum animum occupat, quod ob suum scelus in calamitatem illam incurriſſet, vultque eos hoc planè intelligere, haud eius tantam esse nequitiam, vt tâto foret multanda supplicio. Etenim oportebat eos, suarum rerum & actionũ cogitatione suscepta, de Iobi vita iudicare. Illi enim, qui nunquam intermittebant dolores, illa sanies, illi vermes nempe inuicti animi virtutem testificabantur. P O L Y C H R. Nimirum igitur, & vt simpliciter dicam, graue est exulcerari; grauius autem, vermes è viuo corpore redidare, & calamitosi corpore pasci. Ergò, cum exempla subiicit, cum odoris foeditatem, cum vitæ tardium, ac fatietatem, nihil quod magnum sit, prætermittit. Quanquam est illud maius, quòd corpus suum non solum à vermibus exedi cernebat, verùm etiam illud ipse sumpta testa perficabat, sibi que erat ipse carnifex, & glebas liquabat, neque poterat terra defluentem tabem sustinere; verùm tanta lues erat, & corporis vniuersi corruptio, vt multa sanie glebas molliret, atque dissolueret, quæ quidem humore illo perfusa cœnum imitabatur: ita non ægrotanti modò, sed spectantibus etiam erat morbus ipse intolerabilis.

\* August. in Iob, Exilius.

*Vita autem mea \* velocior est loquela.* Alij, Curſore, interpretati sunt, Perij autem in spe vana. Symmachus autem, dies mei consumpti sunt, cum non sit spes. O L Y M P. Cum suas interrim commemorasset calamitates, addit ad extremum, ipsas vitam tanquam curſorem properare ad metam, nec ad spem meliorem quidquam afferre. Id enim valet, *in spe vana.* C H R Y S O S T. Sed fortasse illud, *Vita mea velocior loquela,* ad fluxam vitæ conditionem potest pertinere, quæ minimè consistat, sed quædam quasi loquutio dilabatur, & euanescat. Quamquam ad ægritudinis etiam referri potest vim incredibilem, atque ad graues difficultates, quæ propius aberant ab interitu. Illudque *velocior curſore,* hanc commodam habet expositionem. Vt enim curſores, antequàm inſiſtunt, reſiſtunt:

Sic

Sic & gloria non antè accessit, quàm auolauit. *Perijt autem,* inquit, *vita mea in spe vana.* Cur tandem? quoniam miserè sum labore vexatus, nec vllam tamen mercedem tuli. Quia sum in ærumnis, nec probabilè vllum exitum video. Postea ab amicorum diſputatione ad precationem traducens orationem, ait:

*Recordare igitur, quia spiritus est vita mea, & non amplius reuertetur oculis videre bonum.* O L Y M P. Eiusmodi precationem Dauid adhibuit, cum duceret, *Dimitte mihi, vt refrigerer, priuſquam abeam; & amplius non ero.* C H R Y S. & P O L Y C H R O N. Vide, quemadmodum nunquam Iustus è rectè factis sibi salutem quarat; sed quoniam est eius vita breui spatio circumſcripta. Hoc enim loco, cum dicit, *Spiritus,* respirationem hanc, quæ sensu percipitur, & spiritum hunc, quem respirando ducimus, intelligit. Simile huius est illud apud Salomonem; Quia spiritus in naribus vita nostra. Quod verò Iobus dicit, est eiusmodi, Memineris esse vitam hominum dissolubilem, à qua cum nos mors ipsa abstraxerit, illius reuocandæ omnis est nobis præcisa facultas; nec datur, vt huius vitæ bona intueri, atque vt iis frui possimus.

*Non circumſpiciet oculis videntu me: oculi tui in me, & vitæ non sum, tanquam nubes expurgata de celo.* P O L Y C H R. & O L Y M P. Subitos mortis casus his verbis declarat. Sapenumero, inquit, acciderit, vt, dum in me fortè quispiam figit obstrutum, abeam ipse atque decedam: estque ita vitæ nostræ volucris exitus, vt qui nos hodie viderunt, cras non sint visuri omnino. Siquidem solè tuæ volucris nutu, vno oculorum coniectu, cum me non amplius in vita morari volueris, statim interimes. Hæc enim est his verbis; *Oculi tui in me, & vitæ non sum,* subiecta sententia; disiectæque nubes, & quæ nusquam consistit amplius, similis sum. Id Symmachus aprioribus verbis illustrauit: ad hunc modum, Sicut consumpta nubes recedit.

*Si enim homo descenderit in infernum, non amplius ascendet, neque reuertetur amplius in domum suam, neque cognoscat amplius ipsum locum eius.* C H R Y S O S T. In hoc maxime iustum hunc admirari debemus, quòd, cum nihil de resurrectione percepti haberet, tantùm nihilominus roboris, atque virtutis ad cruciatus perferendos adhiberet. Nam nihil eum de regenerationis mysterio enucleatè didicisse, vel hinc constat. Negat enim ei, qui semel ad infernas sedes descenderit, in vitam redeundi, domumque suam reuertendi datum iri aliquando facultatem; sed neque eum consequentis temporis excipiet memoria, iam è viuorum cœtu abruptum. Nec verò fieri potest, vt, qui semel extinctus est, reuiuifcat. D I D Y M I. Alij quidem sentiunt haudquaquam tolli his verbis à Iobo resurrectione mortuorum, sed hoc doceri, esse vitam hominum caducam: adhæc eum, qui semel est hac vita functus, ad illam ipsam mortalem non amplius rediturum, neque vitata eius munera exequiturum. Quare illa verba, *Non amplius ascendet ex inferno,* cum iis connectunt, *In domum suam;* ac si diceret; Reuocabitur quidem ad vitam, sed tamen domum suam minimè reuertetur. Verùm, licet hæc sit probabilis interpretatio, est nihilominus prior illa verior. Quòd re ipsa resurrectionis arcana Iustus ignorarit. Quò admirabilior is etiam videri debet, quando quidem, cum nihil eiusmodi speraret, virtutis tamen numeros omnes tam perfectè absoluerit.

*Dixi, quia consolabitur me lectus meus.* Symmachus, \* Mitigabit. Verùm Theodorio; Congestabit me in \* meditatione meo lectus meus.

*Exterres me insomniis, & in visionibus stupeſcui.* C H R Y S. Quod Iobo contigit, nulli id præterea euenit, vt non solum, nullum à nocte diurnæ calamitatis haberet alleuamentum: verùm etiam terribilia noctis spectra vim malis nouam afferrent. Nam de malis grauioribus, quæ illi oriebantur è somniis, vel ipsum audi, *Cur me,* inquit, *exterres insomniis, & in visionibus meis obstupeſcui?* Quis ita ferreus, ita sit adamantinus, vt tantis tolerandis acerbitatibus, par esse possit? Nam si per se singulæ sint intolerabiles: in vnum coeuntes vniuersæ, tute cogitantam vim habeant ad perturbandum. Sed tamen hæc ille sustinuit omnia, nec quidquam in iis, quæ acciderunt ei, peccauit labiis suis: quamuis malorum

L

nulla

\* περιπαρήσει.

\* ἀδελοςχία in factis iustis nonnquam pro acti cogitatione, atque meditatione: tametsi alia sit eum nominis perturbata notio.

nulla esset intercapedo, nullum interuallum: quamuis iis dies noctesque vehementius vigeretur. Taceo de diurnis ærumnis, quarum nec in noctis præsidio ullam reperiebat immunitatem. Idcirco aiebat, *Me in visionibus suspensum*. Aio ipsum tempus quietis & laxamenti, cum ad meas ipse ratiocinationes paululum exerceri voluero, & partem somni & quietis capere, tum demum mihi esse somniorum terrore infestum. Quod physica ratione profecto iis accidere solet, qui quidpiam grauius sunt die perpessi. Id quod sapiens confirmauit ecclesiastes, cum dixit, In multitudine tentationum aduenire in somnum. Id etiam ad veritatem valde propendet, à diabolo fuisse terribilia visa illa oblata, vt & merum Iobis inferret, & eum in quiete turbaret. Verum, cum nondum esset beato huic exploratum, à diabolo se esse expetitur, tum hæc, tum ceteram turbam malorum, auctore & duce Deo, in seipsum irruere arbitrabatur: & illa tamen omnia agebat ac moliebatur diabolus. Nec enim ei Deus mali quidquam inuexit. Verum omnis calamitatis diabolus princeps fuit & architectus.

*Liberabis à spiritu animam meam. Liberabis*, est pro, Libera. Verum Aquila, Eligat suspendium anima mea.

*A morte autem ossa mea.* Symmachus, Et mortem propter ossa mea.

*Non enim in æternum viuam, vt sufferam.* OLYMPIOD. Hæc mea est supplicatio, Accipe animam meam, & illata morte, à dolore libera, vt, qui hoc tempore crucior, in posterum quiete & placatè viuam. Nihil igitur, quod sit æquo tuo decreto indignum contendo, domine: nempe me mortalem, non immortalem procreasti. Ergo mihi mortem adfer. CHRYS. Me inquit, interime. En tibi verba atrocita. Sed tamen quid habent atrocitatis? calamitatem exponit, mortem exoptat. Nihil, inquit, ago iniulti, si, mortalis cum sim, interitum expeto. Id quoque Moyses his verbis precabatur, Si hoc mihi facturus es, interific me. POLYCHR. Dum Iobus, inquit, *Liberabis animam meam à spiritu*, aut ipsum dolorem, & ægritudinem spiritum videtur dicere, aut verò respirationem & anhelitum hoc ipso declarat nomine, quæ quidem respiratio à functione muneris, quod præstat corpori, simul cum animo absoluitur. Denique excessum è vita precatur, atque eius doloris, qui ad ossa vsque peruaserat, liberationem in morte, id enim valet, *A morte*.

*Recede à me, vana est enim vita mea.* Symmachus, Quia vanitas sunt dies mei. Quidam autem alius, Vapor sunt dies mei. OLYMP. & POLYCHR. Desine mihi, inquit, plagas infligere, in vitæ vanitate degenti, necdum partem ullam securitatis adepro: quia planè me vires deficiunt, nec robore sustentor villo. Hoc enim indicat, Vana est vita mea. Huiusmodi preces Deo David adhibebat, Amoue à me plagas tuas: à fortitudine enim manus tuæ ego defeci. Mos enim hic sanctis fuit, plagas, quas acceperunt ab hostibus, Deo acceptas referre; quod eas & depellere possit, & permittendo haudquaquã prohibeat. Nec enim alium nouimus, inquit, in tuo arbitrio ac potestate cuncta vertuntur.

*Quid enim est homo, quia magnificas eum; aut quia intendis animum in eum; aut visitas eum vsque mane, & in requiem iudicabis eum?* OLYMP. Tum humanæ naturæ humilem conditionem, tum Dei erga homines prouidentiam adhibet ad supplicationem. Quid inquit, est homo, si per se ipsa eius spectetur natura? profusus nihil: quanquam ipse pro tua erga hominum genus eximia benignitate mirifice illum ipsum extulisti, & in eo obtutum desigis, & quotidianas eiusdem rationes, atque actiones accuratè cognoscis. Id enim significat, *Mane*. Et sanè vel hac vna re hominis præstantia, quam à Deo adeptus est, declaratur; quod eius vindex, & vltor Deus est. Prorsus dignus, inquit, est homo, qui pœnis à te cœrceatur, & qui in tua cogitatione verietur. Quod enim pœnas ab eo expetis, illum ipsum aliquid esse certo est argumento. Vel, *Visitas eum*, id est, illi opitulans. Verba, quam varia & quantum lenitate, tum dolore temperata sint, animaduerte. Mihi quidem certè à cruciamentorum magnitudine verba hæc elici videntur. Quid autem sibi vult, *In requiem iudicabis*? Pro illo est, Mori iubes, & in quiete considerare. Quandoquidem igitur iudicio, decretoque tuo quies dan-

da est.

da est homini, atque ei via munienda est ad vitæ exitum, ne longius meos duc cruciatus, ideoque addit;

*Quousque non sinis me, nec dimittis me, donec deglutiam saliuam meam in dolore?* Haud ab irato animo & rebus aduersis succumbente huiusmodi verba proficiuntur. Verum hoc tantum supplex scire auet, quam diu sit illi in cruciaribus manendum; verum, quoad nulla ei fuerit amplius spendi, loquendive facultas? POLYCHR. Ergo quam breuissimum mihi spatium ad animi remissionem concede, ac me solue doloribus. Illud enim, *Donec deglutiam saliuam*, id quod solet accidere morientibus, sanè exprimit. Cum hoc illud Davidis congruit, Dimitte mihi, vt refrigerer, priusquam abeam, & amplius non ero. OLYMPIOD. Illèque ipse, Quousque Deus irasceris? accendetur sicut ignis ira tua? Recordare, quæ mea substantia: non hæc succensens, sed supplicans promebat, videlicet, naturæque imbecillitatem ad supplicationem adiungebat; quod ipsum hoc loco Iobus facit, qui dolores suos non ad extremum vsque spiritum protrahi, sed paululum sedari postulat. Postea magis Deum delinens, inquit;

*Si ego peccavi, quid tibi possum facere?* perinde, vt si diceret, Quamuis peccassem ipse, quid tibi tandem facere possem? præsertim cum peccatum meum in te confiteri nulla ratione possit? Quid igitur mihi restat aliud, nisi vt ad tuas cõfugiam miserationes? Attende hominis demissionem. Similiterque facit, vt quipiam pauper, qui omnibus, quæ sibi aderant, deuoratis, cum nihil ei superat præterea, commodanti, & à quo mutuum sumpsit, dicit, Quid tibi faciam? qua ratione nomen explicabo, quæ excusatione vtar? Hebræus pro illo, *Quid possum tibi facere*, habet, *Quid te læsi?* tanquam nihil possit nostrum peccatum beatæ illi naturæ officere, ac nocere.

*Qui scis mentem hominum, quare me posuisti obloquentem tuum? Sum autem tibi onus?* OLYMP. Tenes tu domine, quem intimi hominum sensus lacere non possunt, quam læpè me seruum tuum hæc patientem, & abiectum cum intuentur, impiè tuo obtrectant nomini, ac propemodum graui tibi sum oneri, cum grauibus de te sermonibus, ac maledictis causam ipse adfero. Illud igitur, *Obloquentem*, querelæ causam cogitare debemus, quamuis de Deo nequaquam ipse quereretur.

*Et quare non es oblitus iniquitatis meæ, & purgasti peccatum meum?* Et hæc item verba ad supplicationem referuntur. Nam illud, Cur, causa optandi, & deprecandi dici, iam sæpenuero ostensum est: siquidem illarum ærumnarum causam Iobus perspectam habere cupiebat. Hæc autem est hisce verbis circumscripita sententia, An non homines benignitate complecteris? Annon perfacile tibi est errata cõcedere, atque eum, qui se scelere obligauit, à noxa liberare, atque integrum declarare? Quamobrem non ipse quoque ex tuæ bonitatis fontibus hauriam? CHRYS. Ac, si non mea, certè tua causa id fecisses. Quid fuit, cur, cum magnus sis ipse, non conditionem contemptam meam aspernarere? Qua de causa, præterita pœna, culpas, & errata, quæ tua est humanitas, aut non contempnisti, aut planè deleuisti? Quasi ad calculos cuncta reuocares, sic à me eorû, quæ peccavi, pœnas repetisti, idque perfecisti, vt ob nimiam libertatem dicendi, quasi graue onus incumbere tibi ipsi viderer, cum maiora quædam, quæ communis conditio ferat, cum domino meo loquar, ac tibi obtrectare propemodû videar, quod non sempiterna obliuione, si quid à me peccatum est, obliterasti; præsertim cum natura sim mutabili, procliu, ac perisirma.

*Nunc autem in terram abibo, surgens autem erit mane non sum amplius.* Et vitæ breuitatem in supplicatione intexit, & quouis loco Deum excitat ad miserandum. Illud autem, *Surgens mane non sum amplius*, huiusmodi sententiam adfert, Non perinde, vt somnus est mors. Homines enim post somnum rursus surgunt de mane, & ad humanum conuictum se referunt. Qui verò semel mortuus est, neque exorientem expectat auroram, dum expergiscatur, neque hominum consuetudini & colloquationi præstolatur. Quod si vsque eò incõstans est vita mea, & ad interitum ruens, ac si paulò post moriturus, nõ amplius ero quasi à somno

excitandus, cur hoc breuissimum vitæ spatium, non à supplicio vindicasti? Hæc autem non idè Iobus loquebatur, quòd vili culpx esset affinis, sed quasi concessione vtatur, huiusmodi verba vsurpat, *Quamuis culpam*, inquit, minimè vitauissim, ego quoque cum aliis omnibus Dei benignitatem, atq; clementiam debueram tamen experiri. Ita Iobi voluntas atque sententia, religiosa, Deo grata, iusta, ab omni reprehensione vacua, ex omni parte sese planè ostendit, quamuis sermone is obscuriore vsus fuerit.

*Prothecia Capitis sexti iuxta Græcos.*

Quæ à Iobo adhuc dicta sunt, refutaturus Baldadus, cum tanquam verbofiorem accusat in primis. Deinde ad Eliphazi rationem, orationemque deiabatur, ob peccata rarus homines conflictari ærumnis. Verùm, cum illud obiici sibi posse intelligeret, Esto, Iobus haud fuerit insons, cur filij communi sunt conflicti supplicio? Hoc Baldadus antè occupat, atque illos item suorum flagitiorum pœnas dependisse. Iustoque auctor est ad deprecandum Deum, eique physicis exemplis nititur persuadere, prorsus peccatis irrogari supplicia. Atque eodem, quo Eliphazus, est mentis errore abreptus, licet Deo patrocinari videatur. **C H R Y S.** Nempe cæcus aderat amicorum, qui, communis doloris sensu assimilato, reipsa quæ hostium sunt, præ se ferebant. Et quidem iaceti acrius imminet, & vlcera scindunt dolorem, cum alter alterius nequas nequas, & versant orbis, ac molestant quandam choream conficiunt. Sed tamen quid Baldadus loquatur, videamus.

CAPVT  
VIII.

*Vstipiens autem Baldad Sauchites dixit, Quosque loqueris hæc? Spiritus verbosus est sermo tuus.* **O L Y M P.** Theodotio autem, Grauiissimus, dixit. Verborum, inquit, turbam, in qua spem victoriæ collocatam habes, aliquando missam facito. Grauis enim, ac molestus es nobis; cum & verborum profuentia pugnas, & quæ nullam sedem, soliumue habent, loqueris. Adhæc Iobo tanquam inscitè nuganti indignatur, dumque Dei iudicium iustum obrudat, illius se obrudaturum os arbitrat. Sic enim Baldadus;

*Nunquid Dominus iniuria afficit iudicans? aut qui fecit omnia, perturbabit iustitiam?* **C H R Y S.** Vtrum non animaduertis in hac re rem vniuersitate quanta iustitia, quanta ordinis dignitas emineat? **P O L Y C H R. & O L Y M P.** Neminem ioleat Deus iniuria indictæ causæ contemnere. Is, qui cunctarum rerum naturam ac descriptionem admirabili ordinis, concentusque ratione constituit ac designauit, & facilitate omnibus moderatur, nequaquam tua causæ æquitatis iura peruertet; neque te, contra quam oportet, malis affliget. Ita sanctum tacite peruellit, tanquam suo scelere ac iure illa sustinentem, amicumque superioris hic quoque animo imbibit opinionem, cum nocentia & ærumnosa in culpam refert vniuersa. At illud etiam nosse oportebat, non facinorosis modo, sed frugi etiam hominibus, illa quæ ancipitem naturam habent, accidere solere, sed frugi etiam tum esse admirabilem, cum in miseris, doloribusque versatur. Sed, quoniam nullius peccati lustrum coarguere poterat, se conuertit ad liberos.

*Si filij tui percauerunt coram ipse, misit in manu iniquitates eorum.* Verborum sententia est huiusmodi, Si nati, inquit, tui culpa lapsi sunt, an non iustam pœnam tulerunt? *Et id, Coram ipse*, idcirco dixit, quia Deum nihil latere potest. *In manu autem id est, in actione*: id enim dicit, eos suarum actionum mercedem tulisse, Deoque suorum facinorum pœnas interitu expendisse; & *misit in manu sua iniquitates eorum*, id est, scelerum pœnas. Ac nutu significat domus ruinam, qua liberi fuerunt oppressi. Verum enim misit orationem Baldadus & dogmata inuoluit, quando sic dicit, Etiam si tu non peccasti, sese tamen filij scelere obrudat. In quo nec illud vidit, supplicium, quod vni debetur, haud ab altero suscipi solere.

*Tu autem surge diluculo, ad Dominum omnipotentem deprecans; & si mundus est, & veritas, orationem tuam exaudiet. Restituet autem tibi vitam iustitiam. Erunt autem prima*

*tua pauca, verum postrema tua inenarrabilia.* **O L Y M P.** Hoc tibi, inquit, do confilij, vt sedulas Deo preces adhibeas, & quidem eas summo studio: id enim valet, *Surge diluculo*. Ac si verax & simulationis integumentis euolutus fueris, eam tibi vitæ conditionem, consuetudinemque restituet, quæ iustum hominem cum primis deceat: tantopere autem rerum tuarum status efflorescet, vt exigua prior tua felicitas existimanda sit, si cum posteriore conferatur. **P O L Y C H R.** Si ergo plagis istis tuis minimè successeris, Deum ratione placæ diligenti. Quòd si tuam illam pietatem pristinam non umbra & species duntaxat commendabat, si recta ratione religionis pietate defungebaris; cum dominus facilis sit ac clemens, ad superiorè felicitatè te quam citissime reuocabit; laboribusque pro virtute susceptis prorsus par referet. Amplius dico, rerum, quæ perierunt, numerum exhibebit. Denique rerum, quæ tibi concedentur diuinitus abundantia, præterita facile obliterabit; huic tuæ tolerantia vberem ipso Deo mercedem persoluent. Et nimirum frui in hac vita bonis putat Baldadus ad beatam iustorum sortem pertinere. **C H R Y S.** Addubitare videtur Baldadus, quamobrem illa patiatur Iobus, si mundus sit. Sic ergo habet, innocentem etiam in malorum peffione versari, non vt pœnas luat improbitatis, verum vt eius sit probata & exercita virtus. Neque est illud omnino verum, veracis, & integri hominis precationi Deum semper fauere. Vbi enim venit interdum, vt, quæ cõducibilia non sunt, postuler.

*Interroga generationem priuam, inuestiga autem iuxta genus primum: hesterni enim sumus, & ignoramus. Umbra enim est vita nostra super terram.* **O L Y M P.** Perquire vetera, & patrum ac superiorum temporum memoriam replica: ipsi enim heri ac nuper in vitæ ingressi sumus, hesternaque; & vnus diei est vita nostra. Hæc denique vita nostra velut umbra dilabitur, facitque vitæ perbreue spatium, vt rerum nec rationem nec orationem perfectam consequamur. Quare nisi ad hæc, quæ differimus, priscorum accedat memoria, fides nostro sermone fortasse abrogabitur, quandoquidem nec multò antè fuimus ipsi, & post aliquantò haud futuri sumus. Ea est enim vitæ nostræ conditio, vt & cū non essemus antea, procreati sumus: & iam sati, rursum sumus dissolendi. Vt enim diei inclinatione umbra, sic nostrum omnium vita commouetur, & hac illucque perfluit. Eò autem hæc à Baldado dicuntur, vt è veterum monumentis fidem sibi conciliet. Veteres enim illi plurimo rerum vsu fuerunt, quo eos carere necesse est, qui eorundem ætatem minimè attigerunt. **C H R Y S.** Quod autem dicit, est huiusmodi, Cum perpessilla sint vitæ nostræ intervalla, ab iis qui affecta sunt ætate, sciscitari debemus, qui sanè dicent; sicut absque humore è terra herbescens viriditas elici non potest, sic fieri non posse vt sine iustitia consistere felicitas possit; nec item fieri posse vt iniquorum hominum copiosa possessio corroboretur; nec pœnam vllam sine culpa contingere.

*An non hi docebunt & annunciabunt, & de corde educent verba?* **P O L Y C H R.** Maiores, inquit, quorum vita virtute ornabatur, quique pietatis suæ monumenta prodiderunt iis, qui ueniente præditi sunt, satis esse possunt ad disciplinam. Nimirum hi tum verbis, tum factis, qui fines facinorosorum hominum sint, doceant; eorum denique fluxam esse felicitatem persuadent. Præclarè verò & illud dictum est, *De corde educent verba*, cordis enim, mentisque cogitata verba ipsa dimittunt, atque hæc illinc erumpunt.

*Nunquid viret scyrpus sine aqua? aut exaltabitur carex sine irrigatione? adhuc in radice manens, & non motetur, antequam bibat, omni herba exarescit. Sic igitur erunt extrema eorum, qui domini obliuiscuntur. Spes enim impij peribit: domus enim eius erit inhabitabilis, aranea autem tela euadet tabernaculum eius.* **O L Y M P.** Quemadmodum, inquit, fieri non potest, vt scyrpus, carectumue aut adolefeat, aut demeratur, nisi humorem ante combiberit; quin etiam omnis herba, nisi irrigata fuerit, exarescit: sic & rerum florens status sine pietatis studio permanere non potest. Quare adiungit, *Sic igitur extrema erunt impiorum*; id est, non eos ad extremum spiritum iucunda, & beata vita comitabitur, sed tanquam araneam tela, quæ rationem & iustum sustinere non potest, dissoluetur, atque is funditus interibit.

\* μέγεθος  
βότρυος. her  
ba palustris  
acuta. Heron  
nymus, Carex  
dixit.

D I D Y M I. Id enim valet, *Domus inhabitabilis*. Verum, si de his ipsis rebus sit magnificentius differendum, prorsus dicendum erit, spem impiorum rebus, quæ nusquam sunt, quæque firmitatem non habent, esse subnixam. Nec enim spes est aliud, si eius quæratetur genus, quam rerum bonarum expectatio. Et verò qui timet, expectat etiam, sed non bona; namque metus malorum est expectatio, sicut spes bonorum. Cum igitur impiorum expectatio rerum sit non subsidentium, spes eorum videlicet euanescit. Iucunda enim tanquam manentia & fixa sectantur. In quo satis apparet inanem, ac stultam illorum spem esse. Contrà Iustus, cui in vna virtute constitutum sit domicilium, vt qui domi maneat, eam nunquam desertam habebit. Iustitia enim ipsius manet in æternum. Improbis verò, cui virtus curæ non est, neque iustitiæ domum exadificat, neque in ea commoratur. Tela verò ipsa aranæ varietatem ostendit, quæ cum sit à natura contexta, facillimè quoque dissolvitur, eam quopiam contingente. Improbis igitur actio ac vita, araneorum telam, vt quæ nihil firmitudinis, nihilque constantiæ retineat, imitatur. Nam nequam hominum cogitatio, quod tabernaculum appellatur, ita caducum est, ac lubricum, vt nunquam fuisse videatur. N I L I. Virere in aqua scyrpum, & carectum, & quamlibet herbam, non hausto humore, arefcere, hoc fortasse indicat, perturbationes ac morbos, qui mentis terram occupant, atque ex ea progignuntur, cum cogitationum vicissim sibi succedentium sordidus ac noxiis imbribus perfusi fuerint, multiplicem atque vberem vitiositatis fructum solere adferre. Verum horum prohibet orum irrigationis inopia atque defectio. D I D Y M I. Aliter. Sicut sine aqua palus non augetur, ita fieri non potest, vt mens fructum vtilem ferat, nisi res bonas ac frugiferas comprehenderit. Id etiam, quod dictum est, ad humanas actiones ritè transferri potest, quæ tanquam ab aqua, sic à diuina prouidentia irrigantur, cuius humor nisi hæc attingat humana, nullo negotio siccata vanescunt. Nihil est enim seu magnum seu paruum, quod Dei subterfugiat prouidentiam. Cuncta denique exarescunt, nisi ad eam prouidentiam splendor accesserit.

*Si suffulserit domum suam, non stabit, si captus fuerit, ipse non sustinebit.* O L Y M P. Quamuis summa animi contentione adnitatur, vt in tuto suas collocet rationes, nihilominus, si captus fuerit, id est, à diuina vltione comprehensus, non sustinebit, hoc est, non consistet. Ita Symmachus, Innititur domo, & non stabit.

*Homidus enim est sub sole.* Aquila, Squalidus est in conspectu solis. *Et in putredine sua.* \* Rhadannus eius egredietur. Quemadmodum inquit, scyrpus & carex, licet aquæ humorem habeant, ardore solis exalta exarescunt, eorumdemque stolones putrescunt; ita & impiis contingit omnino, cum diuini numinis in eos exarserit ira. Rhadannorum autem nomine, qui adnata, & furculos, aut etiam ramos, & flores imitantur, liberorum Iobi interitum significare subobscurè videtur. Eiusdem versus hæc apta potest esse sententia. Scyrpus in limo, & cœno augetur tamdiu, dum solis est expertus; solem autem ferre non potest; sed penè putrescit, flore decedente, ac defluente. Hoc verò aliud, Rhadannus eius egredietur, huic par est, Corruptus dilabatur.

*Super congregatione lapidum dormit, in medio siccum vivet, si autem absorberit locus, mentietur eum.* O L Y M P. De impio vt de planta aliqua in mediis lapidibus, silicibusque fata, quæ nec semper manere potest, & corrupta flauescit, sic differit Baldadus, Earum stirpium, ac plantarum prorsus sunt impij similes, quæ nec in alta vigent terra, & saxeto aspero inhaerent. Nam aut radices agunt nullas; aut verò, si egerint, quod terra caret altitudine, ita profectò arefcunt, vt in eo loco nunquam fuisse appareant. Illud autem, *Si absorberit*, pro hoc altero est, Si radices egerit; fixusque fuerit. Illud autem, *Lo. us mentietur eum*, huic respondet, inobscurat eum, infuscaturque calamitas. Vt enim cæsa arbor sui memoriam relinquit aliquam, ita herba recisa nullam. Perfecienteque saxorum & silicium, est ab eo sermo inductus. Namque impij in improborum vita, in qua nihil est æquabile, nihil non asperum, nihil non ad offendendum paratum, conquisceunt; in quos dictum est illud, Deiciete è via lapides, quamuis non nullam pietatis rationem

\* Rhadannus est furculus, ramos, stolo, vt ex cōmentario distimus Olympiodori.

tionem amplecti videantur, protinus vomunt eum, quia non habet fertilem animam, ac frugiferam. D I D Y M I. Si quid autem elatius commentandum est, dicemus domui, quæ artificiosa quædam est lapidum structura, inter se coherentium similem esse virtutem, sanctitatem, diuinique spiritus communionem. Cumque aceruus lapidum, & silicium commistis cumulus, sit quiddam dissipatum, huic finitimum est vitium, in quo nil copulati est, nihilque descripti, certoque ordine designati. Ergo impius semper in vitij versatur, degitque domicilio, dissolutus ille quidem pro exterioris ædificij lapidum natura, vt qui turri exadificandæ ad pastorem normam, conuenire non possint. Neque audiunt, Vos autem superædificamini supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum.

*Non vidisti talia, quod exitus impij est talis?* O L Y M P I O D. Hæc, inquit, ex iis, quæ acciderunt aliis, spectare debes. P O L Y C H R. Vtrum eorum, quæ dicta sunt, quidquam ipse addubitas? An non verè impiorum exitum oratio ipsa descripsit? Num hæc te fugiunt, quæ cunctis sunt nota hominibus?

*De terra alium germinabit. Dominus enim non deficiet simplicem.* O L Y M P. Longè alius est impius, ac pius. Dicit igitur, Tametsi hominis pij miseræ & afflictæ videantur esse rationes, à Deo tamen non despectum iri omnino. Nam quemadmodum florentem impiorum conditionem Deus euertit, ac funditus delet, sic innocentium vita, quæ aliquando defloruit, facit, vt ad florentem statum reuocetur, ac reuirefcatur. Sed neque ad extremum contemnitur iustus, neque facilliter impius peruenit ad extremum. D I D Y M I. In herbarum autem translatione perseuerans, posuit, *Germinabit*. Simplicem vero hoc loco dixit, non stolidum, sed vitij expertem: rem enim vtramque nomen simplex declarat. Quando enim de hæreticis dicit, quod orationis facilitate corda decipiunt simplicium, simplices eos vocat, qui rudes sunt, fatui & ad cogitandum tardi. Cum verò ait, Simples & recti adhaferunt tibi, iustos significat. Posteriores hanc notionem sequutus hoc item loco dixit, impium quidem euelli à Domino, iustum autem pro eo inseri. P O L Y C H R. Illum quidem supplicio maclat. Si verò pietatis laudem tulerit, nec cæteris malo fuerit, quamuis vitam vixerit ærūnosissimam, maximam nihilominus illi ipsi Deus partem tribuet prouidentia.

*Omne autem donum impij non recipiet; veracium autem os implebit risu, labia autem ipsorum confessione.* Postquam de Dei prouidentia erga pios, deque eius odio erga impios differuit, deinceps munerum impij mentionem facit. Nec non lætitiæ concinnamque laudem, quam Deus iustis dilargitur, describit: contra turpe impiorum exitium præconio enunciat. O L Y M P. & P O L Y C H R. Impiorum dona, inquit, minimè sunt grata Deo: haud se illorum vult dignari honoribus. Qui autem ex animo & verè pietatem colunt, hos gaudio complet, vt gliscant, vt Dei gloriam efferant. Sed tamen teste Iobo dicere videtur, eum quondam assimulatam atque adulterinam virtutem sectarum esse, eaque re & simulationem ipsius à Deo condemnatam, atque de eo ipso sumptum esse supplicium. Atque ea de causa nec tuos admittebat honores, nec quas maclabas hostias: nam verax haudquaquam fuisti. D I D Y M I. Is profectò verax est, qui nec simulat, nec falso præterit virtutem ac temperantiam, qui cum modestus sit, ac temperans, id quod iustum est, iuste persequitur. Horum veracium os Deus implet risu, hoc est, lætitia. Pro, confessione, autem dixerunt alij, \* Alacri vociferatione.

*Inimici autem ipsorum induent confessionem, conuersatio autem impij non erit.* Iustorum aduersarij turpiter verecundabuntur, sua ipsi spe deturbati: omnisque impiorum viuendi ratio euertetur, eorundem quoque memoria interibit. Quibus omnibus probare nititur Baldadus, suo scelere Iobum ad illam status conuersionem defluxisse.

*Prothœoria septimi capitis iuxta Græcos.*

Quoniam hæc Baldadi verba fuerant, Nunquid Deus iniuste ager iudicans? aut qui fecit omnia, perturbabit iustum? Ideirco iusto Dei iudicio Iobus assentitur

\* ἀποποιήσει  
probabit. Au-  
gustinus: po-  
tius dicendum  
reprobabit:  
interpretatio  
nem summe  
mutuari.  
\* ἀνακ.  
⊙.

\* ἀλαλῆμα  
quod est, cla-  
mor militis,  
quem tollit,  
cum praelium  
est incensum.

titur, cum inquit, In veritate noui quod ita est. Cum autem omni afferuatione affirmavit Deum iustum esse, eundem sapientem, potentem, & magnum testatur, esse que cuiuslibet perdifficile cum illo contendere. Adhuc pluribus verbis Dei potentiam, atque eius incomprehensam naturam confirmat. Atque etiam ait, apud Deum neminem esse iustum, qui non illius munere talis sit; nihilque sibi conscius esse, sed non propterea iustificatum esse. Itemque vitæ breuitatem in supplicationem sumit, & illud dicit, Si tanquam impius seio supplicium, nempe præstabat me emori. Et quoniam amicis persuadere nulla ratione poterat, nullas se scelerum penas luere, idcirco anxio metu posito, & vehementi erga Deum caritate incensus apud Deum, qui iudex est integer & incorruptus, causam dicit, illius iusto iudicio magnopere fretus, cum illud intelligat, nunquam passuram Deum, vt iniusti quidquam loquatur. Hæc nec duxi, alperitue hominis verba sunt, sed quasi filij oratione apud patrem ventis confidentius, & cum Deo ad hunc modum penè sermocinantis, Nimirum, ô pater, libenti animo tuo experior iudicio: scio enim mendacium te ferre non posse. Quæ cum dicit, nempe Deum vt verum & personarum discrimina aspernatem honore afficit perquam eximio. Hæc ergo is mente Dei postulat iudicium. Et quia eum eo colloqui semel est ausus, Parce mihi, inquit, Domine. Nam qui me vitæ dolores, sermonem mihi profusus extorquent. Ac rursus Dei erga homines benignitatem, & voluntariam peccatorum obliuionem, & munificam, prolixamque voluntatem usurpar, effectoremque precibus obsecrat, vt suæ ignoscatur effecti, atque officio, Dei quoque vim & potestatem docet, petitque vt ante mortem, paululum sibi detur laxamenti. Quamquam eam quam optat liberationem malorum, non eo pertinere exitimo, vt sibi certum sit in vita manenti, aut nec Deum esse iratum, aut nec se à Dei clarissimo aspectu fore in tenebras ablegandum.

C A P V T  
I X.

*Sapienter autem Iob dicit, In veritate noui, quoniam ita est.* O L Y M P. Ipse quoque noui, inquit, haud iniustum esse Deum, & æqua ratione ab iniustis penas expetere. Vt autem doceret, hoc sibi dogma certum ac constitutum esse, quasi iure iurando illud confirmat his verbis, *In veritate noui, quoniam ita est.* C H A R S O S T. Quamquam verba hæc præ se ferunt philosophiam! Scio, inquit, perire impios solere, iustos non item. Viden, vt nusquam Deum iniquitatis condemnet? O L Y M P. Hoc autem est vltus proœmio, vt reliquam orationem præmuniret; vt, cum disturus est, Libenter apud Deum causam dico, nemo suspicetur illò eius verba spectare, quod per iniuriam affligeretur ærumnis; sed potius, quia diuini iuris æquitate fretus, ac Dei iusticia, & caritate confusus, eiusmodi sermonem expromat. Dicitum namque est, Nisi cor nostrum nos reprehenderit, fiduciam habemus ad Deum. Illius ergo conscientiam nullius fuisse peccati labe aspersam, ex eiusdem verbis perspicuum est. Verum enim, cum intelligeret non vacare quæpiam culpa, si Dei subierit iudicium seuerum, idcirco mox addit;

*Quomodo iustus erit mortalis à Domino? Si enim voluerit iudicari ab eo, non auscultabit illi, vt contradicat vni verbo de mille: sapiens enim est intelligentia, fortis & magnus.* O L Y M P. Quamquam, inquit, nec illud me fugit, neminem fore iustum, si ad perfectam diuini iudicij normam cuiusque vita exigatur; sed neque iustificabitur in conspectu eius omnis viuens, nisi quem is gratis iustus effecerit. Nemo igitur apud Deum hiscere audeat, Nempe, possit quispiam iustus esse, si cum cæteris conferatur hominibus; verum, cum in Dei estimationem venerit, qui tandem iustus videri possit? Neque verò Tyrannorum more iudicia Deus exercet; verum ei, de quo iudicium facit, persuadet vt diuini iudicij sententiam ac iudicatum exosculetur. Et sanè qua ratione queant ij, qui degunt in terris, cum Deo exæquari, cum inter hunc & illos tantum sit interuallum, tantumque discrimen? Nam, si in idem is Deus & homo venire voluerint, fieri non potest, vt quiuis aut Dei orationem sustinere audiendo, aut vni verbo de mille, quasi perperam dictum sit, resistere queat, resellendo. Nam eum qui ipsa est sapientia, omnino necesse est cuncta cognoscere, nec ignorare, quæ à nostro aspectu obliuescunt. Vt enim is, qui sapientia pollet, aut stulti quidpiam loquatur, aut quidquam

quam seu in sermone, seu cogitatione peccet, fieri nequit, sed ad sapientiam infinitam vim, naturæque præstantem dignitatem habet adiunctam. P O L Y C H R. Si quispiam igitur apud Deum experiri voluerit, profecto nulla fuerit ei dicendi potestas. Vilem namque Iudex contemnet hominum conditionem, nec vni verbo de mille respondebit. Eius igitur rei, quæ à Iobo enunciata est, duplex potest esse interpretatio. Nam vel vt ad Deum contemnentem, nec respondentem, vel vt ad Iobum hæsitantem, & æstuantem, & qui contradicere non possit, referamus. O L Y M P. Rursus animaduertendum est, verba, quæ principio Iustus posuit, illis beati Davidis esse cognata, Et non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Vt, cum audierimus eum, vnus Dei iudicio velle se niti, atque apud eum de iure decernere, non ita putemus de eo, quasi his verbis loquatur, Patior iniusta, ac disceptans cum Deo de iure, tanquam agentem iniuste eum redarguere possum. Apage, longè isthæc à magni, & Deo cari Iobi eximia intelligentia absunt. Hoc nobis tantum cupit esse perspicuum, iudicia se vitare hominum, imperitè & ad gratiam loquentium: quo quidem vicio illius laborabant amici, in diuinæ providentiæ rationibus hallucinantes, qui in eo ipso Deo se patrocinari arbitrabantur, quod contra iustum hominem suffragia ferebant. Obsecrat autem, & obrestatur Deum, vt causæ suæ iudex & cognitor esse velit, à quo sit omnis falsitas perquam aliena. Sic enim fieri posse, vt vero Dei iudicio declaretur, ob quampiam conceptam fraudem nullas penas ab eo pendit.

*Quis factus durus coram illo sustinuit? pro, sustinuit, Aquila, Pacem habuit: Symmachus, Perseueravit, est interpretatus. Sed nec quisquam, inquit, qui aduersus Deum obduruit, tulit impune. Quamuis enim ad breue tempus impune sit, haud ita tamen persistet.* P O L Y C H R. Quis contra Deum mentem obstinatè obfirmavit? Pharaon, Diabolus, qui coram Deo ceruices nequaquam inflexit: et si ij omnes duri esse apud Deum censentur, qui corda lapidea gerunt, in quos dictum est illud, Scio, quia durus es, & neruus ferreus est collum tuum. O L Y M P. Et hoc etiam loco præmunitione vsus est Iobus, vt discamus, quæ dicit verba, hominis esse non peruicaciam, & sententiæ obstinationem sed supplicationem ad orationem adhibentis, diuinæque veritati fidetis. Qui enim præclarè tenebat, quantum homini adferret incommodi, contra Deum pertinacia vitæ, ea, qua tandem hic, ratione vitatur? Atqui non ita multò post, sed in consequenti oratione post inductum proœmium, & postquam mentem nostram aptè muniuit, Dei potestatem verbis exequitur, propè id suadens vnicuique, vt nullo pacto ei oratione obistere audeat, cuius tanta sit vis, tanta potestas, tanta maiestas, qui nullam vnquam partem iuris possit aut peruertere, aut desistere.

*Qui montes redigit ad vetustatem, & ignorans, & subuertit eos ira. Hoc Symmachus dixit apertius, Qui summouet montes, nec apparere eos facit. Sed tamen quænam est huius versus apta sententia? Nimirum, si verba tantum spectentur, hoc dicit, Qui nullo negotio exterminat montes: vt cum illo congruat, Qui tangit montes, & in fumum euanescent. Illud autem ad intelligentiam pertinet, Qui elatas improbi Dæmonis insidias vincit, transfertque ab hominibus illis nec sententibus. D I D Y M I. Alios noui ego montes, Moysen, inquam, & prophetas. Lenauit oculos meos in montes. Christus senio conficit vetus testamentum, nec id animaduertunt Iudæi, in quos dictum est illud, Si crederetis Moysi, crederetis & mihi. Is montes Hierusalem, & sanctuarium à litera solo euertit. Ille suo splendore solis, cæterarumque stellarum luminibus officit. Papæ, quænam, & quanta is homo loquitur, qui morbo est, plagisque confectus! qui testam manibus tenet! qui saniem radit! qui sedet in sterquilinio! *Qui montes, inquit, redigit ad vetustatem, & ignorans.* Ergo, cuiusmodi sint hæc verba videamus, & quæramus, quinam montes sint, qui inueterascunt, & quorum opera vetustate confescent: & quinam ij sunt, qui ignorant. Venit Iesus ad literæ traditionem labefactandam, & planè conuellendos eos, qui post gratiam ad literam adhaerescunt, de quibus inquit Apostolus, Peruenit autem in eos ira. Euesæ sunt vetera: litera*

ra : litera est antiquata: in saurata est spiritus disciplina: vt nos seruiamus in nouitate spiritus, & non in veritate literæ. Maius quid hominum opinione in aduentu suo Iesus meus perfecit. Etenim ipsos prophetas eodem tempore antiquauit, & innouauit.

*Qui commouet eam, quæ sub celo est, id est, firmamentum; columna autem eius concutiuntur.* O L Y M P. Columnas dicit, ipsa firmamenta, & fulcra, quæ fundamentorum architecto, ea ratione, quæ illi nota est, firmata nituntur, qui potest etiam illa conuellerè. Huius simile est in Psalmis, Qui respicit terram, & facit eam tremere. D I D Y M I. Verùm, si concinnior eorumdem verborum facienda est interpretatio, columnæ domini mei Iesu Christi erant apostoli. Hi enim quo tempore pariebatur Iesus, commoti sunt, ac fluctuarunt. Omnes vos scandalizabimini in hæc nocte hæc. Terræ motus sæpè fiunt in terris: verùm, qui antè vel post Christum extiterunt, partem quandam terræ occupauerunt. Mei autem Christi tempore non priuatus fuit aliquis terræ motus, sed tota ipsa terra conuulsata est & centro conuulsa.

*Qui dicit soli, & non oritur.* Non quia sol oritur, sed quia præstantem vim suæ potestatis ostendat.

*Obscurat autem astra.* Id est, claudit & prohibet. Potest enim, inquit, imperare soli, vt in certa commoretur regione, nec exoritur; astra etiam obscurare, vt minimè luceant. D I D Y M I. Ferrur, quo tempore passus est Christus, tres ipsas horas solem defecisse, tunc item stellas visas esse, tanquam in nocte.

*Qui extendit cælum sicut pellem.* Verùm, & cælum, inquit, mira facilitate retendit, vt alio quodam dicitur loco; Qui extendit cælum sicut pellem. Quod quidem Christus, concinente Danide, distendit, Verbo, inquit, Domini cæli firmati sunt. Verbum autem est ipsi Dei filius vnigenitus.

*Et qui supra mare ambulat, tanquam supra pavementum.* O L Y M P I O D. Ad historiam veritatem, Cuius, inquit, pedibus subiectam est mare. Qui ob naturam ab omni materia concrecione segregatam, cuncta permeat, cunctisque rebus inest, ac præest. Videtur etiam tanquam veres incarnationem Verbi significare, quando Christus ad Apostolicam nauem accedens, fluctus extimos ambulabat. Hinc enim refertur illud, In mari via eius. Et hoc quidem Verbum fecit forma humanæ naturæ indutum.

*Qui facit Pleiades & Hesperum, Arcturum, & recessus Noti.* O L Y M P. Cum insigniora appellauit, complexus est reliqua. Ac si decreet, qui omnem cæli ornatum distinxit. A Notò cæteros ventos significauit. Recessus seu promptuaria ventorum, thesauros nuncupauit: vt intelligamus haudquaquam ventorum rationes nobis esse perspectas. Hebraus sic, Et omnia astra circumstantia Notum. Vt ex promptuarij nomine astrorum appareat multitudo, ex ea plaga sese ostendentium. Promptuaria igitur sunt astra in australi cæli parte, tanquam in promptuario recondita. Differt autem astrum à stella. Nam astrum constat è stellis, quarum sine discrimine scriptura diuina vtrumque vsurpat vocabulum: nec quidem ea re læditur, quando quidem sic rerum vitur vocabulis, vt ab hominibus intelligi queat. B A S I L I. Arcturi scriptura meminit, \* subruisti atri, quam post Orionis partes situm video. \* Pleiades quoque eadem scriptura dixit, nomine vtens similiter, vt ij vtuntur, qui reconditiora vna cum Hebrais curiosius peruestigant. In ipsis autem Vergiliis septem apparent stellæ continentes, atque confertæ, non sex, vt est visum nonnullis: & trianguli quidem tuentur figuram. Hesperus autem sidus est lucidissimum, qui Lucifer etiam ideo appellatur, quia de mane oritur nunciatque auroram; hæc autem diluculum, ac diem. Ille igitur, qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus iis nomina vocat, earum omnium tum numerum tenet, tum nomina. Pauca enim suis sunt appellata nominibus, quæ cum sint Græcis familiares, ex iis ostendunt reliquas. Sed tamen innumerabilibus quibusdam illas ipsas vocabulis notant, cum & errantes faciunt, & inerrantes, & quasdam in \* duodecim partes distribuant, alias ad signiferi orbis, quem sol conficit, rationem partiuntur, nonnullas in Austri Borea: que lateribus

\* τὸ πρῶτον.  
\* Vergiliae ap-  
pellatur à M.  
Tullio, & Pli-  
nio: id est, Ba-  
stius posterior-  
em Arcturum  
esse scribit.  
\* Arcturus  
est in Lib-  
ra, Orionis  
est in Gemini.  
\* Nisi ab eo,  
qui illud ex-  
pungit, erra-

ribus designant, & quibus maluerint nominibus illas appellare. P O L Y C H R. Id hoc loco Iobi ostendit oratio, Deum, cum hanc rerum conderet vniuersitatem, tum sapientiæ, tum suæ erga hominum genus providentiæ insignia dedisse documenta. Sapientiæ quidem in tanta rerum, quæ cernuntur, varietate; providentiæ in earundem vitu, quæ homines perfruuntur. Astrorum enim ortus, atque obitus, & lunæ sensentis diminutiones, ostendunt agricolis, quo tempore sementem facere debeant, & quo studio colenda terra, iisdemque serenitates tempestatesque cæli præsignificant, itemque nauis nauigandi opportunitatem. Verum dicantur Phœnicæ ad suos cursus maritimos, Minorem vrsam duces addidisse. Ergo opificij eius, inquit, eximij, quotidie argumenta licet intueri. Cæli inquam conuersiones, tempestatum mutationes, temporum vicissitudines, diei ac noctis præclaro ordine descriptam successionem. Etenim, cum astrorum mentionem fecit, aeris quoque facinoræ, variumque ac multiplicem usum indicauit: quare addit;

*Qui facit magna & inuestigabilia, gloriosa & stupenda, quorum non est numerus.* P O L Y C H R. Id est, quorum sumus ipsi ignari. Dixerat hæc ipsa antè Eliphazus, quæ hic loquitur Iobus. Subindicat autem niuis ortum, grandinis impetum, tonitruum sonitus, fulminum sagittas, & iactus, & quæ è genere sunt eodem. C H R Y S O S T. Quæ nuper, inquit, à me dicta sunt, nec magna sunt, nec ex earum rerum genere, quæ inuestigari nequeant. Nam in sensum ea oculorum incurrant. Quanti illa fuerint, quæ ab oculorum abducta sunt consuetudine, atque iudicio? Ac vide, quemadmodum nunquam diuinam naturam, sed Dei duntaxat opera proferat. Sed quid attinet, inquit, de singulis dicere? Nempe eiusmodi sunt Dei opera, vt nec informari a seculo, nec numerando percenseri queant. D I O N Y S. Vidisti, quænam de Deo Iobus beatus disserat? qui cum sapius, eum in singulis rebus religiosamente veneratus esset, tum illustri laude extulisset, summam nunc cuncta complexus, dixit, *Qui facit magna, & inuestigabilia, & gloriosa, & stupenda, quorum non est numerus.* Nam, quamuis numerus numerari non possit, nec vllò sit termino circumscriptus, possitque additione semper augeri, nec vllum numerandi exitum habeat: nihilominus, inquit, Dei opera quemlibet numerum, qui pertransiti non potest, longè superant. Quod si opera, quantum magis ille: Quod enim est homini nec comprehensibile, nec terminatum, hoc ipsum est Deo minimum, & quantitate quidem, vt hic dicitur, magnitudine autem, quemadmodum est in Psalmo, ipsum super magnitudines esse prædicante, Magnus, inquit, Dominus & laudabilis valde, & magnitudinis eius non est finis. Siquidem omni est laude superior, quauis admirabilitate admirabilior, & omni gloria gloriosior, & quauis sublimitate sublimior, sicut scriptum est, Terribilis Dominus, & magnus valde, & admirabilis potentia eius. Qui glorificatis Dominum, exaltate, quantum potestis, superexcedet enim amplius. Multumque laboris est suscipiendum, si diuinarum scripturarum hymnos singulos, quibus summa Dei celebratur magnitudo, seligere vellemus, vt in huic locum contraheremus, quos quidem hymnos sua Deus laude & excelsa natura longè superat vniuersos. Nunc igitur ad reliquam interpretationem pergamus.

*Si supergressus fuerit me, non videbo; si transgressus fuerit me, non nouero.* O L Y M P. Is planè, inquit, mentis, non videbo; si transgressus fuerit me, non nouero. Quis planè, inquit, mentis, ac supra omnia, ac supra omnia, sciri non possit. Quid illum dico? quando nec eius iudicia omni naturæ condita possunt esse comprehensa? Ea enim vi, ac potestate, quæ à nostro est secreta aspectu, omnia molitur, quæcumque motitur: vt iam quæ aguntur ab ipso, non sensus modò nostros, sed animi etiã præteruolent intelligantiam. Ita nec eum lenem agnosco, nec iratum contemplari possum, licet me supergrediatur, & transgrediatur, vt planè non animaduertam.

*Si abduxerit, quis reduxerit? vel qui dicit ei, quid feciste?* En, inquit, abripuit à mundo: quis reportabit abreptum? O L Y M P. Quis referet, inquam? quis iis, quæ ab illo aguntur, contradixerit? si velit cuncta planè delere, quis illius arbitrium, decretumque correxerit? P O L Y C H. Si contra quempiam sententiam dixerit,

tum, si in no-  
uero, si in ve-  
ro 48. pro 12. h-  
vit 12. non ad  
deo quemad-  
modum hæc si,  
quæ statim se  
quitur, non  
eandem parti-  
tio: quod si  
48. pro 12. h-  
geremus, faci-  
le esset, vt si  
de. h. d. v. fo-  
nem intellige-  
re, quæ ad  
Astronomis  
fit in 48. ima-  
gines, seu con-  
stellationes.

\* ἀπαρξέει  
Aug. si mor-  
ti tradiderit:  
si abire in se-  
rit: si dimise-  
rit. Nam ver-  
tū est hoc  
παραίτητος.

dixerit, ad quem prouocabitur? cuiusue implorabitur auxilium? quis illi quasi minus recte facienti, exprobrat: cum liberum in res omnes imperium obtineat? eum iis propitius ac placatus sit, quibus esse voluerit: ac rursus, quos voluerit, plectat?

*Ipsæ enim auertit iram.* O L Y M P. Hoc vnum, inquit, scimus nulla animi commotione ab eo irrogari supplicia, nostris interim rationibus vtiliter consulente. Vltus autem synecdochæ ab ira, vitium omne significauit: nec enim iram tantum auertit, sed cæteras etiam perturbaciones. Symmachus autem ad hunc modum, Deus, cuius ira \* auerti nequit; vt intelligamus diuinam impetum vitari non posse. Quis enim illius vindicem & supplicio vlciscentem manum possit auertere?

*Ab eo autem incuruata sunt cete, quæ sub celo sunt.* O L Y M P. Symmachus, Sub eo curuabuntur obnitentes saltus. Arrogantium, inquit, deprimit supercilium. Rursus Hebræus, Ab eo, inquit, omnia perduntur, id est, nisi sponte, & clementia in homines vsus iracundiam flexerit, ad nihilum reciderint omnia. Græcus vero, Cete dixit, vt omnia indicaret, quæcumque in uictio robore, ac robusta videntur esse fortitudine. D I D Y M I. Illud videlicet, ad verba: Nec ceti, nec veneno imbutæ feræ hominum ferrent imperium, nisi illa Deus subegisset. Verum hoc ad theoriam. Ceti ipsi nequam spiritus per allegoriam dicuntur; ideo, quia animi nostri fluctibus innatant. Horum ille cetorum compressit, fregitque audaciam. Neque enim iis possit hominum natura obistere, nisi inflantur à Deo.

*Si autem me audierit, aut diiudicavit verba mea. Si enim iustus fuero, non exaudiet me, iudicium eius deprecabor. Si autem vocauiero, & audierit, non credo quod exaudiat me, ne de caligine conuertat me.* Profusus difficilis atque arduus locus, quem nullus sine labore per se ipse expedierit. Duce nihilominus Deo, Iob quoque locum sua illa testa, qua sanam abstergebat, complacante, est tentandus\* ascensus. Quæ igitur horum versuum poterit esse sententia? Baldi hæc fuerant verba, Non iniuria afficiet Deus iudicans: additque, Surge diluculo ad Deum deprecans; & si mūdus es, deprecationem tuam exaudiet, & restituet tibi vitam meliorem prima. Ad hæc Iobus respondet, Qui sciam, o amice, vtrum me Deus audierit, precatationis que verba diiudicavit? Nam, si iustam esse meam causam apud eum probare voluero, haud mihi respondebit. Hoc enim valet, *Non exaudiat me.* Illius porro iudicium, atque suffragium libenter implorarem, si certum haberem, inuocantem me, & implorantem audirum iri. Nec enim se in conspectum dat Deus, nec vocem mittit aliquam: ita multo magis metuo, vt, cum prorsus videri is nequeat, è turbine & procella me conuertat, quod de iure cum eo sim ausus disceptare. O L Y M P. Sed tamen hoc pacto commentantur nonnulli, Si meum ipse ius, atque innocentiam probare voluero, repellat à Deo, cum illius iudicia nec mentem nostram sequantur, nec illa possit animus noiter assequi. Quo etiam magis illius est mihi iudicium exorandum. Quod si Deum inuocauero, ac meæ causæ æquiritatem, meamque innocentiam complexus fuerit, haud credam meam illi causam probatam fuisse. Is enim nostrum fugit obrutum, & illius mihi est ignotum iudicium; vt verear magnopere, ne ipse obscuro aliquo consistens loco, quasi quæpiam procella, ac turbo, me perdat omnino. Id autem, quod dicit, est huiusmodi, Turbo cum circumagatur, vndique cuncta complectitur: quocirca, si ex vna parte insons visus fuero, ex altera me coarguet. Quæ quidem à me verè dicit, præsentia mala testantur. Nam subito tam variis me circumuallauit ærumnis, haud peccati alicuius pœnas persoluentem. Idcirco atterxit:

*Multas fecit contritiones meas frustra.* Vnum illud sanè noui, quod causam tantorum malorum nulla assequor ratione. Id enim significare videtur, *Frustrà.* Aut id & iam dicit, Nihil atinebat Deum his cruciatibus de me periculum facere. Nam ante cruciamenta me præclarè nouerat. Quanquam alij pro, *Frustrà,* interpretati sunt, Sine causa, & gratis. C H R Y S. Hoc ipsum de Iob Deo Diabolo dixerat, Tu verò dixisti, vt frustrà perderem substantiam eius. Quid ergo miraris, id quod

\* ἀναστρέφει  
πλὴν. Ἄλλο  
ἰναντιβίβλις  
ἰρα.

\* Catena hæc  
betur in duobus,  
mea quidem  
sententia cor  
ruptè credide  
rim verè le  
ctioem esse  
ἀνοδοῦ, vt nos  
sumus inter  
pretati.

quod à Deo dictum est, dici quoque à Iob? Et si illud, *Frustrà,* non eò pertinet, quod aberrauerit, sed quod ex illa pœna atque supplicio nil maius est consequutus.

*Non enim finit me respirare: implevit autem me amaritudine.* C H R Y S. & O L Y M P. Referta est vita mea ærumnis, ac sine dolore respirare non possum; tanta est malorum acerbitas, vt nullas faciant inducias.

*Quia enim robore potest, vincit, qui ergo iudicio ipse resistet?* Symmachus autem, In robore fortis est. P O L Y C H R. Cum potestatem, quæ expugnari non possit, obtineat, cuncta, inquit, administrat imperio, cum reperitur nemo, qui in re aliqua sit ei aduersaturus. O L Y M P. Et ipse quoque, cum illius animo completæ fortitudinem, audax esse facinus aio, illius obistere iudiciis, cum viribus & iudiciorum æquitate, peræque sit præditus: quibus duabus rebus haud quispian repugnabit. Hæc verò Iobi oratio attingit amicos, illas ab eo ob scelus aliquod pœnas susceptas esse existimantes.

*Si enim iustus fuero, meum os impium erit. Alij, Condemnabit me.*

*Si autem fuero irreprehensibilis, prauum erit os meum.* O L Y M P. Quæuis, inquit, meas apud eum rationes exposuero, impius ero. Quamuis factorum forsasse iustitiam fuero consequutus, dictorum tamen condemnationem minimè vitauerim. Si enim me iustum esse dicere audeā, id demum dicere puto esse imperatis. Quod si illud etiam sim dicere ausus, omni me reprehensione vacare, mihi que ipse futuro blanditus, hoc ipsum meam prauitatem coarguet, nec me rectum esse testabitur, quandoquidem, si iustus eram, id ipsum silendum erat; neque enim de se iustus prædicat. Huic finitimum est illud, Factus sum insipiens, vos me coegistis. P O L Y C H R. Forsasse & aliquid dicit huiusmodi, Quis tandem meum ipse ius in Dei iudicio persequar? Quis homo ipse imbecillus cum rerum omnium domino disputem? Is enim, qui tanta est potestate, facile ostendit, iniquos meos esse sermones. Nam, licet vitam à labe vacuum vixerim, improba nihilominus apud Deum videbitur, cuius accusanda atque emendanda habet potestatem.

*Si enim impius eris, non noui animo meo, nisi quod ablata est vita mea.* P O L Y C H R. & O L Y M P. Illud Apostoli dixit, Nihil mihi conscius sum; verum tamen non in hoc iustificatus sum. Nullius quidem peccati me torquet conscientia; hoc tamen vnum noui, vrgeri me malis. Cumque ad extremam miseriam meas rationes videam deuolutas, æltuo vehementer, quoties eorum, quæ mihi contigerūt, causam cogitatione pertracto.

*Propterea dixi, Magnum & potentem perdit ira, quia improbi in morte erunt ingenti sed iusti deridentur: traditi enim sunt in manus impij.* O L Y M P. Hæc mecum ipse reputans animo, eum, qui suam magnam & robustam esse iustitiam arbitratur, perdit à diuina ira. P O L Y C H R. Aut etiam, quia omnes Dei coerecet ira, siue quis pietate insignis, siue vita clarus extiterit. O L Y M P. Nec verò illud ignoramus in flagitiosos vltima esse & improvisa supplicia constituta. Sed tamen pij ac religiosi homines à facinorosis ridentur in vita, tantisper dum Dei bonitas delitescit, & quæ in posterum sunt reseruata vtrisque, haud ipsa se produunt. Porro autem iusti in manus impiorum traduntur sæpenuerò, non vt hi honore afficiantur; sed vt illi probentur. Hæc dum dicit, ac patitur Iobus, tibi prorsus persuadere debet. Eorum enim, quæ dicuntur, res ipsæ, per necessaria sunt confirmatio. Is enim à Deo est Diabolo petenti deditus, resque illius sunt directæ ab hostibus; illo, cur hæc fierent, causam ignorante.

*Facies iudicium eius cooperit. Si autem non ille, quis est?* Symmachus, Et nunc quis est. O L Y M P I O B. Quoniam in memoriam Diaboli rediit, dum dixit, Traditi sunt in manus impij, consequenti obsequens orationis addit, peccatum iudicantium subterfugere cognitionem, cum ipsum simulationis artificio iustitiam sæpenuerò mentiatur. Ita nullus peccati expers. Quod nisi veterator esset, haud magnus existeret: quæquam superari facile potest peccati architectus Diabolus. Quanquam hæc ipsa Iobus, tanquam sanctus ac vates, occultius tamen in mediam disputacionem coniecit. Rursusque ad sua renocat orationem, & quæ con-

sequuntur, appingit. POLYCHRON. Alij verum hunc sic exponunt; quia dixerat, Magnum & potentem perdit ira, nunc ait, eorum, qui audacius diuinae irae aequitatem perspicere conantur, facies cooperiri, id est, aciei eius rei cognitioni tenebras prorsus offundi. Ac, si horum omnium auctor non is est, quinam sit, vos ipsi docete.

*Vita mea velocior est cursore. Id est, maximè incitata, siue flagitiosa, siue ea sit laudabilis. Symmachus autem, Dies mei.*

*Fugerunt, & nos viderunt. Si est vestigium via nauibus, aut aquile volantis. Symmachus autem; Abierunt similiter, vt naues festinantes, vt aquila volans ad escam. Qui immatura, inquit, morte extinguuntur, singulos humana vitæ casus intueri non possunt. Vt enim nauis, aquilæque nulla extant impressa vestigia, ita beata, florentisque vitæ nulla relinquuntur argumenta. Ergo vt nauis nulla in mari, nec vlla aquila in aere vestigia facit, sic humanæ felicitatis certum nullum signum adfertur. Id quod rerum mearum conditio certissimè comprobatur: ea enim, quibus ipse ad breue spatium fructus sum, bona pari celeritate auolauerunt, atque nauis incitata à ventis, aut verò aquila, quæ alarum celeritate aera distendit. Nam illud, Ad escam & cibum aquilam volare, pernicitatem ostendit. Aquila verò, nauisque similitudo eodem pertinet, licet nò ex eodem sit sumpta.*

*Si enim dixerò, obliui car loquens, procumbens autem facie ingemiscam. Consuetior autem omnibus arcibus scio enim quòd non innocentem me dimittes. OLYMP. Duplex est huius loci expositio. Aut enim hoc dicit, Si me tueri voluerò oratione, nimium ea longa futura sit, præterquam quòd gemo & contremisco, veritus ne alicuius rei per imprudentiam contracta fortè conuincar. CHRYSOST. Aut id potius significare voluerit, Si de meis rebus dicere conor, ac mea narratò pertexere, profectò doloris acerbitas obliuionem mihi adducet. Tanta enim vis est cruciatibus vt mihi planè memoriã eripuerit: ac licet ex his malis emergerem, nihilominus iam ipsum supplicium contra me cunctorum ora diduxit. OLYMP. Ita ore obuoluto gemo, atque lamentor, & artibus còtremisco, cum intelligam, si tuum mihi seuerum iudicium subeundum sit, neque innocentem, neque à culpa me vacuum visum iri. DIDYMI. Hominis modestiam, & gratæ voluntatis significationem habent hæc verba insignem. Etsi enim dixit, scio quia iustus apparebo; nihilominus quia exploratum, persuasumque habebat, apud Deum qui æquis cuncta ponderibus examinat, ipsa etiam astrà esse impura, nedum seipsum, ideo inquit, Si in me inquirere subtiliter volueris, (Deus enim es) haud me infontem dimittes. Quando igitur sum impius, cur non perij? OLYMP. Aquila autem, Vt quid frustra laboro? Si integrum de mea impietate factum est iudicium, an non mihi rectius futurum erat, antequam ad impietatem delaberer, interire? Tale quid de Iuda nostro liberator dixit, Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Id ipsum nunc Iobus Deo amicus vsurpat, Emori me præstabat, quam impietatis postulari, mortemque magis opto, quam tantis vexari conuictis, quasi diuinas leges perfrigerim. Cur tandem non perij? Proxius est mihi diuini consilij ratio ignorata.*

*Si enim nix lotus fuero, & purgatus manibus mundis, satus in sordibus me tinxisti, abominata est me vestis. CHRYSOST. & OLYMP. Mos erat antiquis balneis eluere sordes: illud item in priscis moribus fuit, vt, cum probare vellet, cuiuspiam sceleris societatem ad se haudquaquam pertinere, manus lauant, dicerentque, Innocens ego sum, & ab hac re integer. Id quod in liberatoris nostri causa fecit Pilatus. Dauid etiam canebat, Lauabo inter innocentes manus meas. Dicit ergo, Quanta libet mea extiterit innocentia, hæc minimè obscuræ conuictiones, hæc peracerba supplicia, ex præiudicata iam opinione impuritatem, labemque meam coargunt; vt iam vel ex ipsa vestis meæ contrectatione inquinari se ceteri suspicerentur, præsertim cum ob mea non pauca scelera hæc me pati vnusquisque arbitretur. Hæc amicorum causa loquitur, culpa ac noxa cum teneri ex ipsis eius calamitatibus comprobantur. CHRYS. Quod verò dicit, est eiusmodi, Videlicet ipse impietatis exemplum sum cunctis propositus. Cur igitur non perij? Im-*

probum

probum enim oportet tolli de medio, ne ceteris magister esset improbitatis. Quæquam, si sole nitidior fuero ac purior, macula nihilominus, nec tamen qualibet alperius fuero. Verum, qui me pari ac vestis corpus propinquitate contingunt, oderunt me: ipsum mihi corpus inuisum, & execrandum euasit: hoc enim, vestis. Potest etiam sic intelligi, Abominata est me vestis mea, vel ipsa me vestis quasi incitata odio fugit, vt pro illo sit, Nec ob plagarum acerbiteratē possum amicitia.

*Non enim es homo, sicut ego, cui in iudicio respondeam, vt simul veniamus in iudicium. Vtinam esset mediator inter nos & redarguens & audiens inter vtrumque. OLYMP. Quoniam anticipata suppliciorum opinio iusti impietatem palam testari videbatur, neque opinionis falsitas ex iis, quæ oculis hauriebantur, poterat refutari, apud ipsum Deum, qui verax est, & genera personarum ignorans, vult iudicio experiri. Illius enim iudicium in primis confidit, tanquam si diceret, Vos amici ex iis, quæ in me incubauerunt, malis, contra me sententiam pronunciat. Quòd si Deus causa meæ ius complecti voluerit, qui nec personarum in iudicio inuenitur discrimina, & ipsa veritas est, nimirum is probabit, haud me ob peccatum vllum his vrgeri supplicis. Nec verò aliam esse iusto mentem atque sententiam, atque ob extimam caritatem erga Deum, magnamque apud illum libertatem, & ob magis, quam in Dei veritate positam habebat fiduciam, quòd humana fugiat iudicia; contrà verò, à Deo, qui sine mendacio & errore cuncta pronunciat, iudicari velit, vel ex eius verbis, quæ cum Sophazo disputans dixit, disce. Disputationem enim & errantem, & recto iudicio minimè progredientem ab amicis auertens loquitur his verbis: Veruntamen ego ad Dominum loquar, videlicet, qui non memitur, nec personas accipit: arguam autem coram eo, si voluerit. Vos enim eius medici iniusti, & sanatores malorum omnes. Vides, quem admodum hominum iudicia fugiat iniqua? & ad iustum animorum medicum Deum confogat? Diuini deiiceps iudicij æquitate fretus audet, ac dicit, Scio ego, quòd iustus apparebo; sursumque, Ecce in calis testis meus, \* cognitor vero meas in altissimis. Audet vbi quæ, vt qui fallax hominum iudicium vitæ: Deum ipsum rogat, vt idem iudex, aduersarius, ac testis esse velit. Quantam hæc demum caritatem testantur! quantam libertatem! quantam fiduciam! itaq; Deus, qui mentè Iobi penitus perfectam habebat, & quo studio animi inductione is loqueretur, cum minimè ignoraret, de homine haudquaquam relictis; immo verò illi aduersus amicos victoriam adiudicauit, pronunciauitque non peccati vllius penas a Iobo fuisse persolutas, verum, vt illius iniustitia atque innocentia testata esset, illa incommoda perulisse. Cum ergo de iusti erga Deum caritate haud dubitare possimus: quæ deinceps scribuntur, huc scilicet referre debemus. Neque verò illa nos psaltis verba perturbent, Ne intres in iudicium cum seruo tuos quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Hoc enim ipsum nequaquam dubitabatur à Iobo, ad sincerum ac subtile Dei iudicium neminem futurum esse innocentem. Neque hoc tempore est Iobo propositum ad diuini iudicij seueram normam causam suam dirigere; aut etiam iniustitiam Deum conuincere, quòd penas de eo sumpserit iniustas. Verum hoc tantum pugnat, vt mendacium, falsitatemque coarguat amicorum, ob flagitia irrogata illi esse supplicia arbitrantium. Quapropter & Deus Iobi sententiæ, ac voluntati obsecundauit, nec eum propter sceleris impietatem quidquam esse perpeffum, palam dixit. Quin potius omnis illa tentatio, atque calamitas, ad generosam eius virtutem peritentandam, comprobendamque pertinebat. Sed hunc sermonibus percelebratum hominem audiamus, Non enim homo es, sicut & ego, cui in iudicio respondeam, vt simul veniamus in iudicium. POLYCHRON. Hoc mihi, inquit, euenit, non malefici; cuiusquam conscientia stimulator; sed ideo, quòd apud eum mihi dicendum est, cum quo nulla mihi est naturæ communio, nulla par dignitas. Quòd vtinam sicut apud homines, sic apud te, qui iudex es incorruptus, experiundi æqua daretur potestas. Et dum ad maiorem affluit libertatem orationis, sequestrum quempiam, & interuentorem adesse optat in causa: Vtinam mediator esset*

\* τω ἰσχυρῶ  
cognitor, cō-  
siliens, c. 33. v. 1.

inter



inter nos & redarguens, & audiens inter utrumque. Ipsa consequutio planam facit hanc omnem orationem. Mea, inquit, mihi non sunt. Sed, quoniam amici mei ex iis, quæ me circumstant, arumnis haud rectè ratiocinantur, ob peccata ex-cruciari me malis, ideo tua solius contentus sum approbatione. Vtinam deli-gendi arbitri, ac sequestri mihi daretur facultas, qui de re tota pronunciaret, & a quo iure cum utroque ageret, atque eum, qui iniuriam imposuit, liberè coar-gueret. Hæc, ut iam diximus, eò loquitur Iobus, ut & diuinæ se veritati confi-dere ostendat, atque ut falsò ratiocinantes amicos refellat. Iobus enim dicente, nullius tanti admissi sceleris opprimi conscientia, ut eiusmodi essent illi pœnæ sufferendæ; Deo item confirmante, non peccati vllius eundem supplicium susti-nere. Quid vllius præterea arbitrio compromissio opus erat? nisi ut arbiter v-triusque sententiam comprobarer? & amicos mendacij condemnaret? Quod ipsum re ipsa Deus deinde perfecit. Deinde quasi quispiam obiiceret, Quam-obrem, cum tua iura protuleris? respondet; Si mihi Deus potestatem facit libe-ræ orationis, nempe is me cruciatibus liberabit; scilicet me timere non sinet. Im-petrata autem ab eo liberè dicendi venia, loquar, & ex animi sententia loquar, & defensionis meæ ius persequar. Quocirca atrexit;

\* Suspicor ali-quid deside-rari.

\* *quod dicitur circumagat, imadit: vel, ut paulo post interpretatus est Olympiod. stragulet, per cellat.*

*Avertat à me virgam, & timor eius non me circumagat: & non timebo si loquar.* P O L Y C H R. Ad interuentorem hæc nonnulli referunt: ferme, inquit, me seque-ster è presentibus malis eripuit; factusque est vas, ex mea fideati oratione, nil me laturum incommodi, si de rebus meis sine trepidatione aliqua disputaro: in-corruptaque atque integra conscientia (neque enim cuiusquam iniuriæ ac labis mihi conscius sum) supplicij, animaduersionisque causam postularo. Verùm hæc ipsa alij in Deum conuenire confirmant. O L Y M P. *Avertat à me virgam*, id est, tormenta, suppliciaque inferentem manum, nec eius me timor obterat: id enim est *stragulet*, circumagat, percellat: sidenter enim loquendi facta potestatis fatis luculentum est liberationis malorum argumentum.

*Non enim sic consius sum laborans anima mea.* O L Y M P. & E V A G R I I. Ideò hæc dicit, aut quia exprobrabant amici Iobus, quòd pœnas scelerum sustineret, aut quia corporis labor, ac morbus ad animum haud arreperet. Quamuis enim illud plagam accepisset, contractione tamen animus nequaquam succubuit.

CAPV T X.

*Gemens dimittam aduersus me verba mea.* P O L Y C H R. Silentio, inquit, ego- metingemiscam, cum prorsus habeam nullum, cui causam meam probare possim. Vide quemadmodum nos antea muuiat, nihil ipsum de Deo, quod di-gaum non sit, cogitare. Nam vel gemens, vel malis oppressus nullum in Deum iaciam maledictum; sed in me ipsum despicientia verba conuertam. Idcirco verò id dicit, quoniam principio dixerat, Pererat dies, in qua natus sum. Sanè docere vult nihil se contra Deum secus locutum fuisse; sed illas contemptas, abiectasq; voces contra seipsum emisisse. Quasi hæc sit illius oratio, Aduersus Deum nihil loquar omnino; absit. Quòd si fuero nonnulla loquutus, non illa mea, sed arro-cis calamitatis atque ægrotationis futura sint verba. Ergo nec contra se oratio-nem vsurpaturum, sed philosophaturum, silentiumque adamaturum esse ostendit, nisi vim adferret doloris magnitudo, ac nisi amici verba extorquerent. Nihil verò de Deo dicit absurdum: quod ipsi ex eius cunctis sermonibus aperte docuimus, præterquam quòd Deus testimonium illi ipsi dedit, cum eum iustum esse pro-nunciauit. Ad huius porro viri, & ad eorum, quæ per contemptum is dixit, de-fensionem, illa magnopere valent, quòd homo erat, quòd sine sensu doloris tormenta perferre non poterat, quòd calamitates mirificæ erant, ac vehemen-tissimæ, quòd virtus ad summum perducta, quòd in moribus nihil non simplex, nihil captiosum, vel subdolum, quòd tanquam filius fidenti apud patrem ora-tione utebatur; quòd in suis sermonibus vniuersis nihil odiosi fuerit de Deo lo-quutus, verùm id duntaxat contenderit, & iure sibi mortem optabilem fore, ac falsam de se amicorum esse opinionem; & quod caput est, quòd incorrupto Dei suffragio absolutus sit, cum iustum illum esse pronunciauit. Quòd si Deus iusti-ficat, quis est, qui condemnet? atque inquit Apostolus.

Loquar

*Loquar oppressus amaritudine anima mea, & dicam ad Dominum, ne impium me esse doceas; & quare me sic iudicasti?* Ne me despice languore confectum, ne forte gra-uiore aliqua tristitia obrutus, culpam contraham iniustitia. Quæ quidem per-inde loquitur, quasi diceret, Ne me permittas tentari amplius, quàm vires meæ patiantur: sed mala sedà illata, nec longius supplicium trahas; ne, quod fieri pos-set, calamitate percussus ad absurdum quempiam sermonem delabar; aut ne maiore aliqua contempatione commotus, vocem mittam impietatis. Illud enim, *Ne me impium esse doceas*, pro eo est, Impiam à me remoue orationem. Neq; enim Deus quempiam docet impium esse, impie agere. Illud item, *Quare me sic iudicasti?* huic par est, Doce quorum scelerum de me supplicium sumas. Illud etiam, *Quare*, non ad expostendam rationem, sed ad optandum, deprecandum-que tantummodo adhibetur.

*Aut bonum tibi est, si inique egero?* tanquam si diceret, Haud tibi rectum, gra-tumque est, Domine, me ad iniquitatem deduci. Igitur miserere. Pleriq; enim suas non ferentes ærumnas ad impia conuitia conuersi sunt. Ita Sanctus hic sua interposita persona, pro nobis omnibus Deo supplicat, ut eas, quas aduersus nos permittit tentationes, velit esse moderatas, ne maiore tristitia absorbeamur.

*Quia negasti opera manuum tuarum, ad consilium autem impiorum attendisti.* CHRYS. enim est, ad-Hinc perfpicis, non ideo eum velle iudicium subire, quia præclara eius sint faci-nora, sed quia, quod mihi hæc calamitas commodum pariat, haud video. Ve-reor enim ne obfit potius. Credibile enim est, sic cogitare, ac ratiocinari non-nullos, aut te hominibus, quos procreasti, minimè consulere; aut certè flagi-tiosorum esse apud te multò maximè probabilem condicionem, nec eorum tibi improbata esse consilia. O L Y M P. Iterum eum tanquam effectorem depreca-tur, ne suum ipse spernat effectum, sibi que sensum persuadet, se permissum esse Diabolo. Hunc enim, & eius comites Dæmones impios fortasse dicit. Provi-dentia autem rationem, cur Diabolo sit in eum data potestas, nondum perdi-scere potuit. Atque ea re, quantum ego existimare possum, tam varios ipse cir-cuitus conficit, conuersionesque verborum, partim quidem, ut malorum im-perret liberationem, partim verò, quòd supplicij causam discupit habere per-spectam.

*Aut sicut mortalis videt, cernis? aut sicut videt homo, adspicis? aut vita tua humana est? aut anni tui viri, quoniam requisisti iniquitates meas? & peccata mea inuestigasti? Sed enim, quia non impie egi. Sed quis est, qui de manu tua eruat?* Non ipse hominum more de rebus iudicis facis, nec tui pauci sunt anni, ut ea, quæ tibi antecesserunt, ignorata esse possint, aut te de iis, quæ gesta sunt, quærere, & exquirere sit necesse, ut intelligas, nullo me scelere impietatis teneri. I V L I A N. & P O L Y C H R. An non tibi præsentia, ac futura cognita sunt? aut nuper tua natura, potestasque orta est, ut ad ea cognoscenda, ob quæ me flagris, & plagis multa-sti, opus sit tibi inquisitione? scilicet non te perinde, ut homines, latere quid-piam potest; quandoquidem non tua similiter, ut eorum perexigua sunt vitæ spacia. Qua demum igitur ratione iniquitatem meam perquiris? peccatum meum inuestigas? in quibus nullam hæere impietatem non ignoras? Hæc eò ab eo dicuntur, ut iustitiæ suæ testem proferat Deum, simulque ab eo petat, ut eiusdem bonitate frui sibi liceat. Nec enim ipse improbitatem hominum imita-ris, ut & eorum, qui peccarunt, memineris; & eorum, quæ peccarunt, seueram rationem exposcas. Paria enim exigunt homines. Tu verò Deus, quæ tua est benignitas, de multis pauca requiris; qui cum intimos mentis recessus & cogi-tationum latebras introspicias, illud item præclare tenes, nullius me prolap-tionis conscientia peruelli. C H R Y S. & O L Y M P. Nec me illud fugit, omnem à me abesse impietatem, quanquam accidere potest, ut, cum ipse aliquid egero, non animaduertam. Quando ergo tu punies, nullius testata poterit esse inno-centia. Tametsi enim videar ego, cum mecum ipse deliberaro, ab impietate ab-horrere; consilium tamen tuum vitare non possum, quamuis nulla me exagiret conscientia. Ergo tuum vincat consilium, atque sententia, cui nostra multò sunt

\* *Credendum est in Catena Card. Cassi. omnia contra nos permittit tentationes, velit esse moderatas, ne maiore tristitia absorbeamur. præter legendum. CHRYS. enim est, ad-Hinc perfpicis, non ideo eum velle iudicium subire, quia præclara eius sint faci-nora, sed quia, quod mihi hæc calamitas commodum pariat, haud video. Ve-reor enim ne obfit potius. Credibile enim est, sic cogitare, ac ratiocinari non-nullos, aut te hominibus, quos procreasti, minimè consulere; aut certè flagi-tiosorum esse apud te multò maximè probabilem condicionem, nec eorum tibi improbata esse consilia. O L Y M P. Iterum eum tanquam effectorem depreca-tur, ne suum ipse spernat effectum, sibi que sensum persuadet, se permissum esse Diabolo. Hunc enim, & eius comites Dæmones impios fortasse dicit. Provi-dentia autem rationem, cur Diabolo sit in eum data potestas, nondum perdi-scere potuit. Atque ea re, quantum ego existimare possum, tam varios ipse cir-cuitus conficit, conuersionesque verborum, partim quidem, ut malorum im-perret liberationem, partim verò, quòd supplicij causam discupit habere per-spectam.*

\* *Qui de ma-nibus tuis cri-piatur, dixit Aug. ita ver-bum incomp-pletum est me-moriter inter-pretatus.*

N

melius

melius cognita. I V L I A N I. Verba ipsa sunt perpendenda diligentius. Nec enim nomen peccati, atque impietatis rem eandem declarat. Nam peccatum tum in Deum, tum in hominem admittitur; impietatis sceleris propriè contra Deum concipitur: Deo enim pius cultus propriè adhibetur, nemoque est homo, qui pietate ac religione coli debeat. Illud ad rem superior conficit oratio, Tu viribus ac potestate vales, & eorum quæ sunt, scientiam tenes, & iustitia tibi adest. Quis igitur tibi possit obfistere? Quæ quidem idcirco beatus Iobus enunciat, ut in tentationibus nihil à nobis aliud agi doceat oportere, quam vt ad Deum confugiamus, eumque, qui benignus est, obtestemur, vt suo ignoscat officio. Quapropter vbi dixit; Sed quis est, qui de manu tua eruat, adiunxit;

Manus tue plasmauerunt me, & fecerunt me. CHRYS. & OLYMP. Licet, inquit, peccatis sim obnoxius, opus nihil minus sum manuum tuarum. Viden, vt opificem suum agnoscat Deum? precibusque ab eo contendat vt suo veniam tribuat officio? D I D Y M I. Inter plasmauiti, & fecisti, est constitutum discrimen. Plasmauit enim est corpus, formatumque è subiecta terra, \* siue è mul-

\* Quamuis in rei Catena habeat Card.

Carass. videtur nihilominus legendum esse vti.

\* Ita etiam apud Aug. Mutans quodque dici potest.

\* Recordare, quod iactum

\* Sic Aug. & dicitur.

\* Insuper. cõ. fuisisti, conuenisti.

\* Philon. videri hoc loco pro conceptu quod crediderim videri.

\* αυδατος.

hierefacta est autem anima, non ex aliqua aëte subiecta materia: ipsa enim, vt expers corporis est, sic & diuisionis.

Postea \* mutatus percussisti me. Sed Aquila & Theodotio, In circuitu \* demeristi me. OLYMP. Postquam me, inquit, fecisti, & in bonorum affluentia collocasti, ad arumnas & verbera rationes meæ demigrarunt. Totum verò, quod dicitur est huiusmodi, Te vno excepto, qui percussisti, nullus præterea alius hisce me malis liberavit. CHRYS. Consequutionis ordine obseruato, cum eundem officij, & prouidentia principem ac dominum esse non nesciat, ad supplicem orationem conuertitur, precaturque, vt humilitatem & breuitatem recordari velit humanæ naturæ, quam ipsam & benignitate adductus, principio contulit, & iratus morte multauit.

Recordare, quod iactum \* fluxeris me, in terram autem meorsus redaci. CHRYS. Quamuis tuo vrens imperio, me vitæ acerbissimis implicaris, nihilominus meq; imbecillitatis tibi veniat in mentem, itemque meæ ex argilla concretæ naturæ, nimirum quod spectat ad corpus. I V L I A N I. Ex his Dei magnanimitatem facit insignem. Tanta es, inquit, benignitatis, tantaque sapientia, vt etiam fragili materia effeceris animal, atque huic intelligentiam, rationemque concesseris.

An non sicut lac mulsisti me? coagulasti autem me, sicut caseum? polle autem & carne me induisti? ossibus autem & nervis \* inuexuisti me? Vitam & misericordiam posuisti iuxta me? Visitatio autem tua custoduit spiritum meum? CHRYS. Semen, ex quo gignitur animal, tanquam lac dicitur exprimi. Et quemadmodum expressam lac migrat in caseum, ita quod instillatum & coactum est semen, ea euadit natura, cuius prima constitutio iachoarus est partus. Nam, quod in vreri sulcos sparsum est semen, vbi quasi caseus congelarit, coactumque fuerit, fit \* conceptus; qui deinceps formatur, & sicut scriptura docet, effigiem, characteremque induit, & quæ natura erat humida, coagmentatur; & quod iactum fuit in vterum, in pellem, carnes, ossa, nervosque distribuitur. Et hæc quidem ipsa solitaria; verum simulatque præfens adfuerit anima, vitali cientur motione: vbi illa abscesserit, otiosa deserantur, atque obrorpescent. Nec vitam mihi, inquit, tantummodo impartitus es, quæ officij certa est significatio; sed misericordiam etiam tribuisti, quæ prouidentiam hanc obsecratur. Et quidem in omni vita tua mihi perstrui licuit prouidentia. Id enim est, Et visitatio tua custoduit spiritum meum: id est, Postquam natus sum, à tua prouidentia reliquam sum vitam adeptus. Denique tam hæc quam illa superiora hinc pertinet, vt \* conditionis corporis tum via, tum harmonia perspicua, & illustri fiat vniuersa. OLYMP. Sicut lac me, inquit, mulsisti, seu ob tenuissimam portionem sumptam è terra, se a potius ob spermaticam rationem. Coagulasti autem me; id est, tanquam caseum me coagmentasti. Id quod vel ad primigeniæ conformationis coagmentationem referri potest, vel etiam ad eam, quæ in vtero fit, concretionem. Illud verò, Inuexuisti me nervis, valet, Copulasti. Illa autem verbis, Vitam & misericordiam

mi misericordiam posuisti iuxta me, & visitatio tua custoduit spiritum meum; hanc sententiam adferunt. Tu solius benignitate ac misericordia, cum nusquam, nihilque esse mus, ipsi vt esse mus, ac viuere mus, effecisti: tuaque erga nos prouidentia nostram conditam tuetur naturam. P O L Y C H R. Hoc ei fortasse accidit admirabile, quod in tanto humore fluitans, non intra vterum infans extinguitur. Id autem se contingat, tua, inquit, erga nos perficit beneuolentia. Tu enim imperio tuo natura & ortui præes. Te enim haud miserante, in vtero infans nunquam videret. Id autem semper nititur persuadere, Dei nos mutere esse procreatos postea morti adidicatos, nec ea re tamen prorsus esse deletos homines, verum successione perpetuitate immortalitatem assequutos. Summæ item erga nos, atque quemque diuina esse prouidentia argumentum, quod è rudis, contemptaque materia, cuiusmodi humanum est semen, ijs, vt sint, concessum est; effectumque est diuinitus, ne intra maternam aluum interirent, sed potius vt ex eodem semine tu, Deus, ossa coagmentares, atque firmares, medullam teneram redderes, nervos contenderes, venas inflares, sanguinem in illas infunderes, carnes emollires, pelle circumduceres, & quasi quoddam indumentum circumdare. Ergo, qui tantam erga me humanitatem declarasti, tantam prouidentiam, tantam sapientiam, nunc pro nihilo me putabis?

Hæc habens in me ipso, scio, quia omnia potes, nihil autem tibi est impossibile. OLYMP. Hæc mihi sunt, inquit, certa decreta, posse te id, quod nunquam fuit, facere vt sis scire item & posse fluxam, lætæamque naturam in humanam conuertere; esseque te misericordem, vitæque auctorem, nostræque curare diligenter; potestis, opificem te esse, sapientem rectorem, & iudicem. Quæ quidem his verbis, vita, misericordia, visitatio significatur. Nec illud dubito facile tibi esse hisce doloribus liberare officium tuum. Viden, quam religiosè effectoris mentionem faciat? & procreationis gratiam profiteatur? nostrisque rebus consulentem prouidentiam agnoscat? Quæ sanè hominis sunt reapse pietatem colentis, vehementerque grati, atque eius demum religionis, quæ beatorum Iobum cumpianis decet.

Se enim peccauero, me \* obseruas: ab iniquitate autem non me innocentem fecisti. OLYMP. Tuam, inquit, decet humanitatem, vt aliquam veniam tuo tribuas officio: neque velis pro tua rerum omnium scientia, eundem adhibere meas, & peccata acri studio obseruare. Quæ quidem Sanctus hic iterat, humanæ naturæ persona suscepta. Nil te, inquit, latet Domine. Verum & nostra, inquit, \* obseruas opera. Id enim est, quod dicitur. Ac licet non subita in eum, qui peccauit, animaduersione vtare, haud eum propterea diuinitis infontem. P O L Y C H R. Sed neque mihi præsto fuit aqua tua clementia, quandoquidem tam seuerè, tamque subtiliter in mea peccata inquisieris, ac rerum omnium à me pœnas repetueris. DIDYMI. Iure optimo hæc loquitur. Nam, cum vniuersatis Deum eundem effectorem, prouidentemque rectorem esse intelligeret, certo ordine de illius differit æquanimitate. Id enim scit, quod beatus quoque Dauid docuit, illum non irateci per singulos dies. Custodit autem, seruatque peccantem, non quasi velit, ipsum peccare; nec enim vult mortem peccatoris, sed penitentiam. Illud verò, Non me innocentem fecisti; dixerunt alij, Non me tanquam infontem abfoluas; non me purgabis.

Si enim impius fuero, hui mihi: si autem seruo iustus, non possum \* caput erigere. OLYMP. Aquila autem, Et iustificatus non tollam caput. Sententia autem est huiusmodi. Siue, inquit, impius fuero, hoc mihi videlicet summo erit malus; siue me esse iustum dicere ausus fuero, nulla ex ea re ad me perueniet utilitas. Sed tam enim ob mala, morbosque meos astuo, animique pendeo. Nam, tametsi nullus mihi rei sum ipse conficius, me nihilominus calamitatum refellit atrocitas, quæ me nec abnuere, nec oculos sinit erigere. DIDYMI. Fortasse tale quidpiam dicit, si te consulto peccauero, heu mihi; siue tanquam ex Adæ prauaricatione, & ex debito ad nos successione deriuato, neque sic mihi tollendi oculos erit potestas, perinde quasi ab omni sim labe integer. Nam peccata quædam ex animi

\* Custodis me, August.

\* iniquitates. id est, custodia.

\* inuolui me. Oculos tollere. Aug. re. spiritum: fr. esse, in specie.

nostri electione existunt, quae supplicium comitatur; partim e parentibus trahuntur, quibus purgatio debetur.

\* Ita etiam Aug. habet.

\* Plenus enim sum opprobrio; capior autem sicut leo ad occisionem. O L Y M P. Illud unum, inquit, noui, meum diffusum esse de decus, meque tanquam leonem captari ad necem. Ita undique suppliciorum telis configor. Videtur autem se ipse leoni comparasse ob prioris status felicitatem, atque opulentiam: praecipuum enim, & imperiosum animal est leo. P O L Y C H R. Apertius Hebraeus, Si robustus fuero, sicut leo, opprimis me. Ego, inquit, qui tauri, leonisque robur praeme ferebam, cum illustri gloria, atque opibus abundarem, ita me nunc quasi in retia indui, ut solutionem nullam malorum reperiam.

\* Commutatus dicit Aug. Sed, Commutatus, intellectus Polychr. quare in expositione Aquila a sensu Polychronij, Commercies, dicendum erit in 1576. Ios. \* dicitur, perdis, exercitias, auertis.

Rursus autem \* commutatus grauius me differuias. Aquila autem, & Theodotio, Et conuersus misericordiam edidisti in me. Veritas autem huius hanc vis est, Robur & potestatem leonis antea obrinebam; nunc praeter omnium opinionem facta conuersione, commutata est omnis illa felicitas; fortitudo, & gloria occidit. Nam, postquam breui spatio illam prioris status mei iucunditatem circumscriptisti, in summam me arumnam coniecisti, a superiore felicitate ad ignominiam demigrantem, & ab acerbis ad acerbiora traductum.

Et in istas in me suspicium meum. O L Y M P. Haud quidquam ipsae calamitates remittuntur, sed multo vehementius corroborantur, & malum usque innovatur. Ac si diceret, Variis sum circumfusis arumnis, nec solum eorum sum similis, qui priores excruciaci sunt malis, verum etiam eorum imitator, qui iterum ac saepius diuersa supplicia poenasque subierunt. P O L Y C H R. Ad quaestionem me assidue abripis peccatorum meorum; partim quidem plagis & verberibus nunquam intermittentibus adhibitis, partim vero mearum calamitatum appositis accusatoribus, impietatem mihi exprobrantibus, poenasque a me repetentibus.

Ira autem magna in me est usus. Id est, graui me poena multasti. O L Y M P. Ira enim ipsum supplicium dicit, ei vehementer illatum, vitamque magnopere laboriosam: nec enim hic ira pro perturbatione sumitur. Et hic rursus molestiarum, arumnarumque indicat magnitudinem;

\* πειρασθήσεται & agmina malorum habentium, aduersariis.

Induxisti autem super me \* tentationes. P O L Y C H R. Id est, cunctis me ad malorum perpellionem dedisti. O L Y M P. Pirateria enim appellat mala ipsa, quae in eum expeditionem, irruptionemque fecerunt. Hanc vero precatorem, religiosamque mentem habent cum iusta quadam conuersione, fietique coniunctam.

Quare igitur de ventre eduxisti me? & non mortuus sum: oculus autem me non uideret, & factus essem, quasi non fuisset. Quare autem de ventre ad monumentum non translatus sum? O L Y M P. Hanc eadem post dixit Ecclesiastes, cum praeviuo mortuum praedicauit; & eum, qui non fuit, praetulit utrique. Verum enim in hanc doloribus confertam incidimus vitam, quia coram Deo minime perseuerauimus, neque illius iusta seruauimus. Beatus autem Iob non propter dolores solum mortem optabat, sed multo maxime, quia temporis ei longinquitas, arumnaeque diuturnitas suspicionem mouebat, ne plane esset a Deo derelictus. Nam in prima sua oratione item paria usurpauit, quae ipsa hoc loco inculcat, ut planum faciat, omni se reprehensione & blasphemia vacare, cum a morte cruciamentorum cupit liberationem impetrare. P O L Y C H R. Dicit igitur, Si in se huiusmodi mala debebant incurere, rectius sibi futurum, aut nunquam vitae primordia attigisse, aut in lucem editum continuo ad sepulchrum delatum fuisse. Licet enim, inquit, recte factorum mercedem nullam tulisset; nihilominus tantis cruciatibus minime dilaniarer. D I D Y M I. Ac uide, quemadmodum tentationum, quae in ipsum incubuerunt, usurpara memoria, ad principem malorum omnium causam se referat, id est, ad praeruaricationem, & eam, quae ex corruptione est, natiuitatem. Neque is aliquando est de prima hominis institutione miserè conquestus. Cur autem sic vitae huius corruptionem expertus, in utero ac ventre causam consistere putat. Etenim propter praeruaricationem nos ipsi arumnae

arumnae huius vitae conciliati sumus.

An non exiguum est tempus vitae meae? O L Y M P. Rursus vitae breuitatem ad supplicationem adfert, cupitque ex ipsorum cruciatuum remissione sibi esse exploratum, iam se Deo uti placato. Cum enim nondum tentationum causas teneret, merito floccifacit, & perturbatur. Quis enim, inquit, ignorat, homines, quibus exiguum est vitae curriculum circumscriptum, acerbam sibi puram, & miseria afflicentem?

Sine me respirare paululum, antequam abeam, unde non reuertar. Precationis haec species habent. Haud pusillae sunt ipsae molestiae; neque is dolorum sensum amittit. Neque enim vir fortis fuisset, si non sensisset. Docetque diuina potentia ac nauitiam se esse peressum. Quare plenam grati animi huiusmodi adhibet supplicationem, Molestiarum & dolorum mihi praebere inducias, \* homini uide licet, cuius perexiguum est vitae spatium, cui ad perpetuum est migrandum in teritum hoc enim declarat, Antequam abeam, unde non reuertar. Dogma enim tra sit praclarissimum, qui semel ex hac uita migravit, non amplius ad illam ipsam ei futurum redicam: quem tamen fictis fabulis prodiderunt ij, qui monstruolas quidam animarum in corpora migrationes finxerunt. Deinceps inferni mala commemorat, ut intelligamus, e quibus nos liberator Christus eriperit, cum iis, qui erant in uinctis, dixit, Egredimini; & iis, qui erant in tenebris, Detegimini. Et adiungit;

In terris tenebrarum & caliginosum, in terram tenebrarum sompitiarum. P O L Y C H R. Symmachus autem, Operam moris Hebraeus uero. In terram tenebricosam supra tenebras. Vbi nulla est, inquit, remissio, sed malum nullum habens exitum. Et ad mortis quidem grauitatem declarandam, comparatione est uisus. Hic enim cum quispiam fuerit in noctem coniectus, diei aduentu liberationem expectat; ei uero, qui illo abijt, haud est integrum, amplius in vitam redire. Ita in collatione perseuerans addit;

Vbi non est splendor, neque uidere uitam mortalium. Quod est pro illo, Vbi non est solis ordo, nullus siderum caeterorum, ubi nullum licet rerum humanarum statum latueri, nullam inquam praecleara lege atque ordine institutam politiam. O L Y M P. Hanc loquitur ueritas, ne forte, si cum cruciatibus & tormentis uitam dimiserit, a diuino aspectu sit ablegandus omnino, atque cum impiis in inferno numerandus; qui quidem, ut Saluator inquit, tenebras habitant sempiternas. Cum enim sit Deus suapte naturalis lux, qui longius ab eius facie extrudantur, nimirum versantur in tenebris.

Octauum capitulum Protheoria.

Postquam longiorem Iobis disputationem pertexuit, Sopharus acius praeratur. Ac principio uerborum copiam, qua usus est Socrates, infectatur. Deinde eum accusat, quod se ipsum culpa ac reprehensione vacare confirmarit. Cum uero eius mentis ignarus esset Sopharus, qua a Deo Iobis iudicari uolebat, idcirco ait, Utinam tibi Deus ius responderet. Illius enim sapientia, potestasque faceret, ut intelligeres, cum te poena coeruit, eum pro dignitate tibi reposuisse. Tum, Dei potestate, hominisque humilitate ostensa, Iobo suadet, ut animum ad precatorem conuertat, eumque praeritorum criminum poeniteat; sic enim fieri posse, ut a se placato Deo, & praesentibus malis liberetur, & superiorem reuocet felicitatem.

Sapienter autem Sopharus Minus dicit, Qui multa loquitur, uicissim audiet. Symmachus autem, Nunquid multiloquus refutari non poterit? O L Y M P. Similiter, ut alij, atque adeo uementius Sopharus in Iobum inuehitur. Quae enim esset animi constitutio, qua erga Deum iustus utebatur, cum loquebatur, peraeque ignorabant. Ita, cum Dei se causas subuenire arbitrarentur, scilicet diuina, in quam incurrerunt, eos latuit offensio. P O L Y C H R. Sed quoniam Sopharus adfert? Verborum, inquit, turba credis te obtinuisse uictoriam: quasi

\* Sed etiam audi August. in annot. in Iob. Vult autem requiescere antequam eat in poenas aeternas; ad hoc utiq; ut non eat: quemadmodum si dicamus alicui, Corrige te, antequam damneris: non enim, cum se correxerit, damnabitur.

verò nobis orationis tue proficiantiam admirantibus, hic silentio sedendum sit. Sic igitur habeto, me ad respondendum, teamque orationem, resellendam accedens. Tu verò audi. Nam, qui linguam habet ad loquendum, hic quoque ad presens est aures ad audiendum.

*Aut etiam eloquens putat se iustum esse?* OLYMP. Haud verborum copia frugi hominis estimatur ingenium; neque idcirco quisquam iustus, quia cum suauitate quadam eius, & verborum concinnitate fundat orationem. Nam acres etiam, volubilesque sermones confutari possunt. POLYCHR. At ipse, ut apparet, verborum abundantia existimas ad sortem ac numerum te \* aspirare iustorum. Sed tamen scito, nil te vico forti & constanti dignum, nihil quod infirmum non possit, attulisse. Nec enim, quia dicendo vales, continuo iustus fueris.

*Benedictus filius mulieris abhominatus.* OLYMP. Is enim, qui cito descendit, id boni consequitur, quòd ea, quæ sunt acerba in vita, partim non videt, partim non experitur, nec etiam multa peccat. Hoc verò dicit, aut Iobis os obtinens, iustitiam sibi laudem adfiscens, aut communem vitam miseratus, ut quæ tor harum calamitates ac dolores. Quare eum prædicat beatum, qui non diu in ea permanferit.

*Ne misis sis in verbis: non enim est, qui tibi respondeat.* Non, quia ipse aut non possumus, aut nolumus tibi contraria oratione repugnare, idcirco ad verborum redundantiam te debes referre, tuasque laudes imponere, & contra, quam decet, esse ferre. Nec enim magis es nobis laudandus quam accutandus; præsertim cum ista ratione tuas laudes vsurparis, dixerisque sine causa & frustra te verbis multatum esse. Quòd ipsum dicit videlicet, quia nemo est, qui te robore suffundat. OLYMP. Quoniam Iobus Deum sibi iudicem in causa depoposcerat, hæc nunc fortasse ait Sopharus, Ne stultè nugares: nec enim Deum habebis, qui tibi respondeat.

*Nec enim dicas, quia mundus sum operibus, & irreprehensibilis coram eo.* CHRYS. Atqui illiciple dixit, In veritate scio, quia non est mortalis mundus coram Domino. Viden quemadmodum ei obiectent repugnantia? POLYCHR. Omnia est, inquit, accusacione perquam dignum, & velle tuas actiones cum Dei rationibus conferre, & tibi ipsi summæ iustitiæ testimonium dare. Sanè certè nisi peccatis esses obnoxius, istas vitales æumnas. Hæc verò illi loquuntur, quòd existimant, huius viri innocentiam confessionem, diuinæ providentiæ esse refutationem.

*Sed quomodo Deus loquetur ad te? & aperiet labia sua tecum? Deinde annuntiabit tibi virtutem sapientiæ. Quia duplex erit ei, qui est, sicut tu. Et tunc cognosces, quia euenerunt tibi à Domino signa ipsa, quæ peccasti.* OLYMP. & POLYCHR. Vtinam fieri, inquit, posset, ut tecum Deus haberet sermones, arcanasque sapientiæ suæ rationes tibi verbis demonstraret: id enim valet, Et annuntiabit tibi. Illius enim sapientia, & iustitiæ excellentia perspecta, haud amplius illud dicere auderes, Quia mundus sum & irreprehensibilis. Immo verò intelligeres paria Deum tibi rependisse, cum est tua peccata dignis suppliciis persequutus. Illa autem verba, Quia duplex est ei, qui est, sicut tu, hanc habent vim, Ei, qui quemadmodum tu, suam iactat sapientiam, atque iustitiam, multis Deus partibus antecellit. Ergo, si nobis sapientior & iustior is est, sapienter ac iuste te poena affecit. Id nimirum cognosceres, si tecum Dominus loqueretur, teque pro sua sapientia erudiret. Tunc enim, si eius sapientia doctus, vel in istis ipsis acerbioribus intelligeres, non vlciscendo, sed animæ medendo has tibi calamitates Deum importasse, paulò fuisses profectò modestior. Cumque inter te & Deum, quantum inter sit, vidisses, teque maiora, quam naturæ tuæ ferat condicio, ausum esse, quando Dominum ipsum iudicem delegisti, nimirum cum is sis, qui eorum, quæ ab eo geruntur, rationes nequeas habere perceptas, supercilium contraxisses, diuinæque sapientiæ & potestatis magnitudine animaduersa, dignas te tuis flagitiis suscepisse poenas faterere.

*An vestigium Domini inuenies? an ad extremam peruenisti, quæ fecit Omnipotens?*  
OLYMP

OLYMP. Haud ipse, quæ Dei sunt, consequi potes. Illius providentiæ rationes & viæ inueniri non possunt; nec consiliozum, effectorumque eius fines assequi possumus. POLYCHR. Minimè verò dixerim, principium ac finem, quem is propositum habet, aliquando tibi fore reperta. Extrema enim dicit ipsa euenta, quorum ne dixeris posse te repetire principium, exitum posse. Id enim, quòd ad Deum pertinet, cum sit sempiternum, nec vllis temporis spatii circumfictum, intelligentia nequit comprehendi.

*Sublime enim est caelum: & quid scias? profundiora autem quæ sunt in inferis: quid cognouisti? aut longiora mensura terræ, aut latitudine maris?* OLYMP. & POLYCHR. Qui cæli, inquit, quanta sit sublimitas, assequi potest? Id enim significat, Et quid scias, id est, inuenire non poteris: nec item illa reperies, quæ subter infernum latent. Quid dico ea, quæ supra caelum sublata sunt, & infra terram depressa? Vtrum quanta sit maris latitudo, quantæque sit terræ mensura, aut quemadmodum hæc sese habeat, & quo innitatur subfello, nosti? Profectò nullam harum rerum scientiam insolenter tibi ipse arrogaueris. Si igitur, quæ cernuntur, & quæ sunt à Deo, nostram præteruolant intelligentiam, & quamnam sit terræ, marisque dimensio, explicari non potest; an non summæ fuerit audaciæ, in Deum ipsum linguam porrigere? DIDYMI. Huc ab eo isthæc omnia referuntur, ut intelligatur certum quandam esse modum humanæ scientiæ, nec eam posse ad Dei iudicia accedere. En, inquit, caelum adest, & inferni profunditas, & terræ longitudo, & maris latitudo, De his dic aliquid, si potes. Illud etiam tactus fortasse indicat, quamuis de cælo, de terra, de mari dicere aliquis conatus sit: ea nihilominus, quæ vltra sunt, ignoraturum.

*Si autem euerterit omnia, quis dicet ei, Quid fecisti?* Vult ostendere incomprehensam eius esse naturam, nec comprehensibilem esse rationem, quemadmodum rebus singulis provideat. Quòd si cuncta delere voluerit, quis eius viribus, tantæque potestati repugnabit? Et id quidem rectè ab eo dicitur, & ei, quòd propositum est, conuenienter. Voluntati enim Dei quis resistet? Huius simile est illud, Nunquid dicit fragmentum ei, qui finxit se, Quid me fecisti sic? Vbi verò dixit, Si euerterit omnia, quis dicet &c. ne id quoque dicere videretur, Etiam te ipsum sua potestate vsus, multauit, addit protinus;

*Ipsè enim nouit opera iniquorum. Videns autem absurda, non contemnet.* Hæc, inquit, facit, postquam vniuscuiusque actiones, & eorum, quæ geruntur, causam perspexit. Nec verò aut rerum humanarum disquisitionem prætermittit, aut fontem impunitum dimittit. Ergo cum potens, sapiens, & iustus is sit, te peccantem nequaquam præterit, sed puniit. Certumque est Iobis causa Sopharum dixisse, Si euerterit. Cumque docet Deum vitari non posse, adiunxit, hominum facta ab eo videri, atque errata omnia sperni.

*Et non autem frustra natat verbum; mortalis autem natus de muliere est sicut asinus solitarius.* DIDYMI. Diuinæ notitiæ firmitatem, constantemque veritatem, cum hominum conatibus ac notionibus comparat, illosque stultè natate confirmat, eum nequeant vniuersam Dei cognitionem ratiocinatione complecti. Asinum autem solitarium produxit ad miram hominum tarditatem declarandam, dum ij ad diuinorum iudiciorum notitiam nituntur. In quo hyperbolica vsus est oratione. OLYMP. & POLYCHR. Aut certè ab asino solitario simile duxit, propterea quòd intractatum est illud animal, cuiusmodi Iobum esse inuit in diuinis rationibus diiudicandis. Tantis est enim, talisque Deus, & quæ ad illum pertinent, sunt huiusmodi, ut vel cogitatio illa ipsa reformidet. Homines autem frustra ac temerè nugantur, qui si ad diuinam sapientiam atque præstantiam fuerint aduixi, humili naturæ ipsorum conditione haud sicut asino solitudinis meliores. In diuinis porrò stultè ac temerè hallucinantur, cum de Dei natura alienas habent opiniones, nihilque à pecoribus discrepant; quæ præter ea solam, quæ ante pedes versantur, contuentur, nihil præterea asinumque imitantur solitarium, qui nullius certæ viæ exitum tenet, quòd loca non peruia obambulat, nec potest felicitudinis terminum inuenire; quemadmodum nec maris potest,

potest, is qui narat. Vt si diceret, Non tanquam rationis compotes, ex iis, quæ cernuntur, sapientiam, potestatemque Dei cognoscunt; sed peccudum more in hisce rebus volutantur, nec quidquam, quod ea natura, in qua insidet ratio, dignum sit, agitant animo.

*Si enim tu mundum possidisti cor tuum, tolles manus tuas ad eum; si iniquum aliquid est in manibus tuis, longe sit illud à te: iniustitia autem in domicilio tuo non habiter.* OLYMPIO. Synmachus aut pro, *Tolle*, dixit, Explicabis ad eum palmas tuas. Nostrorum temporum videlicet solet esse ratio commutata. Et sententia quidem est huiusmodi; Si quid mihi credis, inquit, optima suadenti, cor tuum purga, & que nefarie gessisti, repudias, mente ad Deum accede integra, & passis in precatione manibus Deum obsecras: finem peccandi facito: nullo te post hac flagitio, nullæque iniuria obstringito. Quod si contigerit te peccati primordia attingisse, saltem vitium ipsum in tua vita ne hæreat. Si enim hac ratione placatum est: ceteris Deum, atque à labe integer in omni vita videbere, nimirum hæc illæ (quæ deinceps dicturus est) haud desiderabis; denique ab hoc ærumnoso, miseroque statu ad priorem illum florentem atque beatum remigrabis.

*Sic enim respiciet facies tua, sicut aqua munda.* Similitudine meliorem hanc rerum illius conuersionem illustrat. Quemadmodum, inquit, qui corporis sordes eluunt, superioris fastidij vestigium nullum retinent; sic ipse, morum ratione immutata, prouidentia Dei in posterum bonis omnibus circumfluit; sic prorsus, ut præsentis ærumnæ nullum extet monumentum. Illud igitur, *Sicut aqua munda*, aut hanc habet interpretationem, Tanquam esis à nitidissima aqua perpuratus, sic conspicuus, & cuiusuis maculæ expers eris: aut hoc etiam declarat, Quemadmodum in aqua nitosi pristino restituta nequidquam concretionis apparet, ita, postquam florentem rerum statum recuperaris, nihil turbidi, nihil molesti remanebit. Illud autem, *Resplendet facies tua*, similiter dictum est, uti dixisset, Planè alius videberis, non secus, quam ipsa aqua, quæ commota, & turbida, postquam defederit, non eadem videtur. Mundum igitur dupliciter dicitur: nam & quod munditiam adfert cæteris rebus, & quod eam sibi habet, hoc appellatur nomine. Itemque castum tum id dicitur, quod castimoniam habet, tum id quod castimoniam aliis impartitur. Ita timor Domini dicitur castus, id est, castum efficiens. Ergo hoc item loco aqua vocatur munda, siue quæ res purgat contaminatas, siue quæ perspicua est, & carens sordibus.

*Exues autem sordes, & non timebis.* POLYCHR. Quoniam Iobus dixerat, Satis in sordibus tinxisti me. Ad hoc nunc respondens Sopharus, Istas, inquit, sordes, istam, inquam, ærumnosam condicionem abiicies; nec quidquam eiusmodi in posterum formidabis.

*Et laboris obliuisceris; sicut fluctus, qui præterit, & non adijciet.* OLYMP. Verùm nec vllum tibi laborum vestigium extabit, miseriarum nulla memoria, non aliter ac fluctus, qui ubi desit, nullum vestigium facit. Viues vitam reliquam exploratam à metu, omnibus pacatis malis. Perinde enim post infortunium sælicitas, ut post tempestatem iucunda solet esse tranquillitas.

*Oratio autem tua sicut Lucifer.* Id est, pura, efficax, animum tuum illustrans, malorum tenebras pellens, illustris, & claræ videlicet vitæ nuncia.

*De meridie autem erit tibi vita.* Aut hoc dicit, fore, ut illius vita meridiam solis lucem imiteretur, aut certè meridiæ nomen transfert ad ipsam calamitatem. Est enim meridies lumen solis exurens. Ut igitur doceat, illi in calamitate versanti diuinam opem adfuturam, meridiæ, id est, vehementioris ætus mentionem facit, dixitque eius præsentis calamitati Dei opem orituram. Vel etiã, quia meridiæ, cum sol nostro capiti imminet, nulla nec aduersa nobis, nec auersa gignitur umbra, dicit, Quandoquidem nunc res tuæ in media sunt libra, atque in nouaculæ acie constitutæ, ex hoc ipso tuo præcipiti statu vita tua splendescet, si modo te ad frugem bonam receperis.

*Confidens etiam eris, quia est tibi spes.* Necnon posthac, inquit, confides, ut cui spes

spes erit in Deo collocata, qui tibi opitulabitur. Aquila, In spe dormies, extulit, ut quietem à metu vacuam significaret.

*Ex solitudine autem & cura iterum apparebit tibi pax.* Curas, quæ nunc angorem & dolorem acerbum habent adiunctum; genus quoddam vitæ tranquillum, pacatumque consequetur. Nam ea, quæ Dei causa suscipitur cura, omni anxietate atque sollicitudine vacat. De rebus igitur ad pietatem pertinentibus laborandum est.

*Quiesces autem, & non erit, qui tibi bellum faciat.* Hæc, inquit, si feceris, pietatisque studiosus à peccando cessaueris, nec per iniuriam rem familiarem amplificaris, nimirum in maxima rerum abundantia hostium irruptionem non amplius formidabis: immò verò pace tanta frueris, ut reliquum vitæ tempus nullo sit vnquam bello laceflendum.

*Mutati autem multi te obsecrabit; salus autem ipsos deficiet, spes enim eorum perditio: oculi autem impiorum liquefient.* Qui te hoc tempore ob casus tuos aduersos contemnunt, & acris insectantur, deinde, cum eos diuina salus deseruerit, nec vlla eis spes reliqua fuerit, te obtestabuntur. Tunc perfectò eorum oculi in tuæ felicitatis adspæctu inuidia contabescunt. Ex his verbis intelligimus, cæteris sepositis malis, quasi nutu indicat Sopharus: de quibus pronunciat, fore, ut occidant, spe mala deiecti, tuasque res intuentes secundas, extabescant. Aut ex Theodotione, Oculi eorum deficient, id est, nimio obruti, & noui iterum infortunij expectatione, futuram felicitatem dum ferre non poterunt tuâ, oblanguescent. Quæ quidem si cuiquam alij, qui suorum scelerum pœnas sustineret, dicerentur, tanè commodè dicerentur; neque Iobi amicorum sermones repudiandi essent, si cum quodam alio, & ea, qua opus est, adhibita distinctione, haberentur. Nunc verò Iustus dolore angitur præcipuo, quod, cum nullius culpæ conscientia premarur, nihilominus, quasi impius esset, sic ad pœnitendum suasionibus inflammetur.

## NONI CAP. PROTHEORIA.

INTENTA, vehementiq; Sopharus vsus erat oratione, diuinæque sapientia & potestate dilaudata, Iusti animi partim metu perturbare, partim illi persuadere conatus erat, quod nihil pateretur iniusti. Nunc Iobus Sopharum ridet, quod fidem iis rebus adiungere adortus sit, quæ dubitari à quopiam non possunt. Post, Dei sapientiam & vim hic ipse magnifica oratione prosequitur, docetque se præ illis in rebus diuinis sapere. Amicos item accusat, quod sermones ad sanandum idoneos inuenire nequiverunt; se verò sua omnia in Deo condita habere libenter confirmat; seque iusto illius iudicio magnopere confidere. Sed amicos etiam obiurgat, quod contra ius & fas Dei causam receperint: nam, licet, inquit, milies pro Deo dicere videamini, nihilominus dolo excogitatum, & iniustam adfertis orationem; quam ipsam Deus, qui veri est amans, nullo pacto comprobabit. Contrà mihi spes haud obscura recuperandæ salutis ostenditur, propterea quod simplici, & incorrupta apud Deum vtor oratione. Noui, inquit, quod iustus apud Deum apparebo, id quod iustum est, verè loquens. Deinde obtestatur Deum, & veniam ab eo deprecatur, si quid fortè peccarit; naturæque imbecillitatem

tatem ad supplicationem adfert, dum nullum purum esse hominem affirmat, neque eum, cuius vna est æta dies in terris. Adhæc plantarum collatione docet, quemadmodum. . . . . \* Precibusque à Deo contendit, vt tanquam opifex suo veniam tribuat opificio; nec velit in suarum rerum disquisitione, atque reprehensione summo iure vri. Sed nimirum dignam illud efficit admirationem, quòd in tantis arumais, & cruciatibus non fuerit stupore percussus; quòd animum non demiserit; quòd eorum, quæ dicebantur ab amicis, nil eum planè fugerit; quòd ad singula, singula quoque dogmata responderit; quòd Deo dignas notitias comprehenderit; quòd in mediis tormentis, perinde quasi à corporis compagibus abstractus, solum spiritum induisset, philosophetur.

CAPVT XII. \* Tota in Protheoria desideratur collatio. \* τὰ λόγια τῆς προφητείας.

Solym p. Vos solos, inquit, esse homines existimatis, qui res Dei mirificas cognoscatis? & ratiocinantem animi partem perfectam reuinceritis? nec quemquam creditis aut ante vos fuisse, aut post futurum esse sapientem? sed in vobis omnem desituram sapientiam? nec eius quenquam fore participem, vobis vnis exceptis? quasi verò vobiscum illa sit exitum habitura? neque ad alium prætereà migratura: tanquam si à vobis illius absolutioni cancelli circumdati essent? Quæ cum dicit, non in eos fertur incitator, sed iis tantum de rebus indignatur, quæ contra veritatem ab amicis disputabantur. Quocirca addit:

Et mihi cor est, sicut vobis. Eadem egomet, quæ vos, sum natura præditus, neque isthæc mihi sunt ignorata, cum similiter vt vos, homo sim, neque excors omnino. Nempe hoc dicit, De sapientia vobis haud concedo. Perinde, vt vos, sapio; neque cor perdidit, vt de iis dici solet, qui rectam & consentaneam animi functionem abiecerunt. Verùm ipse malorum atrocitate percussus, ludibrio ac despectui sum cæteris.

Iustus enim & irreprehensibilis factus est in deuisionem. Polychr. Id porrò est rerum omnium acerbissimum, me, cuius est acta vita hor. esse, qui nullam cuiquam alicui ansam dedi accusandi, vestrum nunc esse ludibrium. Olym p. Videtur ille quidem de se tantum dicere, sed tamen sermonem exponit vniuersè. Nam, qui corporis sunt illecebris delinisti, eorum, qui iustitia: & spiritui nauant operam, stultam arbitrantur esse condicionem; de quibus dictum est, Animalis homo non percipiet, quæ sunt spiritus. Chr. y. s. Hoc loco iustum se ipse dicit, haud perfectæ virtutis sibi arrogans testimonium; sed id tantum confirmans, neminem à se vnquam læsum esse, vt iam nullus ei quidquam possit obiicere. Quòd si ego, qui neminem læsi, talia patior, quantò magis facinorosus patiatur? Dym i. Illud autem obserua, cum minora Iobus dicit, ad seipsum illa transferre; nam, quæ eius est modestia, gloriosam vitat ostentationem: quando verò maiora loquitur, tum ad genus vniuersum ab eo traduci orationem. Id quod hic etiam facit: ferme enim hæc eius est oratio, Ne irrideantur iusti; hæctenus enim patiuntur, vt illos ipsos pari Deus voluerit.

Ad tempus enim constitutum preparatum erat, vt caderet sub alios, & domus eius ab iniquis demastarentur. Olym p. Hinc illi, quorum animos fati imbuit opinio, sic suam sententiam firmant. Ecce, inquit, vt Scriptura dicit, Iobo fatale fuisse, vt malis illis perfunderetur, esseque à Deo constitutum ac designatum, vt iis videretur inferior, qui fuerant antea egentiores. Sed nimirum istud Scripturæ minimè dicit: auertat id Deus; neque enim fatali mala nostra parent necessitati, siue illa naturalia sint, siue voluntaria, siue tentantia; prima enim naturæ infirmitati adscribenda sunt, media libero arbitrio, postrema Dei prouidentia, qui ad tempus quoddam, vt intententur nobis illa, permittit; idque vt bono sint nobis. Atque is ipse, qui moderatè nostra gubernat, prouidentia: suæ rationibus intelligit, quatenus nobis fructuosa erit malorum perperio. Tentari autem nos ille sine modo non finet.

Verum tamen malus, qui est improbus, considat se innocentem futurum; quicumque ad iracundiam prouocant Dominum, quasi non futurum sit eorum supplicium. Iylian. Arbitramini,

bitramini, inquit, mihi ignotas esse prouidentia: rationes? Atqui non secus quam vobis mihi sunt ex perspectæ, nec illud minus quam vos scio, nullum, qui apud Deum offenderit, reperiri, qui non sit ei pœnas daturus. Olym p. Id eam certum est, atque concessum, nec esse fraudem impunitam, neque eos, qui Deum irritant, eius vitare posse animaduersionem. Quamuis iustum quis irriterit & dominatione oppresserit, haud insons erit; quamuis illum cuiuslibet videatur. Hic enim iracundia Deum inflammat. Et eorum quidem, quæ geruntur, inquisitio futura est atque iudicium.

Ataman interroga quadrupedia, si tibi dixerint; aut volucres cali, si tibi annunciantur; narra autem terra, si tibi loquuta fuerit, & enarrabunt tibi pisces mari. Quis non cognouit in omnibus his, quod manus Domini fuit hec? si non in manu eius anima omnium viuentium? & spiritus omni homini? Aurus enim diuidicat verba, guttur autem cibos gustat. Chr. y. s. & Olym p. Quoniam illi quasi Dei notitiam adepti magnopere gloriabantur, idcirco Iobus enunciat, nullam rem esse creatam, quæ suum effectorem non agnoscat, neque id esse hominibus duntaxat exploratum, sed ipsi etiam mutis, atque adeò terræ sensus experti. Quid igitur animo sic estis affecti, quasi admirabile quidpiam atuleritis? Nimirum necesse est vnumquemque, qui sceleratus sit, funditus interire. Id nemo ignorat. Atque vt Sopharum maiore rubore perfunderet, vsus hyperbole dixit, Mura atque inanimata interroga, quæ licet vocem non edant, Dei tamen gloriam enarrant, & illa quidem vim diuinæ potestatis sentiunt. Ac si voce illas ipsas res vt contingeret, nempe Deum vniuersitatis opificem prædicarent, eiusdemque incomprehensam, atque inexplicabilem dicerent esse sapientiam, atque eum hominum flagitiosorum vitorem, in eiusque manu cunctorum viuentium vitam, ac mortem positam esse; & re quaque quod ipsi collibuerit, nullo negotio facere posse, omniaque continere atque conseruare, tum cæterarum animantium animam, tum hominis spiritum. Itaque, si animalia ratione carentia oratione vterentur, hanc de Deo sententiam exponerent. Quantò igitur magis homo, cui est naturaliter infra ratio? Quemadmodum gutturi eorum, quæ degustari possunt, sensus affixus est, & auribus iudicium vocum. Habent exemplaria nonnulla pro \* aure, mentem. Id ergo dicit, Quemadmodum ad iudicanda esculenta guttur omnes habemus, cunctisque est commune hominibus, cibum sumere; sic mentem ad Dei notitiam accepimus, quæ Deum vniuersitatis agnosceret.

In multo tempore sapientia; in multa autem vita scientia. Chr. y. s. Mihi quidem videretur illos pungere. Nolite, inquit, existimare, vobis omnia iam esse inuenta. Licet enim mens nobis sit ad iudicandum; diurnum tamen opus est tempus ad inueniendum. [Quæ ad ipsius sapientiam atque virtutem pertinent: mens namque ea quæ sub intelligentiam cadunt; sensus vero, quæ sensibus peruia sunt, diiudicat: nobis autem commune est, & rerum opificem agnoscere.] Olym p. Prudens enim, cum senescit, in sapientia proficit, & fortasse, quod dicit, est eiusmodi, Ipse, quæ auditione accipio, scio, & tempus ad scientiam mihi adiciui. Aquila autem & Symmachus sic; ille quidem, In antiquis sapientia; hic autem, In iis, qui diu vixerunt. Et apud homines quidem scientia labore perficitur, & tempore accedit; apud Deum autem sola voluntate.

Apud eum sapientia & potestas. Apud quemnam? nempe apud Deum. Is enim sapientia:, atque potentia: fons est; qui ea cæteris impartitur, & de ipso quidem Deo, vt magnificentissimè sentiant, cuncti sunt demum adepti. Rerum autem, quæ ab eo effectæ sunt, perfectam scientiam, potestatemque habere, est Dei solius. Porrò gubernat vniuersa, non consequentis tempore, aut collatione, aut ignoratione, sed certa, quam vniuscuiusque rei comprehensam habet, notitia.

Ipsi consilium, & prudentia. Cum potestate consilium & prudentiam copulauit; nihil enim inconsultò, & imprudenter facit, sed omnia in sapientia. Potentia & consilium Patris, Filius est, quemadmodum est in Psalmo, In consilio tuo deduxisti me.

Si destruxerit, quis edificabit? si clauerit contra homines, quis aperiet? Olym p. Ad summam

\* ois, vobis.

\* Quæ sunt inclusa, in græco exemplari addita aliunde sunt: forte ex superioris pericopa, ubi est eorum proprius locus, huc irreperunt.

summam rerum omnium potestatem euentum, de quo dubitari non potest, adiunxit. Itaque Dauid canit, Tu terribilis es, & quis resistit tibi? Nemo dubitat, inquit, & Deum sapientem esse, & potestate pollere, & cuncta suo arbitratu facile administrare: neminemque posse illius decreta rescindere. Illius porro potestatem res ipsæ planè persuadent. Quod si capitis quæpiam condemnavit, quis illi audeat intercedere? sin vitam adimere noluerit, sed illam ipsam molestiis atque doloribus terreat voluerit, quis ad consolandum idoneus fuerit? Quæ enim propter nostra errata molitur is fuerit, ea sunt proxiis euentura. CHRYS. Tacite Iustus iis, qui sibi contraria oratione obstitabant, providentiæ tradit rationes. Quamvis enim illi providentiam minimè insciarentur, repugnantia nihilominus adferebant. Dicit ergo, Illius voluntati quis resistit? Videas enim alium inopia, alium casibus aduersis, alium morbo conflictari. Denique modò hunc, modò illum, iis rebus, quæ Dei nutu contingunt, omnino implicari, nec à quoquam illius posse vitari decretum; huicque rei ea, quæ præcipua sunt, & concessa ab omnibus, certo esse argumento.

*Si prohibuerit aquam, siccabit terram; si immiserit, perdidit eam evertens.* Quod si pluuiam cohibuerit, squalore & siccitate cuncta perdentur id quod tempore euenit Eliæ. Sin eandem immiserit in terras, vt tempore Noë contigit, illas obruet, & colluione delebit. CHRYSOST. Quod verò nihil eorum, quæ fiunt à Deo, à quopiam secus fieri possit, huius rei deinceps consentaneam rationem exponit;

*Apud ipsum fortitudo, & robur.* Ei soli integrum est, cuncta pro arbitrio moderari, idque iure optimo; quandoquidem in omnia imperium obrinens, potestatem habet quavis oratione longè superiorem.

*Ipsi scientia & sapientia.* Rerum, quæ sunt, cognitio ad summum perducta; gubernatio verò sapientissima.

*Adducens consiliarios captiuos, iudices autem terre semouit.* CHRYS. Et hæc effecti sunt providentiæ; diuina namque voluntate, atque iudicio & consiliarij quasi captiui abducuntur, & iudices ablegantur. POLYCHR. Hæc fortasse non de iis dicit, qui capiuntur in bello, verum de iis, qui ingenij solertiam venditant: ac si diceret, Sapientes quoque decipit; & qui iudicio præstant, circumagit; Et eos, qui agenda aliis ostendendo præcipiunt, ad suam acerrimam normam insipientes pronunciat, eosdemque ad summam consilij inopiam redigit. Hanc ipsam sententiam Aquila & Symmachus expresserunt. Ille enim sic, Adducens consiliarios \* spolia: hic verò, Adducens consiliarios ad consilij inopiam. Ac vide, quemadmodum, cum Dei potentiam eam esse docet, quæ expugnari non possit, cunctos ab eo sapientia vinci ostendat. Partitur enim orationem, in eos, qui vita sunt & gloria clari, & in eos, qui pietatis nomine habentur insignes.

*Collocans reges super thronos.* Atque hæc est alia Dei potestas, vt planè nullus sine eo regnare possit.

*Et circumdedit balibeo lumbos eorum.* Symmachus autem, Cingens eos funiculo supra lumbos; pro illo, In seruitutem redigens.

*Qui emittit sacerdotes captiuos; dynastas autem terre subuertit.* OLYMP. Sed neque consecratis sacerdotibus ignoscit, immò verò eos vnà cum iniusta gerentibus imperia perdit. Nempe illud his verbis significat, qui maximi habentur hominum opinione, eos pro nihilo à Deo putari. Igitur eos, qui haud rectè sacerdotio funguntur, in apertum profert; sed neque, si temporis ratio ferat, iis parcit, qui rem commodè gerunt. Hos enim sæpenumero captiuos abducit, seruitutiq; Deus addicit, vt ceteræ multitudinis commodis consulatur: quod quidem ipsi accidit, qui cum Daniele & Iesu Iosedechi ad reliqui populi vtilitatem fuerunt in seruitutem abrepti. Nam re ipsa haud hi digni erant, qui seruitutem seruirent, si eorundem actionum ratio habenda erat. Illud autem, *Dynastas terre subuertit*, ei quod proximè dixit, cognatum est, *Qui iudices terræ semouit.*

*Immutans labia sùclium.* Fideles dicit, hoc loco eos, qui digni sunt, quibus fides

\* ἐξέσωσε, seu peficit, semouit, loco mouit. Priorem notionem secuta est vulgata nostra editio, posteriorem Chrys. August. habet, in panorem misit.  
\* λαφύρα, exuuia, præda.

des habeatur. Id quod sua interpretatione Symmachus illustrauit; sic enim ille, Qui subuertit labia inerrantium, id est, eorum, qui in deliberando ab errore abesse videntur quamlongissimè, in contrariam partem consilia inflectit: id quod in Balaam fecit.

*Intelligentiam autem senum cognouit.* Pro eo, Nihil laet eum. Sed iam inde ab initio, cum quid animo agerent prudentes viri, planè intelligat, potest eorum cogitata ita præuerrere, vt ea nullus consequatur euentus. Symmachus autem, Et scientiam senum auferens; vt indicet eorum, qui diuturno tempore ceterorum opinione probatam sapientiam adepti sunt, facile illam ipsam à Deo euerri.

*Effundens ignominiam super principes: humiles autem sanauit.* Illa videlicet Deum admirabilem esse restantur maximè, quæ præter expectationem contingunt hominibus. Huius simile est illud, Deposuit potentes de thronis, & exaltauit humiles.

*Reuelans profunda de tenebris, eduxit autem in lucem vmbra mortis.* Ad verbum, Qui ea, quæ cunctis sunt obscura, propalam fecit; & quæ tenebris erant obducta, in apertum protulit. Aut etiam eos, qui periclitabantur, & propius à morte aberant, seruauit. Vmbra enim mortis ipsum periculum dicit. Ad intelligentiam autem, videtur propheticè Domini nunciare aduentum; qui dixit iis, qui erant in vinculis, Egredimini; & qui erant in tenebris, Reuelamini; & apparuit iis, qui in tenebris, & vmbra mortis sedebant.

\* *Decipiens gentes, & perdens eas, sternens gentes, & deducens eas in viam.* OLYMP. Egit id cum Israelitis, quorum alij, qui ex Aegypto egressi credere noluerunt, fecit, vt aberrarent, eorumque cadauera in solitudine caderent. Alii verò, qui illis prognati erant, in terram promissionis dux fuit itineris, atque iisdem propemodum viam strauit, & complanauit. POLYCHR. Idem vterque versus declarat. Et in bello, inquit, vbi illi visum fuerit, multitudinem vertit in fugam; facitque vt metu hæc, illæque errent. Quod ipsum in Chananaïs antea, in Iudæis postea, qui peccauerunt in Deum, factitatum est. Et punit, inquit, & facit vt in manus incidant aduersariorum, ad exitium, atque interitum propemodum abstrahens. Mos autem Scripturæ est, eum errorem, qui libera à nobis voluntate suscipitur, Deo, ob summam eius patientiam, indulgentiamque adscribere.

\* *Immutans corda principum terræ terrare autem fecit eos in viis, quæ non nouerant.* Huic respondet, quod dicitur in Psalmis, Dissipat cogitationes populorum; reprobat consilia principum. Tpeodotio verò pro, *Immutans*, dixit, μετατρέπων, transferens: Symmachus μετατρέπων, inuertens; Aquila ἀπείσων, inlibens; omnes tres ad vnam spectantes sententiam. POLYCHR. Similiter, vt si diceret, Non leuis tantum, & infimæ fortis homines fugæ mandat; sed etiam fortes, & qui cum imperio ceteris præstant. Id quod Sedecia contigit, qui ne manum quidem contra barbarum tollere potuit; sed vix primum impetum vidit, cum in fugam se dedit. Horum autem idcirco facta est mentio, quia & ad res ipsas accomodari facilius, & harum vocum vires ostendi melius possunt. Deinde quæ necessario iis, qui fuga sibi consulant, euenire soleant, docet his verbis;

*Tangant tenebras, & non lucem: errore agantur, sicut ebrius.* Id dicit, Inter hos, atque eos, qui omni luce orbat iacent in tenebris, profus nihil interest in rebus gerendis. Qui verò sunt magnitudine calamitatis oppressi, à temulentis, qui in omnes partes errore trahuntur, planè non differunt. Illud autem, *Tangant tenebras*, & *errore agantur*, non optando dixit; sed euentum tantummodo declarando, id est, palpauit, & oberrabunt.

*Et hæc contempletus est oculus meus, & audiuit auris mea, & non quacunque scitis: & non insipientior vobis sum.* OLYMPIOD. & POLYCHR. Hæc, inquit, ipse partim vsu atque experientia percepi, partim ab aliis, cum dicerent, audiui; partim inquam à rebus ipsis, partim per manus accepi eam, quæ mihi diuinarum rerum tradita est, disciplinam. Ac, licet ætate vobis minor videar, in sapientia tamen nulla res sum inferior: deque diuinarum rerum scientia, atque de iis, quæ pertinent eodem, nulla ratione vobis concedo.

O 3 Verantamen

\* τὸν ἀπὸν, errare faciens.

\* August. habet, Reconcilians, pro Immutans; verbi enim διάλλασις hæc etiā facta proprie notatione illam.

*Veruntamen ego ad Dominum loquar.* D I D Y M I. Amicorum erratum accusaturus ait, *Ad Dominum loquar*, ut, qua fiducia ac libertate eius nitatur oratio, palmam faciat. O L Y M P. Viden quemadmodum à Deo iusto iudice, atque animorum medico suam velit causam cognosci? Nam Dei iusto iudicio magnopere confidit; præsertim cum aberrent amici; & qui medicinam ad curandum, & orationem ad consolandum idoneam debebant adferre, vulnervis morsus efficiant acriores.

*Arguam autem coram eo, si voluerit.* Id est, Meam causam planè docebo, dummodo is velit, ac potestatem faciat: nec enim ignarus sum mei totius causam mali illi ipsi esse perspectam. Ergo, si Deus, qui iudicio præest, mihi permittat, vos mendacij redarguam, atque conuincam, qui ægrotantium morbos vehementius irritatis, vestri fidem aduenus, pollicitationemque fallentes; & à certamine quidem vobiscum instituto discedam. Quod si Deus de actionibus factisque meis iudicium facere voluerit, causam apud eum dicere minimè recubabo.

*Vos autem estis medici iniusti, & curatores malorum omnes.* Symmachus autem, Adhærescitis mendacio, & mihi fraudulenti medici, qui ea, quæ à ratione sunt auersa, paratis. P O L Y C H R O N. Superuacaneum, inquit, est disceptare vobiscum, qui, cum ad me sanandum accesseritis, vestris me nunc sermonibus, quasi iaculis sauciatis, ipsaque, quam patior, calamitate dolorem mihi adfertis acerbiorum: medicoque imperitos imitamini, qui, cum sanantia negligunt medicamenta, stulte ægrotorum vulnera, quasi morfu diserpunt. D I D Y M I. Quantum ad id, de quo nunc agitur, pertinet, iniustus medicus is est, qui salutaria remedia commutat inutilibus; & ea, quæ obsunt, præbet ægrotantibus. Id verò dupliciter evenit, aut ex imperitia medici, aut ex improbitate. Hi autem, qui à Iobo coarguuntur, non tam propter sceleratam mentem quam propter incertitiam Iobo dicebant, Propter peccata pateris: in quo verba ad consolandum apta adferre se arbitrabantur. Iniusti igitur, quandoquidem causæ erant ignari. Illud autem, *Curatores malorum omnes*, contra eos dictum est, qui, cum sibi ipsi placeant magnopere, cæterorum casus aduersos putant à se posse sanari.

*Sit autem vobis obmutesceres & eniet vobis in sapientiam.* P O L Y C H R. Præstaret, inquit, vobis tacere, quam omnino sic loqui, maioremque vobis sapientiæ opinionem silendo conficeretis, prudentioresque videremini. Hoc nimirum dicit, Insuper facitis, dum eum, qui solati indiget, exulceratis. C H R Y S O S T. & O L Y M P. Quando quis, inquit, ea, quæ rationi aduersaria est, vitur oratione, tacere illi esset rectius; sapientior enim futurus sit, si tacuerit, quam si dixerit. Tales enim tacere melius est, quam ad verba talia assilire. Namque horum silentium sapientiæ adfert opinionem, Nam, qui obmutuerit, prudens habebitur: loquacitas autem hominem calamitosum commouet vehementius. Et tu, o care Deo, noli eo genere verborum permoueri; sanctos potius imitare, certumque habeto Satanæ hos esse impetus: à Diabolo enim tui exagitantur obretractores, ea re potissimum, ut te à fide abstrahat, atque ut à recto instituto abducatur. Nec enim id veterator ignorat, nulli tibi malo esse ærumnam; sed ea re te Deo potius commendari: illud autem tibi obesse magnopere, si à bona mente discedas. Ergo, quanto is fuerit in tentando ferocior, tanto quoque tuus sit cursus ad virtutem incitator; quantoque ille connixus fuerit vehementius, ut re in contemptrum adducat, tanto magis animum ipse ad tolerantiam, patientiamque firmato, ac dicit, Hæc omnia venerunt super nos, nec obliuimus te. Etenim, si hac re ratione aduersus teatationes corroboraris, scilicet Diabolus auerteretur retrorsum, pudore suffusus: tui verò vniuersorum dominus meminerit, atque hic in terris te dupliciter recreabit; post autem auditorus es, Euge serue bone, in modico fidelis, supra multa te constituam. Iobi patientiam recordare, cuius virtutem nec læta tempora, nec tristitia peruertere potuerunt. Et quidem multa atque graua in rebus singulis sustinuit, donec à Deo dupla recepit, testimonioque comprobatum est, ad virtutis suæ significationem, & specimen

cimen, calamitates pertulisse.

*Audite \* redargutionem oru mei: iudicium autem labiorum meorum attendite.* P O L Y C H R. Mentem, inquit, eis, quæ liberè à me dicentur, adhibete; & iudicium meum, id est, defensionem meam attendite. D I D Y M I. Considerate, quæ ad vos confutandos dicturus sum. Cogitate, iurè loquar: os enim, & labia, pro sermone posuit. Reprehendit autem, redarguitque sanctus, quemadmodum sancto conuenit, atque ita iudicat, ut eum decet iudicium exercere. Neque enim iustus aut nō opportuna vitur reprehensione, aut ea mendaci vitur: immo verò tam illam, quam iudicium, iure, legitimeque vsurpat: os enim iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.

*Nunquid non in conspectu Domini loquimini? coram autem eo loquimini dolum? an vos \* subtrahetis?* Ad reprehendum, refutandumque aggreditur, docetque nihil ab eis dici, quod non intueatur Deus. Sed ipsum dolum, quem contra illum machinabantur, ipsis illis obnunciat; idque, ut eos ad saniora consilia deducate, eamque mentem deserant, cuius Deum contemplatorem habeant, dicitque, O L Y M P. Nec cogitatis à Deo vestros audiri sermones: Qui igitur audetis, isto audiente, isthæc falsò iactare? aut verò callidè putatis vos illi latere posse? hoc enim valet, *An vos subtrahetis*, id est, num cum latere potestis? Theodotio verò interpretatus est, An personam eius accipitis? Hebræus autem dixit, Verecundamini, id est, veremini contra Deum dicere: idcirco ad gratiam loquimini. Vestris igitur ipsi rationibus prospicite, qui Deo videmini patrocinari, ne forte animi vestri sententia sermonibus sit planè contraria. Cum enim mea sint vobis minimè ignorata, quædam tamen alia falsò affingitis. Veritatis enim specie assulata, pro Deo dicitis. Nam dolum ipsum assimulationem nuncupauit.

*Sed vos etiam ipsi iudei: efficiimini. Bonum quidem, si inuestigauerit vos: si enim omnia facientes adiciemini ei, nihilominus redarguet vos.* O L Y M P. & P O L Y C H R. Verane egomet loquar, vestrum sit iudicium: Deus enim in vos inquit, licet millies pro eo dicere conemini; licet multò plura, quam adhuc dixistis, adferatis; licet multò magis quam adhuc fecistis, ei gratificemini. Iudex est enim incorruptus, iustoque vos suffragio condemnabit; vestramque callidam, captiosamque sententiam refutabit; vestrumque mendacium & falsitatem coarguet, non lecus, quam si contra eum dixissetis. Sed nimirum vobis haud rectum. Obserua, quemadmodum vbi que Iustus accuset mendacium, etiam si pro Deo dicere quispiam videatur. Ille autem, quæ sentit, verè ac liberè loquitur. Idcirco Deus, qui veritas est, illum recepit. Dicit ergo amicis suis, falsa oratione vrentibus, Vos ipsos in iudices deligo. Dicit, rectumne vobis futurum est, si vestra Deus verba peruestigari? annon causa planè cadetis; præsertim cum ille simulationem, & mendacium oderit?

*Si autem occulte personas admirabimini?* Symmachus autem, An latenter personam eius \* verecundabimini?

*Nunquid non vertigo eius versabit vos?* Symmachus, Nunquid eius motio non terreat vos?

*Timor autem ab eo incidet vobis; eniet autem gloriationi vestre sicut ciner; corpus autem iuceum.* D I D Y M I, Nempe iudex est optimus: rerum enim æstimator est: eorum, qui in insidiant, personas haud internoscit; siue enim diuites fuerint, siue principes, siue quauis alia potestate excellent, eorum personam ratione nullam habet: de factis tantum iudicium facit. Nec enim fas est, aut fauere diuiti propter opes; aut propter inopiam pauperis misereri; ita ut ius violetur. Quamobrem dictum est, O L Y M P. Non misereberis pauperis in iudicio. Iobi autem verba hæc pertinent, Et si, inquit, gratificari Deo videmini, & eius quodammodo personam vereri, nihilominus rectè loquemini; cum aliud sentiat, aliud loquamini. Nunquid non eius vortex & supplicium (id enim est vertigo, & gurges) vos circumager, ac perterrefaciet? vesterque fastus, & gloriosa existimatio obtineat? Post iram autem, vestra condicio (quandoquidem arcano, & fraudulentè nunc iudicatis, atque ob id ipsum contemptui estis) nihil aliud nisi

\* ἰδρυται.  
Aug. Obiurgationem.

\* ἰπποκρίτης.  
Aug. Sic enim Aug.

\* ἰπποκρίτης.  
Aug. verecundabimini, placabitur, exorabitur. Huius verbi varia est notio: sed cum verecundari significat, vitiosum indicat pudorem.



nisi cinis apparebit: siquidem lutum solum estis. Et quidem cum cinis, cœnumque sitis, insolenter vos tamen ipsi iactatis, nec ullam meis ærumnis veniam, commiserationemque tribuitis; ideoque ab iis estis seiuncti, quarum nec minimam quidem partem ferre possitis. POLYCHR. Quod si Deus vobis succentuerit, fueritque minitatus, prorsus sentietis nullam vestram esse arrogantiam, nec eam solum, quam nunc ostentatis philosophiam, verum etiam omnem de rebus fortiter ferendis adhortantem orationem abiicietis, metuque exanimati occiditis. Quibus sanè verbis, quam sit Deus terribilis, docuit, eodemque tempore & amicis terrorem intulit, ac sibi defensionem parauit. Hebræus autem sic, Si auerterit faciem suam, turbabimini: verplanè ostendat calamitatis atrocitatem per seipsam idoneam esse asperiorum verborum defensionem.

*Obmutescite, ut loquar, & quiescam ab ira, apprehendens carnes meas dentibus.* OLYMP. Tacete, inquit, ac me silentio audite, ut vel ipsa loquutione crucianti dolori medicinam aliquam adferam, ac verbis calamitatem meam consolans conquiescam. Id enim fortasse significat, *ut apprehendens carnes meas dentibus*, id est, ut gemens, ac dolens differam, loquar tamen, vnicum ærumnarum solatium rarus, de rebus meis constanti, fidentique oratione disputare, meaque mala, ac morbos meo ore proderet. CHRYS. Ut enim qui in cruciatibus suas carnes mordent, alleuari se sentiunt; sic ego, dum hæc loquor. Vident, ut hæc verba nequaquam sint hominis innocentiam suam probantis, sed dolori medicinam quæ rentis? & verbis corpus recreare, animumque releuare conantis? DIDYMI. Fortasse etiam delinuit amicos: antea enim dixerat flagitiosos illos esse consolatores, quandoquidem non modo aptam nullam consolationem adhibebant, sed etiam hominis solatio egentis dolorem magis exacuebant. Nunc ergo dicit, *Definam vobis irasci, dentibus carnes meas arripiens*, id est, non vobis amplius, sed mihi ipse irascar.

*Animam meam ponam in manu, si manus mihi intecerit potens. Nam & incepit, si non loquar, & arguam coram eo.* OLYMP. Pignori, inquit, animam meam oppono, ad pœnam verborum meorum libenti animo sustinendam paratus; etiam si Deus, qui iam me cepit torquere, occidere voluerit, si non fuero vera loquutus, haud mortem ipsam recusabo; & quodcunque tandem ei libuerit, æquo animo feram. Quanquam non dubito eos, qui nituntur mendaciis, à me conuictum iri. Sic etiam commentabere, POLYCHR. Fermè animam meam, inquit, præstolans morti, in manu mea fero; interea Deo mihi diurnitate supplicij peracerbam vitam adferente. Sed tamen nil veritus vos ipsos refellam; & qui meæ plagæ est auctor, tanquam Dominus, eodem æquo iudice uti volo: in eius etiam manibus animam meam colloco. Ac, si me Dominus, qui iam malis cepit affligere, morte etiam multare voluerit, ouans excipiam.

*Et hoc mihi eueniet in salutem.* CHRYSOST. Id est, id mihi apud Dominum solatio erit, vera dicere, vosque medacij redarguere. Vident quam is iusto Dei iudicio confidat?

*Non enim coram illo dolus ingreditur.* Haud ficto, & veteratorio ingenio, ut vos facitis, ego loquar; scio videlicet, nulli apud eum fraudi locum esse; ab omni eum fallacia doloque abhorre; vestrorum sermonum concinnitate & fucio minime oblectari. DIDYMI. Hoc semper Iustus studet, ut tormentorum suorum causam amicos doceat, idque ut eos à contraria sententia abstractos lucretur. Nam ad eorum salutem pertinere existimabat, in iis, quæ sibi contigerant, diuinæ prouidentie rationem perceptam haberi: quam cum optat illustrem facere, dixit, *Arguam*. Nam redargutio sæpenumero demonstratione valet. Ergo, ut is & animum suum à mentiendi studio maximè abhorrentem, & pietatem vna declararet, dicit, *Quæ loquor ipse, Deo adspiciente scilicet, loquor*. Deus enim circumueniri non potest, nec vlla apud eum fallendi machina potest adspirare.

*Audite audite verba mea; annuntiabo enim vobis audientibus.* CHRYS. Iudicari inquit, volo; iudicium minimè recuso; nullam enim condemnationem reformido. Atque

do. Atque ad ea audienda, quæ dicturus est, amicos excitat: verbaque excitantia iterat, ut eos magis exoret; (namque eos redarguenti orationi infensos esse animaduertebat) illisque audientibus, palam, ac liberè dicturum se esse profiteatur. Itaque geminatio verbi, *Audite*, aut ægritudinis est index, aut ad comparandam attentionem refertur, ut ij constanter audiant. Accidit enim interdum, ut, qui animum non attendunt, cum eorum aures vocis sonitu fuerint istæ, ad audiendum excitentur. Itaque Liberator noster, cum audientium mentes ad ingenue audiendum erigeret, inquit, *Qui habet aures audiendi, audiat*.

*Ecce ego sum prope iudicem meum. Scio ego, quia iustus apparebo. Quis enim iudicabitur mihi, ut ego obmutescam, & deficiam?* POLYCHR. & OLYMP. Ad docendum nunc amicos aggreditur, seque ob nullum peccatum pati demonstrat. Ecce, inquit, in iudicio confiso, meo iure frerus. Suæque confidentie causam exponens addit, *Quis enim iudicabitur mihi?* quasi à me læsus iniuria? qui peccatum aliquod meum probare possit? Illud autem, *Deficiam*, pro eo est, Dicere prohibebor. Itaque Hebræus habet, *Ut ne loquar*. Nec vlla mentis arrogantia hæc dicit; sed ut amicos erudiat, ne non veram de eo habeant opinionem. Fit enim interdum, ut de se quis præclarè loquatur, cum animaduertit, quempiam alium non perinde, ut decebat, affectum esse, quo tempore loquenti haud est sua laus proposita. Agedum, sicui hoc muneris esset iniunctum, ut opes non suas in egentes conferret, illique interuersi peculij actio intenderetur, quis illi ipsi aut probro, aut crimini puter esse oportere, si in defensione dicat, *Non modo ipse aliena bona non auerti, sed mea etiam cum pauperibus communicauit?* nimirum nullus in illius administri defensione id iure reprehendat, quamuis hoc ipsum antea tacuisset. Ergo nec Iobus accusandus, qui non ideo, quod sit nimium sui amans, sed eam ob rem, quæ iam exposita est, incorrupta quadam orationis fiducia dicit, *Scio quia iustus apparebo*, cum Dei veritati, & æquo iudicio fidem abrogare non possim. Quamobrem loquor, quamobrem non deficiam, id est, non tacebo; etiam si vel ob id ipsum in reos me referam; mihiq; deficientibus probationibus, defensionem omnem præcidam.

*Duo autem mihi concedes, tunc à facie tua non abscondar.* OLYMP. & POLYCHR. Ad Deum orationem conuertit. Si duo, inquit, mihi fueris largitus, libera apud te oratione utar, nullus sanè certè me hominum coarguet. Tecum autem libenter, metu posito, disceprabo. Aquila autem & Theodotio pro, *Duo mihi concedes*; Duo ne facias mecum, extulerunt. Hebræus autem, pro, *Non abscondar*, habet, *A facie tua non declinabo*, id est, è regione tibi in iudicio occurram, dummodo duas res quasdam mihi tribuas. Quasnam?

*Manum tuam à me abstine, & timor tuus ne me percellat.* Id est, vltice manu amota, hac me ærumna libera; mihiq; certo confirma de iure decertanti, si vicero, sermonis fiduciam te crimini minimè daturum; noli me deterere. Nisi Dei mihi dignitatem obicias, iudicij auctoritatem haudquaquam defugio. Peccaui: fateor. Verùm multò grauiora persoluo.

*Deinde vocabis; ego autem tibi obaudiam; aut loqueris, ego autem tibi dabo responsum.* OLYMP. Hæc cæteri planius extulerunt, loquar, & respondebis mihi. Si hæc, inquit, abs te ipse impetraro, & cognouero te mihi esse beneuolum, profectò si vitæ à me rationem reposces, reddere non grauabor, & rogatus defensionis rationem inibo. Porro pluribus verbis suam cum Deo fiduciam perspicuam facit, ut in eam opinionem adducat amicos, ut vera de se existiment. Nam calamitatis alleuiamentum deprecari; & ut sine metu dicere, & ut sibi pro se apud Deum dicere liceat, postulare; nempe id illius innocentie atque integritatis certum est documentum. Prope igitur sic interrogat;

*Quanta sunt peccata mea, & iniquitates meæ? doce me quanam sint. Quare à me absconderis? existimasti autem me contrarium tibi, aut tanquam folium, quod à vento mouetur, reberis? aut sicut feno, quod à vento fertur, aduersaris mihi? quia scripsisti contra me mala; circumdedisti autem me peccatis inuenturis meæ.* POLYCHR. Hæc ipsa amicorum causa inculcat, ut discant eum, qui sceleris est labe aspersus, Deo rectum esse

esse non posse. Atque ille, qui cum amicis disputans dixerat, Scio, quia iustus apparebo; idem nunc religiosè Deum alloquitur, Doce me, inquit, quorūnam flagitiorum de me supplicium sumas: vbi, quando illa admiserim, ostende: nam huius animaduersionis causam cognoscere aueo; quorūnam, inquam, erratorum poenas egomet dem. Quid tandem, Domine, peccata me cælas mea? meque aduersarium tuum arbitraris? His enim, qui in cruciatum dati sunt, haud leue solet esse solacium, cruciatus causam perspectam habere. Quamquam hæc ad amicorum opinionem dicuntur. Hi enim, inquit, existimant te mihi aduersarium esse propositum, scelorumque à me poenas lui arbitrantur. Sed tamè nullum te meum scelus dicturum esse, habeo planè persuasum. Et nimirum illud animaduerto, me tanquam hostem, atque inimicum variis abs te plagis esse affectum. Verum qui animum potes inducere, vt me à folio nihil planè distantem hostem tibi esse suspicere? quasi verò ab homine perinfirmo vllus tibi metus possit impendere. Quæro igitur, cur meum vites adpectum; cur rerum mearum iudicium in medium proferre recuses; cur me tanquam hoste vtare, foliis, quæ persante vento decidunt, longè viribus infirmiore. CHRYS. Scilicet meam, quam ignoras, contemptam atque humilem naturæ condicionem reformidas, cum teneas inter me & frondem, stipulamque, quæ quatitur à vento, nihil prorsus interesse. Quid igitur est, Domine, cur de me eiusmodi sententiam tuleris? Illud enim, *Scripsisti contra me mala*, id est, supplicij multam, dictam est, translatione ducta à regibus, sententiam scripto mandantibus. Illud verò, *Aduersarius mihi*, huic par est, Tanquam aduersario supplicium irrogas, vt si diceret, Quemadmodum herus in seditiosum contumacemque seruum, sic ipse pro tuo imperio in me supplicium constituiti. Vfusque est verbo *Scripsisti*, vt quod deest, domino tribueret. OLYMP. Vel etiam, *Scripsisti mala*, hoc significat, Quæcumque mihi ab ineunte ætate peccata sunt, tu ob signatis ne illorum vnquam deleatur obliuio. AEstuans enim, nec eorum, quæ sibi conuigunt, repetens causam, in omnes partes orationem conuertit, cumque ætati ille suæ, quæ tam erat absolute virtutis corroborata, nullam se labem aspersisse intelligeret; adolescentiæ, pueritiæque peccata tamen extimescebat; ne fortè eorum à se poenæ penderentur. Vides, quemadmodum culpæ se affinem cognoscat, ætati que veniam cupiat impetrare; nec non ætatis culpa sese iontem ostendere.

*Posuisti autem pedem meum in impedimento.* Aquila autem, & Symmachus sic, ille quidem, In miseria; hic autem, Ligno constrinxisti, exposuit, Manet in metaphora. Nam, cum dixisset, Scripsisti contra me, poenamque pronunciaisti, atque ob ea, quæ in adolescentia admisi, me multas, addidit, Malis me propemodum impediisti, sic omnino, vt progredi longius minimè possim. Quasi commutatit verbis sic loquatur, Scilicet studiosè cunctas vitæ meæ rationes obseruasti, non secus, quàm faciunt ij, qui compedes iniciunt fontibus. Verùm Aquila sic interpretatus est, Ligno constrinxisti pedem meum.

*Obseruasti autem omnia opera mea.* DIDYMI. Nouerat beatus Iob, vt qui vitæ præstabat sanctimonia, verè illud à Davide dictum esse, cunctas peccantium iniquitates, nequaquam à Deo obseruari. Verùm, cum causam docere velit amicos, cur illa patiatur, nempe ad animi exercendam virtutem, præsentem orationem adhibuit, ac de Deo perinde loquitur, vt si illius actiones vniuersas acris studio ac diligentia animaduertisset atque expendisset, eaque re doloribus & cruciatibus illum conficeret. Prorsus hoc persuasum volebat esse amicis: tantæ calamitatis causam non in peccato vlllo consistere, sed in exercitatione animi, constantiæque proposito sitam esse.

*Ad radices autem pedum meorum venisti.* Hebræus autem, Vestigia pedum meorum circundas, POLYCHR. Ad græcæ interpretationis rationem hoc dicit, Nil est in meis actionibus, quod non curiosus perscruteris: tum causas, tum initia, tum fibras eorum, quæ à me in vita aguntur, obseruas, & tenuissima quæque itineris mei vestigia indagas, vt me supplicio constringas; quæ meorum est amicorum opinio, peccatorum me poenam sustinere, & adolescentiæ in me nunc

nunc culpas incumbere arbitrantium. Hebræus autem, Circundas, dixit, id est, arumnis me circumualiaisti, vt malorum exitum prorsus nullum inueniam. OLYMP. Vide, obsecro, quemadmodum naturæ imbecillitatem cum precatone vsque coniungat. Vt cum hominem folio, cum fœno, quod huc, illhucque iactatur à vento, comparat; cum vtris, qui inueterascit, cum floris, qui celesiter contabescit; cum vmbra, quæ præterit, similem esse confirmat. Ergo cum hoc, inquit, homuncione tu, Domine, summo iure agis? huius tu hominis omnia renocas ad calculos?

*Qui inuetera, it sicut vter.* Duplici similitudine, quarum altera à defluente folio, altera à stipula, quæ humoris inopia exarescit, ventorumque iactatur ludibrio, petita est, humanæ naturæ humilitatem adhuc posuit in conspectu. Noua nunc vitur collatione, qua conficit, ante ipsam poenam naturam imbecillam esse eius corporis, quod suapte vi dissoluitur, & quasi vter vetustate conteritur; & vt interpretatus est Symmachus, est putredinis simile. CHRYS. Rursus magnitudinem commemorat calamitatis. Rursus naturæ humilitatem exagitat. Verùm quid causæ fuit, vt virem in medium adduceret? Ideo, quia inanis est vter, spiritu duntaxat oppletus. Itaque vulgari sermone contritum est, inflatum nos esse virem. Noli igitur, inquit, spectare tumorem, noli distentum corium intueri: sed interiora introspicere, ac videbis, quantum sit illic inane.

*Aut tanquam vestimentum comestum à tinea.* Vestis à tinea consumptæ collatione corporis ægotationes ac morbos indicauit; quia non secus ac tinea, corpora exedunt, ac circumrodunt.

*Mortuus enim natus de muliere, breuis vita, & plenus ira.* OLYMP. & POLYCHR. Millud, *Plenus ira*, Aquila, Plenus turbatione, interpretatus est, vt doceret esse vitam hominis breuem, & perturbatione referam. Cuncti enim, qui mortales è mortalibus nascimur, haud longo spatio circumscripam vitam adepti, vitam perturbationis tumultusque plenam sumus assequuti, diuinæque animaduersioni, atque indignationi sumus obnoxij. Hæc dixit, tum ad eorum, quæ fortè peccarat, deprecandam veniam; tum ad humanæ naturæ humilitati misericordiam impetrandam.

*Aut tanquam flos, qui floruit, decedit, fugit autem velut vmbra, & non sistit.* POLYCHR. Huius simile quoque carmen Davidis tonuit lyra spiritu pulsata diuino, Homo sicut fenum, dies eius, tanquam flos agri sic efflorescit: ac rursus, Dies hominis, sicut vmbra nascentur, haud longo spatio circumscripam vitam adepti, multipli ci collatione humanæ naturæ fragilem condicionem ostendit, dicitque, etiam si turgere quis gloria videatur, atque in huius vitæ florere conuallibus, eum nihilominus breui tempore decidere, atque exringui; & quasi vmbra vita præterlabente, iis, qui superstites sunt, nullam sui memoriam relinquere. Viden, vt non suam innocentiam probando, sed naturæ abiectam sortem confirmando, malorum querat liberationem. Hunc, inquit, supplicio affici, & in quæstionem dari oportebat? ab hac rationem vitæ reposci, qui licet sit hodie, cras non sit tamen futurus? id enim nutu significat, dum ait:

*An & huius rationem habuisti? & hunc se isti ingredi in iudicio coram te?* POLYCHR. & IULIANI. Id est, Huiusmodi hominem imbecillum, ad iudicium, reddendamque rationem pertrahis? hunc inimicum iudicas? Quidam autem hanc eorundem verborum faciunt interpretationem, Tu me ad huius causæ quæstionem tua me bonitate adduxisti; neque enim huius animalis obscuram naturam consideraisti, sed rationem es illi impartitus, & præceptum dedisti, & te facturum iudicium recepisti: hæc igitur mihi liberæ orationis faciunt potestatem. DIDYMI. Fortasè etiam hoc loco diuinam prouidentiam facit illustrem; docetque nec casu, nec fortuito in vita se commorari, verùm decreto Dei, temporari, quod ab eo descriptum, constitutumque est, dominantis. Neque verò hæc, cum dicuntur, imperanti alicui fato adscribi: fas est; sed in Dei arbitrium duntaxat referri, certis finibus, mensurisque singula designantis.

*Quis enim mundus erit à sorde? sed nullus, etiam si dies vna, vitæ eius sit super terram.*

CHRYS. Vides, quemadmodum ad naturam se rursus recipiat, atque ad ærum-  
næ liberationem admittatur, non solum, quia cōtempta sit humanæ naturæ con-  
dicio; non solum, quia per exiguum vitæ spatium; non solum, quia sit agritudi-  
nibus, angoribusque vita conferta; verum etiam, quia fieri non potest, ut quis  
sit integer à labe. OLYMP. Quid attinet, inquit, de homine plura dicere? quan-  
doquidem neque hominis procreationem sine sordē, ac peccato esse contingit?  
Proinde baptizantur infantes, ut macula, quam ex Adami præuaricatione con-  
traxerunt, eluarur. Imbecillam igitur, & ægram naturam nostram effectam esse  
confirmat, & ad peccatum procliuem, tum ex præuaricatione Adæ, tum ex  
ipsa voluptaria procreatione; non ideo, quod cum nostra substantia peccatum  
penitus coaluerit; absit. SEVERI. Ipsa vita sumitur interdum pro ea, quæ com-  
munis est omnium, vita, interdum pro communi conuictu, ciuilique consuetu-  
dine, humanisque functionibus atque muneribus vsurpatur. Ita eum, qui vir-  
tutum exequitur munera, optimam vitam viuere dicimus. Quod igitur à Iobo  
dictum est, non de communi vita, & qua per æquē cuncti fruuntur, dictum est,  
quæ id largitur omnibus, ut è matrum uteris egressi vitalem hunc aerem hau-  
riant, & vitam alimentis tueantur; verum ad illam alteram vitam pertinet, quæ  
in agendo versatur, quæ aut est virtute, aut vitio insignis; ad illam, inquam, con-  
suetudinem vitæ, disciplinæque rationem, quæ, cum fuerit legitimum nacta  
ætatē, Deo iudici sese sūtat, oportet, ut digna ei merces, aut pœna perfolua-  
tur. Idque cum Iobus significare vellent apertius, antea dixit, Et hunc ingredi  
fecisti in iudicio coram te. Porro infantium vita in iudicium non venit. Dicit  
igitur, Esto, inquit, vnum diem quis manserit in vitæ politia, magnis etiam iti-  
neribus ad virtutem contenderit, pro lapsione tamen haudquaquam vitauerit,  
neque à labe peccati integer videbitur, si vnum subeat iudicium; quandoquidem  
aut agendo aut cogitando labitur. Cum autem dicit, Super terram, eos refellit, qui  
fingunt hominum animos antea fuisse, & scelere commaculatos in terras dela-  
ptos esse. Atque Iobus non ante terras, sed in terris animos commaculati ter-  
tatur.

*Numerabiles autem menses eius apud te, in tempus posuisti, & non transgreditur.* P O-  
LYCHR. Qui diem, inquit, vixit, moritur. Illud autem, *Numerabiles menses eius  
apud te*, id est, tempus assignatum, hoc significat, hunc planè moriturum, atque  
id, quod debet, perfolurum. Huc enim spectat & illud, *In tempus posuisti, & non  
transgreditur.* IULIANI. Id est, mortis necessitatem is vitare non potest. Con-  
fectis enim periodis, quas vniuscuiusque vitæ aqua Dei prouidentia descripsit,  
mors incurrit in omnes. Nam, qui nos finxit, atque animauit Deus, certam  
cuiuslibet animæ stationem commorationemque in vita constituit, nec paria cun-  
ctis decedendi spatia atque momenta assignauit. Quosdam enim voluit animos  
diuturnius cum corpore habere commercium, alios autem eiusdem corporis  
vinculis expediri celerius; idque ex arcanis sapientiæ, iustitiæque suæ rationibus.

*Recede ab eo, ut quiescat, & vitam iucundam habeat, sicut mercenarius.* Vsq; eò con-  
temptam & breuem vitam misericordia, Domine, complectere, atque eam sup-  
plicio subducito, ut tanquam mercenarius, qui post multos labores paulum na-  
ctus est laxamenti, conquiescat. CHRYS. Est in nonnullis exemplaribus, *Re-  
cede à me, ut quiescam, & complaceat mihi vita mea, sicut mercenario.* Rursus  
igitur vitæ breuitatem, difficultatem, miseriamque palam obiciens dicit, *Me  
ærumnis, laboribusque confectum iube quiescere.* POLYCHR. Intermitte ali-  
quando hoc meum supplicium, ut, si minus pristinas fortunas, & gloriam regu-  
stato, saltem mercenarij relaxationem assequar: illius enim labores sunt mode-  
rati: & ubi dies præterierit, ad quietem proficiscitur: at mali mei calamitas in-  
ducias facit nullas; cum autem dormitum iero, dico, *Quando dilucescet? rursus,  
cum surrexero, Ecquando aduerserit?*

*Est enim arbori spes, si cæsa fuerit, etiam florebit, & ramus eius non deficiet: si enim  
\* Rhadānnæ. fenuerit in terra radix eius, si autem in petra morietur. \* truncus eius: ab odore autem aquæ  
florebit, faciet autem messem, sicut noua planta. Homo autem, postquam mortuus est, abiit:  
postquam*

*postquam autem cecidit mortalū, non amplius est.* OLYMP. Verumenim quam ipsa-  
rum plantarum est hominis condicio deterior: illa enim, quamuis abscissæ fue-  
rint, possunt tamen reuiuere, & renouare ramos, & messem, id est, fructum  
ferre, aquarum humore irrigatæ. Homini autem semel extincto nulla est spes  
reliqua: prorsus enim interit, nec reuocabitur, neque ad vitam redeundi rursus  
datur illi potestas. CHRYS. Qui hic in terris vitam egerunt, illuc sunt migra-  
turi: qui verò illam fortiri sunt sedem, nequaquam huc remigrabunt. POLYCHR.  
Merito igitur quietem ipse expecto; quandoquidem post mortem omnis boni  
potiundi sublata est expectatio. Atque arbores, etiam si quis eas præciderit, se-  
tus nihilominus rursus edunt: (Rhadannum enim hoc loco ipsum ramum di-  
cit, qui post incisionem natus est, & auctus) verum hominem nulla spes ei usmo-  
di manet. Hæc ideo adfert Iustus, ut, quanta naturæ nostræ sit humilitas, osten-  
dat; siquidem arbor, licet tempore consenuerit, prorsus deleta sit, cum exarue-  
rit; irrigatione tamen ad sua primordia reuocatur: homini autem semel ab-  
eunti, pedem referte non licet. Sciendum autem est, Hebræum non; *In petra;*  
sed, *In cinere, habere;* nimirum ad versum proximè superiorem, & ad rei natu-  
ram accommodatè: *Aquila autem, In puluere;* Theodozio, *In humo, dixit.*  
Vim etiam sermonis Hebraici complexi, pro Rhadanno *καρπὸς truncum*, inter-  
pretati sunt. Rursus Gæcus, *Μεσσηνία*, dixit, à fine atque perfectione ducta  
interpretatione. Hebræus autem rem ipsam spectans, *Fructum faciet, dixit.* Sed  
tamen utrobique eadem seruatur sententia. Si igitur, qui in terra senait, trun-  
cus, quasi recens planta aquæ odore reuiuere; prorsus verisimile est, eos, qui  
Spiritui sancti potestate excitabantur, ad eam immortalitatem naturæ, quam  
eramur adepti, innouari, & more plantæ recentis messem adferre, quamuis si-  
mas ad veteris hominis condicionem delapsi.

*Tempore enim \* inuauit mare, fluuus autem derelictus exaruit, quousque calum non  
confusatur. Homo autem sopitus non amplius surgat, neque euigilabunt è somno suo.* Sym-  
machus his verbis, *Tempore minuitur mare, reddit, illa.* Sicut aquæ effluunt è ma-  
ri. Huiusmodi autem est sententia, *Quemadmodum aqua, inquit, quæ fluit è  
nati, cuiusmodi illa est, quæ à Ponto digreditur; & quemadmodum siccatus  
fluuus, seu, ut habet Hebræus, torrens; sic, qui mortuus est homo, obscura-  
bitur: & donec inueterascat calum, consistatque vniuersum, id est, vsq; ad con-  
summationem non consuetur, id est, non coagmentabitur.* Confusionem au-  
tem dixit ipsam seriem iunctionum, quibus membra tenentur. Verum, cum cæ-  
lum nullius sit interitus, nullius verustatis capax, propterea quod illud indissolu-  
bile fabricatus est, profectò nec illud vnquam continget, ut aut homo reuoce-  
tur ad vitam, aut expergiscatur. CHRYS. Sed fortassè, quemadmodum supra  
docuit, hominem plantis celerius interire, ita nunc mari & fluuio vitam illius  
breuiorem esse ostendit. Neque enim, aut mare aut flumen diungitur; homo  
verò id vitare non potest. Atque vnam id nobis daretur hominibus, ut more-  
remur, ac rursus ad vitam reuocaremur. Verumenim fieri hoc non potest. Mare  
quidem nunc minuitur, post autem rursus impletur, modò crescit, tum autem  
decrescit; & fluuij modò siccantur, tum iterum fluunt. Homo autem, cum se-  
mel est mortuus, ad vitam haud amplius reuertitur. Et quidem de verborum  
sententia hæc tenet. Quod verò ad allegoriam pertinet. Arbori spes est, id est,  
homini: hic enim, si forte peccauerit, eumque pœnituerit, & in petra, id est, in  
religiosa fide constituerit, aqua regenerationis lacrymisue pœnitentiæ reuiuere  
sciet, fortisque progignet: qui verò cum peccato & scelere vitam dimiserit,  
nil ei bonæ spei remanet, ac tempore, quod consequitur, ipsum peccat-  
um, quod mare dicitur, exterminabitur. Diabolus verò, illiusque tentatio-  
nes exarescent, quæ quidem minimè delentur, quandoquidem resurrectionem  
expectant.

*Vt in Inferno me custodisses, abscondisses autem me, donec requiesceret ira tua; &  
constituens mihi tempus, in quo recorderis mei. Si enim mortuus fuerit homo, vinctus, postquam  
consummauerit dies vite sue.* Causam exponit, cur optet interitum, docetque me-  
rito sibi

ritò sibi esse oprabilius, ex hac vita migrare, quàm in tam luctuosa vita commorari. Vtinam, inquit, me non viuentem consumpsisses, aut certè mortuum vacuum dolore seruasses. Vtinam tantisper, dum mihi irasceres, in Inferno custodisses, nec planè te mei cepisset obliuio. Verumtamen constituisti tempus, quo me, quoniam tua prouidentia comprehendisti, malis exoluesci enim, vitæ exactis diebus, mortuus fuerit homo, non idcirco abit in nihilum, sed animo viuat, resurrectionem expectans. Quanquam horum verborum, *Si mortuus fuerit homo, uiuet*, hanc item meditari quis potest interpretationem, vt iis significari dicat cruciamentorum liberationem. Nam qui non uiuit, nihil sentit, nihil dolere potest.

*Expectabo, donec rursus existam.* Aquila & Theodotio, Donec veniat immutatio mea: Symmachus, Donec veniat facta \* generatio mea.

Deinde vocabatur ego autem audiam te Sententia est huiusmodi, Si in Inferno seruatus fuero, nihilominus regenerationem, præstantioremque immutationem expectabo. Cùm verò ipse mortuos iubebis resurgere, ego audiam. Hinc etiam docet, in lectu oculi futuram esse resurrectionem.

*Opera autem manuum tuarum ne proicias. Numerasti autem studia mea, & nihil te præterito peccatorum meorum; obsignasti autem & peccata mea in marsupio, adnotasti autem, si quid \* inuitus transgressus sum.* Ideo seruati, inquit, cupio, quia ad tuarum manuum opera pertineo: nullas ad te iustitiam meam allego, neque vt à me circumueniaris, fieri posse confido, nec enim aut vitari aut falli tua potest cognitio: tibi que sunt via meæ gressus diuenerati, nec quidquam rerum mearum te latet, verum earum omnium cum genus, ac vim, cum numerum tenes. Illas, inquam, enumerasti, & inuestigasti, atque in sacculum propemodum scelera mea congelessi & obsignasti, sic, vt nullum pereat omnino; sed vt de omnibus supplicium sumas. Atqui ipse per infimæ naturæ lapsus abs te contemni oportebat: quod certè minimè fecisti: immo verò subtiliter ac sedulo singula peruestigasti, & eorum, quæ nec voluntate à me peccata sunt, pœnas etiam expetiisti, perinde quasi omnia in commentarium retulisses. Hæc verò eò ab illo dicuntur, vt precibus id à Deo contendat, ne nostra velit exquirere diligentius; nos etiam vt doceat, nil esse in rebus nostris, quod non sub Dei aspectum, contemplationemque cadat, siue id certo consilio siue nulla voluntate susceperimus. Illud item significauit, eorum etiam, quæ non voluntaria sunt, nos rationem reddi-turos.

*Verumtamen mons cadens decidet; & petra inuetra facta in loco suo; lapides exterunt aqua; & obruerunt aquæ supinas moles terræ: & patientiam hominū perdidisti.* O L Y M P. Sapiens Iob promit ænigmata, maxime quod pleraque ænigmatis inuoluta ab amicis dicta cognouerit, atque illa tanquam sapiens fuerat assequutus. Mente autem nequaquam distracta doloribus, interim in medijs philosophatur ærumnis. Ita precari Deum videtur, vt calamitates ne producat longius, ne forte misericordia ei aliqua tribuatur, & obtorpescat. Si enim mons, inquit, & saxum vetustate confecta cadunt, & aquæ continenter influentes firmissimos lapides comminuunt, terræque eminentes aggeres, & excelsos aquarū impetus obruit, & abripit: sanè illud etiam mihi vereandum est, ne, si nulla fuerit malorum intermissio, trahanturque longius, aut aliquid, quod minime cupio, agam, aut etiam in malorum perpeffione animum planè demittam, atque desperem. Illud autem, *Patientiam hominū perdidisti*, (pro quo Symmachus, Vniuscuiusque viri expectationem perdis, interpretatus est,) hanc vim habet, hominem absque cælesti ope nihil esse omnino, nec tentationum imbres posse perferre. P O L Y C H R. Illud etiam fortasse dicit, \* montes quidem, vbi ceciderint, macere; & petram senescentem non omnino deleri; hominem autem deleri funditus & interire, nec quidquam reliquiarum eius manere. Quod ipsum deinceps planè ostendit.

*Proiecasti eum in finem, & abiit: adiecasti ei faciem, & dimisisti.* O L Y M P. Rursus hominis nihilum, si is cum Deo conferatur, lamentis prosequitur, vitæque breue curriculum ad precatorem, obsecrationemque vsurpat. Vt igitur à vento puluis.

\* Quos crediderim hec loca non pro natura, sed pro generatione vsurpauit

\* Imprudens dicit eam profet. Sed, Iuuuenius, August.

\* Cateri Iobi verba ad memoria interitum non ad humane nature abolitionem referenda: nec vilo modo putandum de animi immortalitate Iobum dubitasse.

\* Voces Impulisti.

puluis aut res quæpiam leuissima, in quamcunque partem impellitur; sic, te tantummodo impellente, aut minaciter ad spectum torquente, aciemque acriter intendente, homo amandatur & euadit, id est, moritur, nec apparet vsquam. Nam verbo illi, *Dimisisti*, hæc est subiecta sententia, A te illum alienum esse declarasti, & ablegasti.

*Mulci autem cum fuerint filij eius, nesciuit; & si pauci fuerint, ignorat: sed tamen carnes eius doluerunt, anima autem eius ingemuit.* P O L Y C H R. & O L Y M P. Luctuosam inquit, vitam traducit, & cum impendentem mortem semper expectet, animi ægritudine conficitur. Homo autem in animi doloribus, gemitibusque spirituum ducens ex iis, quæ post eum futura sunt, quam tandem capiat utilitatem? Quæ enim & quanta post eius interitum sobolis progressio fuerit, & cuiusmodi generis propagatio, pusilla, an ampla, ignorat. Tacite verò nos illud admonet, speciosam, copiosamque sobolem haud magni fieri debere. Nam motituro nihil istorum fructum adferunt; præsertim cum vnusquisque sibi, non alteri viuat.

### Decimi Capitis Protheoria.

**R**espondens autem Eliphaz Thamanites ait. O L Y M P. Quoniam his verbis oratus erat Iobus dicere, Nunquid vos estis homines? aut vobiscum finem habebit sapientia? etiam mihi cor est, sicut vobis. Idcirco his statim occurrit Eliphaz; atque huiusmodi habet cum Iobo sermonem, Nunquam videlicet sapientes suam ostentant sapientiam, vt tuipe fecisti. Atqui nihil necessarium attulisti, cur nil trepidans viderere. Nam dic, amabo te, vtrum ipse ætate cunctis hominibus antecedis? aut verò ante hanc rerum vniuersitatem conditam exististi? aut es à Deo suæ sapientiæ sacris, præceptisque imbutus, vt tantam tibi arroges scientiam? Illa verò audacia verba quæ tibi tandem exciderunt? Irreprehensibilis sum, & iustus apparebo? quando nec angeli nec cælum, nedum homo, qui impurus est, puritatem, munditiamque tueantur, si cum Dei puritate, illorum contendatur? Priscam igitur, veramque discere sententiam, ob peccatum hominibus irrogari supplicium. Postea ea, quæ impiis pariter contingunt, exequitur. Sed nimirum, propter peccatum afflicti homines ærumnis, verè dicitur: quamquam perpeffionis malorum non sit ea causa perpetua: sit enim interdum, vt ad exercendam, comprobendamque virtutem homines frugi calamitatibus implicentur. Itaque, cum ad sua verba Eliphazus nullam distinctionem adiunxerit, nullumque discrimen; Iobo, quem in eorum numerum, qui sua culpa patiuntur, aggregarat, nouam plagam inflixit. Et illud considera, quanto cum decoro à Iobi amicis disputationes, sermonesque habeantur; vt, vno dicente, reliqui silcant, vt alter alteri vicissim sermonem tradat, vt non ad inanem speciem orationem expromant; vt singuli eius orationis, quam prior aliquis orsus fuerat, exitum expectet. Hoc ipsum Paulus iis, qui in Ecclesia prophetant, faciendum præcepit, cum illis ipsis loquendi ordine, & nequa in rebus, quæ dicuntur, perturbatio in sit, imperauit. Rursus igitur Iobo respondet Eliphazus, propterea quod is primum est Iobo aduersatus, deinde Baldadus, ad extremum Sopharus. Itaque sermonum vicissitudinem, ordinemque persequens Eliphazus, iterum iis, quæ à Iobo dicta sunt, resistit dicitque;

*Nunquid sapiens responsam dabit sapientiæ spiritum? Et impleuit dolorem ventris, arguens in verbis, quibus non oportet, & in sermonibus, quibus nulla utilitas.* C H R Y S. Idcirco protinus Eliphazus eum peruellit, quia Iobus dixerat, Etiam mihi cor est, sicut vobis, & non sum insipientior vobis. En, inquit, is qui sapiens est, & qui cuncta nosse se iactat, cuiusmodi respondeat. *Impleuit dolorem ventris*, id est, Verba dicta sunt ad ægritudinem leniendam. Is autem morbo, perturbatio neque tumet. Hæc autem ad Iobi reprehensionem valent: duoque in eo reprehendit, vnum est, quod minimè inquit, sapienter fecisti: qui enim maxime sapiens est, is ad gloriosam ostentationem haud suam præfert sapientiam. Alterum est, quod,

CAPVT XV.

quod, quæ nos propemodum refellens, & quasi causa veritatis patiens, & mentis ventrem impleturus ( id enim valet, Implevit dolorem ventris ) attulisti, ea scilicet stultè non fructuosè, non quemadmodum decebat, attulisti. Quæ sanè omnia vitæ sapiens. Immo verò omnia secus molitur. Nam & prudenter responderet, & quamvis æmulatione veritatis inflammatus, dolore ardeat, & redarguere nonnullis optet, inutiles tamen, incommodoque sermones, quibus ventris dolorem expleat, minimè expromit, neque aspera vitur disputatione, ad mentis suæ astum, laboremque anxium exaturandum : idquod ipse fecisti.

\* oratio iur-  
is pudore, sicut  
probe, tenere.

Nōne tu repulisti timorē? (Pro quo Theodotio Nōne tu recusasti timorē?) Con-  
summasti autem talia verba coram Deo? Symmachus autem, Nullo\* pudore loquutus es coram Deo. OLYMP. Licentia, inquit, atque audacia vsus es, & sine metu aliquo dixisti, à Deo iudicari te velle, & contra Deum audacter lequutus es, nihil veritus, Dei, tuæque naturæ discrimine ignorato. Hæc pietatis studio, quasi Deo patrociniatè, Eliphazus, eiusque socij dicunt: ideo fortasse, quia Iobus incorrupta conscientia fretus, sermone apud Deum utebatur confidentius, eaque re impia ab eo iactari maledicta suspicabantur.

Reus es verbis oris tui, non diiudicasti verba potentum; arguat te os tuum, & non ego. Labia autem tua testif. entur contra te. POLYCHR. & OLYMP. Audacter hominem alloquitur, et verò non tanquam hominem iustitia præditum: non tam ex meis, inquam, quam ex tuis verbis condemnabere. Nosram enim adhortatione haudquaquam admisti, quæ ipsa vsque eo utilis erat. Nec eorum, qui sapientia pollent, verba aut considerasti, aut iudicasti, nec priscorum sapientum, nec amicorum tuorum. Eiusmodi tua fuit oratio, vt ea tantum condemnare te debeat; nihil præterea. Ea, quæ dixisti, aut etiam rerum ipsarum vim intueret: nimirum contra te ipse pronuaciabis, ea, quæ sunt à ratione quam remotissima, ausum te fuisse dicere. Dupliciter igitur illius orationem refellit, tum à tempore, tum à sapientia, dum ait,

\* An autem, are-  
navam acer-  
nos.  
\* quibusque

Quid enim? nunquid primus hominum factus es? aut ante \* colles concretus es? aut \* con-  
stitutionem Dei audisti? ad te autem pervenit sapientia? Quid sis, quod non sciamus? aut  
quid sapi ipse, quod non etiam nos? OLYMP. An tu ante res omnes, ante condi-  
tam naturam extitisti? vt propter tempus sis cunctis sapientior? CHRYS. Num  
ipse ætate cuncta præcurris? vt ipsa te longinquitas temporis erudierit? aut  
etiam à Deo audisti? sanè re nulla superior es nobis intelligendo. Quia enim  
Iobus dixerat, In longo tempore inuenitur sapientia. POLYCHR. Tenetis igitur,  
inquit, nec enim tempore cunctis mortalibus antecedis. Ac, licet ad hanc  
diem vixeris, vt multarum rerum vsu tuos æquales facile vincas; inter homi-  
nes tamen haud tantopere excellis, vt ab iis sis natura seiunctus, ac plura, quam  
cæteri perdidiceris. Neque ante montes concretus es. Montes hoc loco dicit,  
quæ edita sunt, prærupta & arenosa loca. Hebræus pro, concretus es, habet, Con-  
ceptus es. Aut constitutionem Domini audisti, pro quo Aquila, Arcana; Theodotio,  
Mysterium; Symmachus, Sermonem interpretatus est. Non secus, quam si di-  
ce ret, Num ea, quæ ante mundi molitionem fuerunt, sunt tibi percepta, perinde  
quasi ante colles fueris ipse procreatus? An etiam te Deus vsus est consilia-  
rio, quandoquidem in ista tua sapientia tantopere tibi places? Profer aliquid,  
quod sit nobis ignoratum: doce te nobis esse superiorem. Quid tandem noui  
cognitum habes, quod non sit nobis peræquè perspectum? In rebus humanis,  
& quæ in medio sunt, quid amplius, quam nos, possis ipse adferre, haud sanè ha-  
bebis. Hæc idcirco illi dicunt, vt suæ ipsi perfectæ scientiæ fidem adiungant.  
DIPTYM. Cum in sermone Iobus iniecisset Eliphazus, ea esse Dei iudicia, quæ  
peruestigari non possint, hæc re vna iusto persuadere se posse putavit, ob solum  
peccatum illum ærumnosè vexari: eratque Eliphazus ob id ipsum obnoxius cul-  
pæ, quandoquidem nec sibi erat Dei constitutio audita, neque ad se delapsam  
habebat sapientiam, quæ eum erudiret, cur pateretur iustus, nullam esse causam  
aliam, nisi peccatum. Nec mirum, si ab Eliphazo Iobus in cæterorum ho-  
minum ordinem redigatur, vt qui haud erat viri excellēs, spectata virtus. Quam-  
obrem

obrem de hominis frugalitate secus existimabat.

Et quidem senex & antiquus in nobis, grauior patre tuo diebus. OLYMP. Quid ais,  
inquit, tempore te doctum esse? nempe in nobis tribus fuerit fortasse aliquis,  
qui non te solum, verum etiam tuo patre sit ætate prouectior, seu, Symmacho  
interprete, tempore diuturnior. Aut igitur hoc dicit, Si tempus gloriosè iactas,  
nec nobis desunt antiqui. DIPTYM. Aut etiam illud fortasse, Quamuis ipse  
inter nos, tanquam senex, atque ætate superior, atque adeo patre tuo grauior  
versere; nil tamen, quam nos, plus sapis. Et hæc quidem interposita auctoritate  
arroganter loquitur Eliphazus.

Pauis, pro ijs, que peccasti, multatus es. CHRYS. Quia Iobus dixerat, Quæ nam  
sunt peccata mea, doce me; ideo criminum turbam illi exprobrat Eliphazus; di-  
citque, Scito, si tuorum peccatorum suppliciorumque sit facienda contentio, le-  
uitè supplicio affectum esse, nec pœnas erratis dignas adhuc dedisse. Cumque  
cum Iob certis criminibus nequaquam congreri posset, ad hominis condem-  
nationem eiusdem verba conatur arripere, dum ait

Vaidè exieisti loquutus es. Hoc dicit, Quia noxa, teneris, ideo pœnam sustines:  
sed, quoniam, cum ista toleras, iniustitiæ culpam Deo affingis; ideo scelus est  
tuum grauius: ita, cum audacia in Deum pœnas abs te dari oportuisset, nihil  
tamen es passus, Dei patientia atque clementia nefarium maledictum tuum su-  
perante. Ferme hæc est Eliphazi oratio, Sceleris te pœnitere, & modestiorem  
esse oportebat: at ipse audacter cum Deo disceptare es adorsus. Etenim, cum  
de eo, perinde vt de aliquo peccatis obnoxio, existimaret; & sermones, qui ab  
illius incorrupta mente proficiscebantur, accepissent, audaciam videlicet, into-  
lerandamque arrogantiam hanc esse arbitrabantur: stultè illi quidem atque adeo  
insipienter. Quamobrem Eliphazus ait

Quid ausum fuit cor tuum? Pro quo Symmachus, Quid eleuauit cor tuum? id-  
est, Quid tandem non cohorruiisti, cum vel Dei iudicium cogitasti?

Aut quid \* iustituerunt oculi tui, quia furorem rupisti coram Domino? eduxisti autem  
ex ore verba talia? POLYCHR. Non modò cogitare es ausus, sed etiam, aduersis  
oculis in Deum coniectis, es audacter loquutus, omnemque stomachum in  
Deum erupisti, nullaque verborum lenitate adhibita, vocem iracundiæ plenam  
misti; ac summa verborum grauitate es vsus, quando rebus tuis gestis inno-  
centiæ, & integritatis testimonium dabas. DIPTYM. Incredibilem orationis  
fiduciam ab animi integritate profectam, iracundiæ impetum illi esse credebant.  
Id autem illis accidebat, propterea quod hoc putrido nitentur principio, proba-  
bilem, rationique consentaneam dicendi libertatem impium esse conuicium.  
Idcirco ait, Quid tantum es facinus ausus, vt & in Deum aduersum torqueres:  
obturum? & quasi succensens illi, huiusmodi loquerere? OLYMP. Vel etiam,  
oculos animi aciem, & intelligentiam dicit. Quæ, inquit, ratione es ausus, ani-  
mum vsque eò efferre, vt iratus, & quasi iniusta ferens, cum Deo differeres?  
quasi verò nullius ad te culpæ contagio pertineret?

\* utique, reu-  
ita est Aug.

Quis enim mortali existens, erit irreprehensibilis? Theodotio autem, Quid est ho-  
mo aut tanquam futurus iustus, natus de muliere? POLYCHR. Hebræus au-  
tem, Quomodo iustificabitur proles mulieris? vt si diceret, Ipsa natura pertur-  
bationibus obnoxia, est ad peccatum procliuior. DIPTYM. Proprium est ho-  
minum virtute carentium, illius adeptionem molestam, arduamque existima-  
re; ita etiam animo affici, vt illam ipsam à nemine haberi propemodum credant.  
Quiddam huiusmodi hic ipse Eliphazus præfert, errorem, vt credibile est, à  
corporis imbecillitate aucupatus. Quis enim, inquit, homo cum sis, potest om-  
ni vacare culpa atque reprehensione? aut id etiam in se recipere, se iustum futu-  
rum? idquod tibi ipse arrogas.

Si in sanctis non credit, calum. autem non est mundum ante eum; desine autem abhomi-  
nabilis & immundus bibens iniustitias quasi potum Symmachus autem, Ecce in san-  
ctis eius nullus immutabilis, neque calum incontaminatum; quanto magis  
homo? POLYCHR. Attende, inquit, num quis hominum aliquando nulla ma-  
cula

cula aspersam vitam traduxerit: quandoquidem nec illos priscæ sanctimonie viros, Abraham, & Moysen, extra reprehensionem reliquerit: nam Abraham & Moysi visus est Deus irasci. Quia fronte igitur iustitiæ abolitionem ipse iactas, siquidem non solum sancti, verum etiam cætera omnia, quæ ab omni malo secreta esse videntur, statas sui quandam mutationem admittant? Neque verò peccatum aliquod in cæli natura collocat: verum illud coarctat ostendere, vnius Dei naturam esse tantummodo immutabilem, atque illum vnam mundum esse. Atque ideo dicit, neque cælum mundum ante eum; quamuis enim natura sit splendidum, tamen subeuntis nubis oppositu vis lucis eius occulitur. Quod si nec sanctos, nec angelos, nec homines omni errore liberare reperire fas est; si nec cælum ipsum vnum semper tueretur nitorem; sed eius puritas, si cum puritate Dei conferatur, sit & videatur impura: an non is homo audax fuerit, qui in suarum actionum castimonia gloriatur? Quid porro de eo dicemus homine, qui detestandus est & impurus? qui, ut ea, quæ potantur, flagitia exorbet: Quod ipsum propter eos dixit, qui sponte, certæque iudicio peccant, nulla re adueria, nulla necessitate coacti: se i voluptatis tantum adducti libidine, non secus quam is, qui sitiens bibit. Illud autem, *In sanctis non redit*, hinc commodam habere potest interpretationem; Nimirum sunt angeli mutabiles in adepti naturam, ita ut eorum nonnulli suam stationem deseruerint. Ergo, si illi mutabiles, qui fieri potest, ut reprehensionis experti sit homo? Sed neque ipsum cælum purum est, non quidem simpliciter, sed coram Deo. Illud item, *Disine*, sermonis lex & consequentio interpretatur, Quamto magis, &, Nedam: sed vulgaris & contritus usus, Mitte.

\* ἐπιλάθῃ. Ita & August.

*Annunciabo tibi autem audi me: quæ vidi annuntiabo tibi quæ sapientes dicunt, & non absconderunt patres eorum. Ipsis autem in solis dicitur terra, & non in supruenti eorum nige- na.* Contrahe, inquit, supercilium, mæamque complectere ditipiam. sapientemque audi sermonem, non recentem, non à me ipso fabricatum; sed quem ab antiquioribus, à patribus vicissim filij acceperunt; cui ipsa quoque experientia, tanquam vero, certam fidem atque auctoritatem tribuit. Ij enim, qui veri huius sermonis auctores fuerunt, adeo pietatem coluerunt, adeo fuerunt morum integritate insignes; ut iis solis Dei providentia rectis placide, tranquilleque vivere contingerit, ac sine metu & perturbatione terras suas incolere, nullo in eos hoste incurstante. Et sanè religiosi illis hominibus, Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, & Iesu auctoribus nihil ab aduerariis laedi, in beneficij gratiaque loco deferebatur. Verumenim cum fastidio hæc quodam animi & spiritus, Iobo dicere videtur Eliphazus. D I O X M I. Et fortasse nulla mentis arrogancia isthæc loquitur; sed ideo, quia peccatis teneri illum arbitrabatur, atque ea de causa sua Iobum cohortatione indigere. Et hic quidem videtur non ex aliqua scientia diuina, sed ex ipsa admiratione, qua scientia præstantes viros prosequitur, huic parem adferre sententiam, quæ confirmat hominis fidelis esse cunctas orbis terrarum opes; infidelis autem ne obolum quidem. Nam, licet infidelis in ampla sit possessione bonorum, nihilominus non dominus, sed seruus est diuitiarum: inseruit enim Mammonæ. Sed quinam priscus est sermo, quem à veteribus accepisse se dicit? Subiungit;

\* ὁμοιωσὶς λέγει τὸ φῶς καὶ τὸ φῶς. celebri illi pro verbo similitudinis quidam dicere. Est autem id inter Salomonis proverbialia.

*Omnis via impij in olivitudine* Pro quo Aquila, In dolore, interpretatus est; Theodorio autem, Infatuatus; Symmachus verò, Superbe extollitur.

*Anni vero numerabiles dati sunt potenti.* Symmachus rursus, Numerus annorum fortis absconditus.

*Tamar autem ipsius in viribus eius.* Quando videtur iam in parte agere, venit subuersio eius. Quod dicit est eiusmodi, Ac sanctis quidem huiusmodi est confectum vitæ curriculum. Impius autem, quamuis in rerum videatur vivere abundantia, tamen vitæ securitate non fruatur; verum tum perturbatione, tum cura semper vexatur: caduca eius est dominatio, plena terroris, pauoremque habet perpetuum in auribus commorantem. Imperique rinentem. Nam, qui peccat, semper timet, accusationem contra eum conscientia ipsa facitante: metumque semper

semper habet ob oculos obuersantem, futuramque perniciem personantem: omnis est eius vita sollicita suspicione; & cum ab omni periculo abesse videbitur, tunc inopinatus in eum incurret felicitatis interitus, extremumque supplicium perferre cogetur. Hebræus autè pro subuersione, Prædario, habet cum illustriore sententia. Hic igitur impius, quamuis in dominatione sit audax, sibi que præfidens; tamen intelligat annos habere se numeratos, nec vitæ spatium vlla posse dominatione augeri. Deus enim suo decreto tempus est dimensus hominibus; ut, quamuis, qui dominatu valet, insolenter se iactet, brevis sit nihilominus eius vita futura, annique pauci: ipse quidem numerus est in diuinæ mentis recessibus, nobisque obscurus. Is autem, qui exiguo est tempore dominatus, tandem in supplicij se laqueos induit. Ac fortasse his verbis Iobum latenter perstringit, qui breui felicitate usus, ad ærumnas postea est deuolutus.

*Ne credat averti à tenebris; decretum est enim in manu ferri.* Symmachus autem, Præfixus est enim in gladium.

*Ordinatus est autem in ibos vulturibus: nonit autem in seipso, quia manet in ruinam.* Dies autem tenebris ipsam circumaget, necessitas autem & tribulatio ipsum occupabit. O I Y M P. Tenebras dicit ipsum supplicium. Ne credat igitur impius sibi fore impune: diuino est enim sancitum imperio, ferro vitam illi eripiendam esse, & à vulturibus consumptum cadauer iacere debere insepultum. Ita, si facinorosus, vna sibi propolita iucunda & anteaque vita, vicissitudinem nullam expectat, in errore videlicet veritatur. Iam enim pronuncia: um est, ut sit supplicio obnoxius iam sibi pœnam, quæ ferri & vulturum nomine significatur, quasi thesaurum cumlavit. Quamquam Deus expectat, dum ille à mortis improbitate discedat, ut condemnatus extremum supplicium ne soluat, neve sepultura spoliatus honore proicetus iaceat inhumatus, efficaque volucrum euadat. Quod quidem certè illius ætatis hominibus graue iudicatum est genus animaduersionis: quamuis & illud grauius, quod idem impius conscientia coactus talia sibi prænunciat, ac vaticinatur. Is, inquam, est sibi conscius consequentis exitij, videtque sibi tenebras, perturbationem, afflictationem ac necessitatem esse subeunda; siquidem peccantium nonit conscientia, improbis, ac flagitiosis studiis perniciem comitari; sibi que tunc pœnitendum esse, cum inuader calamitas, cum summis difficultatibus affectus, cum nullam inueniens solutionem malorum, sed pœnis & cruciatibus perturbatus in illa tenebricosa die, de qua testatus est Amos, Quia dies Domini tenebra sunt, & non lux; quid inter pios homines, impiosque interfit, planè cognoscer. Vide igitur, ut non solum flagitiosi vita tumultuosa sit, sed etiam mors miseranda, nec vita vtunque turbulenta; sed ideo, quod vis, bellum, ac pugna infesta immineant. Is autem vbi emigravit è vita, non modò cura aliqua ac sepultura orneretur, non modò iaceat insepultus; sed etiam sit effica vulturibus. Nec verò cuiquam hæc, quæ ab Eliphazo dicuntur, efficere debent admirationem. Iam enim dictum est, ex antiquis forsitan isthæc promi auditio-nibus: illucque hæc pertinent omnia, ut intelligatur Iobum ob sua pati peccata.

*Sicut dux princeps cadens, quia leuauit manum suam coram Deo; coram Domino omnipotente erexit cervicem; cucurrit autem coram Deo per iniuriam, in crassitudine dorso sui eius.* O L Y M P. Ducem primum dicit eum, qui in bellis omni est præpositus exercitui. Ut igitur hic suis frater viribus, ac potestate, primus in hostes irruens, luculenta plaga accepta, nihil reliqui habet ad salutem, sic impius, qui manus aduersus Deum tollit, & quanta sit eius contra Deum barbaries, non tantum consilio, sed etiam re ipsa testatur; virtutisque iugo excusso, id est, omni vitæ suæ refectione contempta, gestientem vitulam imitatur, quæ iugum à ceruicibus suis depellit, & petulanter repugnans iugi anulum in collum inferendum haudquaquam admittit, atque in aciem secum ipse congressurus, cursu concitato propemodum fertur, secumque ita configit, quasi cum alio eiusdem naturæ aduersario cominus decertaret: & cum pro crasso scuto superbiam gesserit, suis-

\* ὁ ἀποστό- λος. quia in pri- ma versatur; aise.

Q 2 que

que ad propugnandam paratis armis confidat, nihilominus prosternebitur, & occumbit, non secus quam princeps exercitus à Deo contrapugnante fauciat. Illud autem, *In crassitudine dorso fuit eius*, ideo dixit, ut ostenderet eum, qui exteris præsidis septus, ac firmus sibi videtur, existimare diuinam à se plagam posse vitari. Nonnulli autem illud, *Princeps dux*, pro Diabolo sunt interpretati; enim contra Deum cervices erexit. Quemadmodum igitur ille cecidit, sic cadet omnis, qui Deo oblitet.

*Quia abscondit faciem suam in pinguedine sua*. Symmachus, Absconditus est enim. *Et fecit peristomium super femora*. Rutius Symmachus, Et incrassauit pinguedinem circa femina, O L X M P. Homines, qui delicate, molliterque viuunt, nimis delicis diffuentes, os quidem crassum adipe reddunt, germinata autem & circumfusa carne, quod peristomium vocat, femina vestiunt; perinde enim illa femora complectitur, & atringit, ut peristomium collum. Hoc, inquit, hominum genus impij imitantur, quos diuitiæ, atque delicis feroces & infestos reddunt; qui, cum nullam voluptariæ, ac lautæ vitæ inclinationem expectent delicis vndique perfluunt, carnisque viribus freti, audent cum Deo congredi, & contra illius iussa pugnare. Itaque similiter, ut Dei hostis ab eo affligetur, ac deprimeretur impius. Hebræus pro, *Abscondit faciem suam*, habet, *Cot*: ut diceret, Propter delicias mentis ad spectum amisit. Pro peristomio autem habet, Axungiam, & diploidem, id est, immoderatæ escæ & corpori se ipse mancipauit; ut iam omniam offusam carnem, tanquam diploidem habeat iniectam femoribus. Symmachus porro, In inquine, dixit. Eodem isthæc recidunt omnia.

*Laus autem ipsius iniuria*. POLYCHR. Quod si quicquam videtur aggredi, cum Dei gloria coniunctum, illud ipsum est supplicio dignum. Nam, cuius est vita dedita sceleribus, pietatisque fallens assimulatione, is Deo iniuriam facit, Deoque honorem tribuit nullum, cum Deo illa credat esse ignorata, quæ is turpiter agit. Vel aliter, *Quia*, ut dictum est alibi, non est speciosa laus in ore peccatoris.

*Et habet autem civitates desertas, ingrediatur autem in domos inhabitatasque illi parauerunt, alij auferunt*. Summa rerum omnium orbitate impij conflictari docet: quandoquidem pro opulentis urbibus ac domibus, coactus inopia solitudinem habitare cogitur. Hic igitur, inquit, cum res suas amisit, omnique fuerit dominatione spoliatus, solitudines persequetur. Exulum est hic mos, quælibet loca ad salutem captare, ubi consistant ad periculum, quod impendet, propulsandum. In his ergo est impius, in his, inquam, qui cum dignitatis mutationem sustinent, arrogantia, atque intolerantiæ suæ pœnas luunt. Illa etiam, quæ magno labore eis sunt parta, ad alienos demigrabunt. Deinde, impij pœnam dum amplificat, non modo illum non abundare opibus pronunciat, verumetiam fortunis euertere confirmat his verbis;

*Neque ditescat, neque permanent substantia eius*. Id est, Non solum præsentis opes non augebit, verum etiam amittet; nec ea, quæ absunt, adipiscetur; neque ea, quæ adlunt, tuebitur.

*Non iaciat super terram umbram, neque fugiat tenebras; germen eius tabesciat ventus; decidat autem flos eius; non credat, quod manebit, inania enim euenient ei; inciso eius ante tempus corrumpatur*; & *Rhadamnus eius non tegat; vindemietur autem sicut vna acerba ante tempus; decidat autem sicut flos olive*. Translatio, quæ à viridi, vberè que arbore, & ante senium excisa, & in ipso flore exarescente sumitur, impij conditionem describit, in vitæ oblectamentis ad extremum spiritum minimè commorantis. Ergo illud, *Non iaciat super terram umbram*, pro eo est, Excindatur; ne ad pristinum iucundæ vitæ statum aliquando sit ei reditus. Id verò per metaphoram sumpsit à plantis, quæ, priusquam adolebant, exarescunt, tanquam si diceret, Ne memoria quidem extabit vlla. Arborea enim, quandiu stant, umbram mittunt, abscissa nequaquam. Nam, cum corpora umbram efficiant, corpore sublato, coherere illa non potest. Illud item, *Non fugiat tenebras*, hoc valet, Perfectus illum excipiet interitus, & supplicio, quo eripi non poterit, constringetur. Sed

Sed etiam impius, inquit, extabescet, similiter ut germen, vento fiante, tabescit. Iam verò illius felicitas & gloria tanquam flos deciderit, idque ad eam sententiam apte, Omnis gloria hominis tanquam flos fœni. Germen autem dicit filios, verbo ab arboribus trāsato, ac si dicat, Eius soboles omnis delebitur, diuinaque vitio more ardentis æstus cum eum liberis perdet; ita, ut ne posteris quidem vilius memorie prodantur reliquæ. Et illud, *Non credat quod subsistet*, huic par est, Ne putet impius, qui apud Deum offendit, res suas in tuto fore collocandas. *Inania enim ei euenient*, id est, Omnem ludet operam is, qui non ad diuinas leges vitam instituit: omnis enim illius actio vanitas est, cum nihil, quod subsistet, habeat: quare flos ei deciderit, & germen contabescit; neque enim perfectæ frugis tempus expectat. At illud, *Inciso eius ante tempus corrumpatur*, id est, Ætate immatura decedat, immaturusque illi ipsi accidit interitus; dixit, transferens à vitibus, quæ, si statis temporibus putantur, fructum adferunt; quod si alieno tempore id ipsum fiat, intereunt. Dicit igitur impij, antequam suis potiat, funditus interiturum esse. In hoc loco, *Ante tempus*, percipiendæ frugis, fructusque gignendi tempus declarat, ut cum illo congruat. Tempus vindemiæ: nempe ad hoc tempus lobus peruenit, tanquam maturum frumentum opportunè demessum. In beneficij autem diuini parte numerandam est, vitiositatis fructum ante tempus corrumpi: cum medicus etiam sæpenumero lucem corpori penitus adhærescentem ferro excindat, nec cesset ea, quæ ægrotanti odiosa sunt, præbere, donec ad valerudinis metas ægrum deduxerit. Porro illud; *Rhadamnus eius non tegat*, siue, Non obumbret, pro quo Symmachus dixit, Non prosperè germinabit, cum hoc exæquatur, In bonorū affluentia non consistet: Nam *ramus eius est*, Ramis oparare. Est autem Rhadamnus arboris ramus virens, confertusque foliis umbram adferens: huiusque nominis causa fuit, \* quia facile ab æstu aut ab quapiā alia causa domatur, ut qui tener sit & antegrèdiatur. Deinde in verborum translatione perseverans, in vna acerba rursus mortem immaturam expressit, quemadmodum amissionem bonorum in oleæ flore defluente; quasi dixerit, Omnis, quæ videtur eius esse felicitas, refutatur, occidit, contabescit: \* flosque, qui principium, & quoddam est fructus inchoamentum, irruente tentatione, veluti vento quopiam adurente, deperdita atque defluentia. Postquam calamitates est persequutus, impij exitum, interitum esse pronunciat his verbis;

*Testimonium impij mors*. CHRYSOST. Id est, Certum est argumentum accusatio, testimonium hominibus, cunctis impiis sic euenire debere: nec quidquam, inquit, mirandum, cum mirabilis sit exitus impiorum, mors inquam ipsa haud obicura est impietatis mortalium significatio; exitus probabit videlicet, cuiusmodi eorum sit condicio. Nam, quemadmodum florētem statū iustitiæ argumentum & signū cōstituit; ita improbitatis ærumnam, atque infortunium. Vel aliter, *Testimonium impij mors*, id est, insignis, sub aspectum subiecta, ignorata nemini. Ac, si libet, ad hunc etiam modum commentare, Ad summum perducta improbitas interitum affert, non quidem communem, sed vtrionis.

*Ignis comburet domos eorum, qui dona accipiunt*. Iram diuinam, quæ infideles, avaros, & ob largitiones ac munera ius violantes prorsus consumit iacē dno, ignem appellat. Nec verò id, quod dictum est, fructu caret opportuno: siquidem ob iniustia, impiaque facinora hæc impij pariuntur omnino.

*In utero concipiet dolores, contingens autem illi vana*. Aquila autem, Concepit, & peperit infructuosum.

*Venter autem eius feret dolum*. Dolores, inquit, contra alios impius meditatur, cumque apud illum dolus resideat, de dolore cæteris inferendo deliberat. Ita eius euentus, & exitus erit inanis, atque stultitiæ similis. Illud autem, *Feret dolum*, hoc ostendit, sponte, certoque consilio fraudes ab impiis concipi. Ventrem autem vniuersa præcordia, partesque interiores atque adeo animum ipsum nuncupavit; dolum autē omne vitium, quod ab impij manat anima, doli procreatrix. Aus igitur hoc dixit, fore, ut impius aduersus alios dolore concipiat, parensque sit flagitiosa prolis, cui etiam aduersus alios cum dolore concepta iniquitas, &

\* *maioris*  
pudias  
est  
est

\* *Hic etiam*  
in Græco  
est  
plari est ordo  
perturbatus.

fraus ad nihilum recidat. Aut hoc indicat, eos, qui impiè scelerateque locupletantur, more parientium mulierum in adepta bonorum possessione doloris sensum habituros, illorumque exitum inane, ac stolidum futurum; siquidem iis, qui rebus omnibus circumfluunt, calamitas accidere solet atrocior. Cum enim quamplurima coaceruarit, tamen ex ea re nullus eidem quæstus accesserit, ab illo rapinarum pœnas Deo exigente; nec quidquam præter miseriam illi ipsi remanebit. Et, cum hæc velit Eliphazus ad Iobum pertinere, supponit alienos. Huiusmodi est tamen eius quædam oratio, *Quamuis, ô Iobe, multo suscepto labore, iniuriaque aliis inferenda opes coaceruaris; nihilominus haud ea tibi industria extitit quæstiosa; quippe qui nequitia pœnam persolueris; nempe fraus, quam in alios meditarus es, ac machinatus, se ipsa vlciscetur. Ventrem autem, ipsam cogitationem, animûmve dicit.*

*Protheoria Capitis Vndecimi.*

*Stiptens autem Iob dicit.* Dixerat Eliphazus impiis irrogari supplicia. Huic orationi Iobus statim occurrit, dicitque, *Audiui talia multa.* Succenset autem amicis, qui ad consolandum sermones nescirent adhibere: illudque animaduertit à Deo se Diabolo traditum: sed tamen eius rei causam ignorat. Deinde suas commemorat ærumnas: petitque, ne res eius silentio obuantur: Deum item conscientia suæ testem dilaudat: optatque interitum: ac rursus mala vsurpat sua: gemitu demum ac lamentis orationem concludit.

*Audiui talia multa.* Hæc, inquit, quæ adferuntur de impiorum supplicio, sæpenumero mihi audita sunt. Quæ contrita sunt, mihi dixisti, ac specie assimulata adhortationis, exprobrasti; communia sunt isthæc omnia verba: iis enim, qui nihil patiuntur mali, facile est longioribus sermonibus cohortari euerfos, atque calamitosos.

*Consolatores malorum omnes.* Pro quo Aquila, Consolatores dolorum; Theodotio, Laborum; Symmachus magis enucleatè, Consolantes omnes molesti estis. *GREGORII.* Vel eos, qui secum erant summa necessitudine coniuncti; consolatores habebat tantummodò, non curatores malorum; qui calamitatem quidem contuebantur, calamitatis autem arcanam rationem ignorabant. Neque enim plagam illam ad virtutis comprobationem, sed ad solutionem pœnæ referebant: nec opinabantur solum, sed etiam ipsam ærumnam eidem exprobrare minimè verebantur, eo præsertim tempore, quo, tamen propter improbitatem illa Iobus pateretur, decebat nihilominus acerbum, qui aderat, calum, verbis ad solandum idoneis & artificio quodam mitigare. *OLYMP.* Vos, inquit, mali estis consolatores, dum verbis ærumnas meas amplificatis, & vt videtur, à scopo aberratis. Nam, cum consolandi causa adieritis, me cruciatibus identidem laniatis, hominem, qui conuiciis læsit neminem.

*Quid enim? nunquid ordo est verbis spiritus? aut aliquid molestum erit tibi? Quare respondes, etiam ego, sicut vos, loquar.* Nec ordine, inquam, nec decore loquimini. Quis te tandem lacesiuit, cur in me tanto stomacho inucherere? Quid enim? annon certa quædam est lex iis, quæ dicuntur, repugnandi? an à quopiam coacti estis, vt cunctis meis sermonibus contradiceretis? Verùm, quandoquidem sic ipsi statuistis, quandoquidem is, qui dicit, pro sua libidine loquitur, vestram ipse quoque orationem imitabor, rectèaque mente vos refutabo.

*Si subiecta esset anima vestra pro anima mea.* Si, hoc loco est pro, Vtinam ead: sic enim interpretatus est Symmachus; Aquila verò, *ἐπεισό*, Vtinam.

*Deinde insultabo vobis verbis; mouebo autem contra vos caput.* *SEVERI.* Iobus vir incredibili mentis celsitudine, iam fortunis euerfus, iam liberorum cœtu orbatus, constanter vlcis ferens acerbiter, cum in sua calamitate perperam amicos philosophantes animaduerteret; à quibus iustus ideo prædicabatur Deus, quòd in illas cum ærumnas coniecisset; temporis vsus opportunitate, eos compellat; homines videlicet, qui earum rerum, quas sentiebat ipse, sensum illi nullum

Ium acciperent. *CHRYSOST.* Optarim ipse rationes vestras cum meis esse coniunctas, measque à vobis suscipi calamitates: fortasse tùm ego quoque caput mouerem, quasi vestris malis gratulans; & ea, quæ facitis ipsi, facerem ego quoque. Tunc demum disceretis in alienis malis minimè philosophari. Verùm enim hoc etiam tempore loquar: res enim ipsa mihi consolatione adferret. Quamquam corandem verborum ad huc modum lectio potest esse morata, Si in meis vos miseris versarem, vtrum ipse in vos verbis insultarem? aut etiam caput contra vos iactarem? minimè verò: quin etiam verbis ad leuandam ægritudinem accommodatis, vos ipsos erigerem. Hanc ipsam sententiam cum alius quidem interpres animo informasset, huiusmodi interpretationem fecit, Si meis ipsi malis vgeremini, profectò alio verborum genere vobiscum esse congregatus, capitisque motu vestrum ad me dolorem pertinuisse declararem, meoque vos ore confirmassem: pro quo Septuaginta;

*Sit autem vobis in ore meos motui autem labiorum non parcam.* Vtinam tantum in me, inquit, facultatis esset, vt oratione possem meas ærumnas complecti. Non autè d. sinerem, quam sub adspæctum meas calamitates subiiciss. m: hac forsitan ratione veniam mihi tribueretis, si modo mihi contenta voce aperta que oratione apud vos vti liceret. Quæ deinceps sequuntur, legito cum interrogatione;

*Si enim loquar, non dolebo vulnere?* Ac si diceret, Profusus dolebo.

*Si autem tacebo, an minus vulneratus fuero?* Id demum dicit, *Quamuis doloribus prosectus loquutus fuero,* tamen non solum nulla consolatione habear dignus; (id quod Symmachus. Nec remittet dolor meus, interpretatus est) sed etiam in graviora incidam mala; cum me vnusquisque tanquam nefarium Dei obretractorem condemnabit. Quòd si silentio ferre voluero, non modo nulla mihi philosophia gloria parta sit; sed etiam multò magis tanquam violatarum legum reus condemnaber, cum silentium à conscientia earum rerum, quæ dicuntur, profectum existimabunt. Quamquam, si mihi tùm dicenti, tùm tacenti dolendum sit, dicere fatius fuerit, ne fortè taciturnitate vestram accusationem videar comprobare. *DIODYMI.* Fortasse etiam suam cupit erga amicos egregiam animi voluntatem declarare. Quia vestra, inquit, salus mihi cura est, idcirco vel in hoc meo cruciatu vos commonefacio. Nam, licet alij, cum dolent, suis ægritudinibus contenti sint, mihi tamen est meorum amicorum salus potior.

*Nunc autem lassum me fecit, stultum, putrem.* *OLYMPIOD. & CHRYSOST.* Nec satis est, inquit, me torqueri suppliciis, stultus & amens etiã videor. Enimverò hic ipse cruciatus me lassitudine confecit, concidit, ac putrefecit, vt pænè videar à communis naturæ sensu abalienatus. Aut id etiam significat, Dei permissu factum esse, vt me doloris sensu carere, amici mei suspicerentur, neque me his rangi ærumnis. Nam *stultum*, hoc loco dixit pro, Nihil sentientem. Ideo adhuc *Putrem*, adiunxit, quando putridæ corporis partes sensu priuantur.

*Et apprehendisti me, in testimonium factus sum.* Alij codices habent, *Apprehendisti me.* Si sequamur illud, *Apprehendisti*, pro quo Symmachus interpretatus est, Collegisti me indefinenter in iugo; nempe cum Deo loquitur, simul ac pusillum me, & imbecillum, tanquam fortis ipse ac robustus attingisti, in exemplum propositus sum vniuersis, propter peccata in cruciatum me datum esse. Sin autem retineamus, *Apprehendisti me*, sermo erit ad amicos de Deo huiusmodi, Quia me tetigit, certam mihi re fellendi rationem suppeditauit. *In testimonium factus sum*, id est, fortitudo mea omnium est fama, atque sermone percelebrata. Quamquam verior est prior explicatio, scilicet, Postquam me Deus multauit, omnes sibi mei acculandi occasionem oblatam esse arbitrantur, meaque pietatis inquisitionem omnem contemunt. Ergo illud, *In testimonium*, id est, est quod, Ad criminationem.

*Et surrexit in me mendacium meum, & in faciem meam respondit.* Hoc apertius Symmachus dixit, Surrexit in me mendacium, in faciem meam contradicens mihi. *OLYMPI.* Dum hæc, inquit, ipse perfero, causam contra me fingendi mendacia



cia arripuerunt, vt nec illud coram, mihi obicere vereantur, peccati à me po- nas dari. P O L Y C H R O N. Et me criminatio inaccessit, nulla illa quidem veritate, solis autem ærumnis subnixæ; nec quisquam è rebus, sed ex iis tantum, quæ acciderunt, malis pronunciat. Quando autem dicit, *Surrexit mendacium meum,* ipsi mendacio tanquam alicui personæ speciem accusationis affingit. Hanc enim vult ipse exprimere sententiam, Vos freti mendaciis, in me impetum fecistis; nec quidquam veritate reueriti, nimium audaces, ac præfidentes ad me refutandum estis aggressi.

*Iracundia vsus deiecit me, fremuit super me dentibus.* O L Y M P. Hæc si de ipso Deo loquitur, vehementem eius iracundiam declarat. Similiter enim se mihi præbuit, vt ij, qui præ iracundia dentibus strident. Quod si de Diabolo atque Dæmonibus hæc ipsa dicantur, fermè totidem, iisdemque verbis de iis magnus cecinit Dauid, *Frenderunt super me dentibus suis.* Cùm enim circumeat quærens, quem deuoret, merito tanquam leo fremere dicitur.

\* Totidè ver- bis August.

\* *Sagitta piratarum eius super me deciderunt.* Si de Deo hæc dicantur, subitum malorum agmen, quæ in illum incurfarunt, planè ostendit; acsi diceret, Supplicia tanquam piratæ quidam in me repente intrerunt. Quod si ad Diabolum referantur hæc ipsa, piratæ eius Dæmones dicit, qui eius ministri sunt & satel- lites.

*Spiculis oculorum irruit.* Et hoc Symmachus est planius interpretatus his ver- bis, Aduersarij mei acuerunt oculos suos, vnusquisq; in me. Vt huiusmodi quæ- dam indiceret sententia, Non solum dentibus fremendo, in me iracundiam ex- promptis. Vtercumque tandem is fuerit, siue Deus, qui licentiam permisit; siue Diabolus, qui opus perfecit; sed ea re etiam, quod acri ac vehementi oculorum coniectu, quod truci & immani adspectu, quod horribili specie in me insiluit. Nonnulli verò sic commentari sunt; Luculentis mihi plagas inflixit, & meos oculos, quasi sagittis ac spiculis vulnerauit. Sunt autem *axides* sagittarum cus- pides. Meminit autem oculorum ad vulneris atrocitatem significandam.

*Acriter percussit me super genua.* Me vehementer, inquit, fauciauit, vt iam ge- nua mea dissoluta sint, atque labascant.

*Vnanimiter autem concurrerunt in me.* Diuina scilicet supplicia, aut etiam Diabo- li piratæ. Oratione autem adumbrat omnia, quæcunq; sibi graua acciderunt, fortunarum, bonorumque amissionem, corporis afflictationem.

*Tradidit me Dominus in manu iniustorum; impijs proiecit me.* Symmachus autem, In manus impiorum proiecit me. Nempe hæc causæ est expositio, Hæc eò con- tigerunt, quod me Deus hostibus tradidit, à quibus sunt mea direpta. Iniustos autem & impios, ipsos piratas dicit, non amicos suos.

*In pace me degentem discerpit.* Et hoc summam habet, inquit, acerbitatè, quod, cum in summa securitate, atque in rerum omnium abundantia degerem, protin- us bonorum possessionem eripuit, ac profligatis hominibus diripiendam tra- didit.

*Et tenens me coma, diuellit.* Comam ipsum ornatum, ac felicitatem appellat: vt- si diceret, Vitam illam meam, quæ otium, tranquillitatemque complexa erat, il- lam bonorum copiam, illam dignitatem & gloriam abstulit, ac dissipauit. He- bræus sic, Apprehendens me neruo \* colli, excussit, ab iis sumpta metaphora, qui conrentione, atque iracundia inflammari luctantur, & aduersariorum cer- uicibus manu iniecta, illos excussos ad terram allidunt.

\* *νεοὶ* est autem col- li neruo, qui ad ralos vsq; producitur.

*Statuit me tanquam signum, circumdederunt me lanceæ, iaculantes in renes meos, non parentes.* O L Y M P. Quia Deus, inquit, me tanquam signum proposuit, qui cunctorum iacula, ictusque exciperem: idcirco quibusdam quasi telis meos re- nes confixerunt. Quibus verbis occulta & mortifera vulnera significauit; huc enim exemplum pertinet. Illud autem, *Tanquam signum,* hoc valet, vt ad scopum iaculentur, vt omnes contra me collineent: quod ipsum effecerunt. Etenim me circumsteterunt, studioque acri adhibito, plagis affecerunt, nec vllam crudeli- tatis partem prætermiserunt. Ideo verò hoc dixit, quoniam nihil ei planè fa- ctum

ctum est reliqui. Postquam autem dixit, Signum sum cunctis propositus, & iacu- lis appetor, in metaphora perseuerans, vt is, qui præcordiis telum excepit, ait; *Effuderunt in terram sel meum.* Idest, profus cunctis me rebus nudarunt; si quid mihi restabat ad vitam, omni exhausto.

*Deciderunt me prostratione super prostrationem.* Hinc nunquam interrupta suppli- cia, & alias post alias exortas calamitates, quæ illi ferendæ fuerunt, ostendit.

*Cucurrerunt ad me potentes.* Idest, ad præcipuorum bonorum meorum direptionem aduolauerunt; quod sibi collibitum fuit, perfecere: siquidem Dei ira, vt fa- cilè captari possem, effecit.

\* *Saccum assui in orio meo.* Aut hoc dicit, Nigrorem nacta est cutis mea pro- prex cruciatuum acerbiteratem, quasi saccus quidam ex villis contextis effectus. Aut illud docet, Quæmadmodum, qui saccum gestant, corpore conturbescunt, ac macie conficiuntur, sic se planè tabescere. Vel denique hoc dicit, Qui antea splendida, & regali veste eram indutus, nunc est mihi saccus amictus, & in squa- lore ac sordibus iaceo, illa superiore facilitate funditus euerfa.

\* August. habet, *di- cti assuevit.* Sed Vulgata latina legit, *Coniui.*

*Rebur meum extinctum est in terra.* Omnis, inquit, illa mea potestas atque fa- licitas, omnis gloria, & dignitas extincta est, atque deleta.

*Venter meus combustum est à planctu: & super palpebras meas umbra.* Ventrem ani- mam dicit, vel quia addita est, fugique obturum: vel quia, qui à ratione suppe- ditantur, cibos concoquit ac distribuit: dicit igitur, Anima mea ardet, nec la- crymæ quicquam remittunt; vt iam oculorum meorum acies detrimentum acceperit: vel etiam, quia ægritudine confectus pænè verfor in tenebris. Alij autem codices habent, *Umbra mortu,* tanquam si diceret, Ipsam mortem ante oculos fero.

*Inultum autem nihil fuit in manibus meis; oratio autem mea munda.* Illud me maiore molestia, ac dolore afficit, quod nul ius flagitij conscientia teneor, nec quid- quam aliud scio, nisi merita mente Deo preces adhibuisse. Quamobrem ad- mior magnopere, cur hæc ipsa sustineam. Itemque illud animaduerte, puram Iusti fuisse precationem, nulli perturbationi admittam, nullis mentis fluctibus, occupationibusque succumbentem, curis nullis distractam.

*Terra, ne operius in sanguine carnis meæ; neque sit locus clamori meo.* O L Y M P. & P O L Y C H R. Estuans terram alloquitur, ad eliciendam misericordiam verba vsurpans; quanquam optantis more dictum est: hæc autem est eius oratio, O terra, mea hæc ne tacetas; neque meum contegas sanguinem, haud iustè è meis carnibus effluentem: quietiam meus sanguis perinde vt Abelis, vociferetur: ipsa Deum prouoca ad vlciscendum, vt quæ sis mei corporis sanie resperfas; ne- que clamorem meum cohibear acris; neque gemitus mei, atque lameta loco con- sistant, neque occultentur, neque obliuione aliqua obliuerentur: verum ad cæ- lum vsque vocis meæ contentus sonus perferatur; vt Deus malorum, quæ con- tingunt, vindex sis; & qui eorum sunt auctores, vlciscatur; vt eorum, quæ à me in vita sunt gesta, innocentiam curæ faciat insignem. C H R Y S. Mos est eo- rum, qui in ærumnis, malisque versantur, vt nolint sua mala celari. Tantum ab- est, inquit, vt facinoris vllius mihi sim conscius, vt etiam optem, incommodo- rum, quæ fero, omnes esse spectatores. O L Y M P. Nempe hæc ipse, ô Beate, non magis vt supplex, quam vt vates enunciaisti; neque enim sunt in operio res tuæ; vt cum tua certamina, tuæ luctationes, tua virtus, & inuicti animi robur, tua tolerantia, tuæ victoria præmia, tuæ coronæ, tua præconia in nostrum om- nium ore versantur.

\* Cum lectio ne Catene co- sentii vulgata latina. Aug habet, Operiar: Græ- ci codices im- pressi, *ἐπιμαρ- τήσιν.*

*Et nunc ecce in celo testis meus, conscius autem meus in altissimis.* O L Y M P. Sanè animi id est, nulla labe aspersi, eximiaque & singularis caritatis, nec on vtracis conscientia, illum oculum, qui omnia conuertur, testem dilaudare. P O L Y C H R. Dei, inquit, iudicium, appello. Is enim, cùm perfectè cognoscat omnia, neque ex iis, quæ videntur, sed ex ipsa veritate sententiam ferat; scilicet eorum, quæ à me dicuntur, testis esse potest.

*Perueniat autem oratio mea ad Dominum; coram autem eo stillet oculus meus.* C H R Y S. R Sic

Sic propemodum dicit, Audiat hæc Deus, hæc Deus cognoscat. P O L Y C H R. Vbi meis precibus annuerit, lachrymantemque fuerit miseratus, homini misere verato ius dicere ne grauetur. O L Y M P. Necnon illud tibi, vir clarissime, ex animi sententia euenit. Tuas enim pugnas, atque congressiones magaus agnotheta spectabat, tuæque supplicationi fauit, ac tuas præclaras lacrymas adspexit: nec verò certaminum causam ancipitem, dubiamque reliquit. Porro, beate, tantum lugentibus tribuitur, vt eorum lacrymæ coram Deo stillent.

Sic autem redargutio viro coram Domino; Et filium hominis proximo suo. Mihi, inquit, atque iis, qui me exagitant, præbeat se Deus auditorem, liceatque mihi cum aduersariis meis disceptare. Et proximos quidem dicit amicos suos: virum autem & hominis filium seipsum nominat. Ipsumque iudicium vsque eò illustre fore confidit, vt nemini debeat esse obscurum, non secus, quàm si de hominibus, interque homines factum esset: idque à principibus transulit, qui res omnium auribus exquirere consueuerunt. Et nimirum hoc etiam variatando Iobus pronunciauit: namque Deus, iis auditis, quæ ab litigantibus disceptata sunt, Iobum quidem iustum pronunciauit; amicos verò eius condemnauit.

Anni verò numerabiles aduenerunt; via autem, qua non reuertar, ingrediar. Rursus vitæ perbreue spatium ad supplicationem adhibet, docetque eum, qui semel excessit è vita, ad hanc ipsam vitam ei non futuram esse amplius reuersionem. Quare de his ante mortem, vt transigatur, postulo, solatium maximum ratus, si res ipsæ planius fuerint demonstratæ.

CAPVT XVII.

\* Aug. De fide spiritui: Græcè, ἀλιεγμαι πνεύματι πνεύματος. \* Λιόσμαι. eum ex Aug. tū ex vi verbi interpretati sumus, Preces adhibeo: et ias Olymp. existimet hoc loco pro ἀλιόσμαι. \* Aug. Cor eorum abscondisti: itaque legit, ἔκρυψας.

Græuiter \* discrucior spiritu agitato: rogo autem sepulturam, & non adipsos; preces adhibeo laborans: & quid faciam? Malis oppressus animo sum perturbatior; præsertim cum iudicem nullum habeam iniuriarum, nec vllam miseriarum liberationem reperiam: vitæ exitum nullum inuenio. Verùm cogitatione in omnes partes distractus, & quæcunquè mihi acciderunt, contemplans, mortem experior. Quocirca & exopto interitum, & angor vehementer, quòd hunc inuenire non possim; nam illud, \* Preces adhibeo, pro, Dubitatione æstuo, dixit. Et illud precor, vt ad sepulturam detur corpus meum; nec id tamen, quod opto, consequi possim; quin etiam deludor. Attende igitur illud ipsum, quod nos principio diximus, illi quidem mortem expetitam esse, sibi que ipsum manus potuisse adferre: sed tamen illas ipsas eò abstinuisset, ne eum, à quo tenebatur constrictus, quapiam iniuria afficeret.

Furati autem sunt bona mea externi. Equites & hostes, qui, præda ex meis fortunis per imperium capta, profugerunt. Ego verò quasi in angulum, latúsue obliquum coniectus, in summa malorum tempestate fluctans exitum miseriarum videre nullum possum.

Quis est hic? Colligetur manus mea: quia \* cor suum absconderunt à prudenti; ideo non exaltabis eos: parti annuncias malitias. P O L Y C H R. Horum versuum hanc non nulli adferunt expositionem, Quis mecum vult in iudicio disceptare? ad manum meam alligetur, vt vnà ad diuinum tribunal deducamur, Dei iudicium subituri. Ac, si quispiam putat, à me præ animi angustiis augeri meam, is prodeat, orationemque refellat, ac dictorum iudicio pari contendat. Post de amicis dicit, ab iis, cum prudentes videantur, suum tamen ipsorum occultari consilium; præsertim cum intelligant, inquit, nihil in me se posse reprehendere; iidemque, cum Deo patrocinari se putent, contra me ipsum mentiantur: vt minimè mirandum sit, quòd sermonibus meis contradicant: iis enim est causa deterior pro meliore electa. Hæc igitur aliorum est explanatio. Mihi autem antegressionem consequutionemque verborum consideranti, hæc, quæ interiecta sunt, per consequentiam cum illis videntur esse connexa: Dixerat enim, Quia furati sunt bona mea alieni; eorum etiam iniquitatem cupiditatemque exagitant. Ergo, ne sit improbitas virtute gloriosior, nec maius sit perditorum hominum, quàm frugi compendium, Deum precatur, vt raptorum factum obterat, eosque in potestatem iusti hominis redigat. Itaque dicit, Quis est hic? Iniquus videlicet, & alieni appetentissimus: ne liceat illi esse dissoluto, sed prohibeat, cohibeat, in manus

manus meas veniat vincetus. Et quoniam cor suum à prudentibus, sanctis, honestisque cogitationibus, atque consiliis abduxit, iccirco nulla sit iniquis potestas, animi elatius intendendis; immo verò eorumdem deprimatur, deiciaturque arrogantia; eiusdemque vitiositatis factioni, iis inquam, qui homini iniusto pari sunt morum societate coniuncti, nuncietur calamitas: vt, quæ sunt ex eodem genere, minimè audeant; verum poena ipsa, & calamitas vni profligato homini importata, hos erudiat, modestoque reddat: ac pæne ille ipse, qui fuerit ad calamitatem depulsus, malum suum cæteris nunciabit. In hanc me sententiam ille, qui verba hæc paulò post consequitur, versus induxit, Iustus super impium infurgat: habeat autem iustus viam suam. Deinceps pergit iustus suas arumnas commemorare: ac dicit;

Oculi autem mei super filios extabuerunt. Perpetuum luctum, quo profectus est liberos, tragicè exponit. Ac vide quemadmodum non dicat, propter fortunarum amissionem suos oculos extabuisset; (neque enim magno illas æstimabat) sed propter repentinum natorum interitum. Hi enim eum, vt qui communem sensum doloris minimè aspernaretur, grauiter exulcerarunt.

Posuisti autem me celebratum sermonem in nationibus. Alij, Parabolam, dixerunt. Risus autem ipsis enasi. Res, inquit, meæ sermonem locis omnibus celebrantur, ac cunctis sum ridiculus: tanta est vis calamitatis, vt ad eos etiam, qui sunt longioribus locorum intervallis distuacti, permanarit: res item meæ in cunctorum sermonem inciderunt: quibus ipsis cum misericordiam aliquam tribuere deberent, cum bonorum amissionem, eum filiorum iacturam miserari, me multò maximè in doloribus versantem derident.

Obscurati autem sunt oculi mei ab ira. Id est, hebetati ob mala mihi à diuina ira inuicta: lacrymis verò, quas in filiorum immatura morte effudi, mei sunt oculi pæne consumpti.

Obsessus sum vehementer ab omnibus. Hoc me mordet maximè, facitque, vt lacrymis diffluam, quòd eiusmodi mihi supplicium diuina intulit ira; vt, qui videntur esse amici, & consolandi causa properasse, iidem me nunc, tanquam sine causa grauiter ferentem, irrideant, atque contempnant, atque hostium more alius alio genere verborum percellat, ac denique cuncti in meas insultent arumnas.

Admiratio autem habuit veraces in hiis. Nequaquam veritatis cupidi, perinde, vt vos affecti sunt animo; sed potius obstupere, quòd perpeffionis malorum causas ignorarint. Hoc ideo fortasse dicit, vt amicos nutu significet, vt qui nec veritatem colerent; & ideo duntaxat gratificari auderent.

Iustus autem super impium infurgat. O L Y M P. Tanquam de alio quopiam sermonem haberet, sic loquitur; sed hæc tamen ad seipsum refert. Quia enim supra dixerat, Non exaltabis iniustos: nunc contra potius fieri optat, vt iustus quam impius sit à viribus firmior. Antea enim in frugi homines perdit irruerunt: nunc ratio commutetur: rerum sit alia condicio: iniquos & facinorosos imperio iusti coerceant.

Habeat autem iustus viam suam; & pueris manibus resumat audaciam. Hæc cum optatione dicta sunt, vt inam in pristinum restituar statum. Sed tamen Theodotio, qui his verbis interpretatus est, Retinebit iustus viam suam; haud nos finit ad hæc verba optationem, supplicationemue adiungere; sed causæ potius expositionem atterere. Si iustus, inquit, impio videbitur melior; si virium non erit vsque ad extremum virtute superius; quid tandem eueniet? sanè quidem is, qui virtuti nauat operam, haudquaquam lædetur, neque enim æmulabitur iis, quæ vitiosam habent, indignamque æmulationem. Verum, si (quod contingere facile possit) à ratione paululum aberrarit, rursus in viam suam redibit, virtutisque iter inibit. Huius simile David canit, Quia non dimittet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti in iniquitatibus manus suas. Non aliter hoc loco Iobus, \* Esto; planè nulla mei ratio habeatur; cæteri qua ratione in via virtutis consistent, nisi, contra quam putant alij, res

ἔστω τοῖς ἰσθῶς οὐ βδελύξῃσθε τὰ ἄδικα. quæ verba incipit sem sententiæ præferunt.

R 2 iustis

iustus processerint: ut ad eos sit vitæ iucunditas ab iniustis hominibus remigratura? In homine verò integro, & incorrupto, quid animi futurum sit ad audendum, nisi sceleratorum fortunatæ vitæ condicio immutata fuerit? ac maius sit infontium, quam fontium robur? Rectè huius rei in me cæteris proderet exemplum, si superiorem felicitatem recuperaro; & qui iniuria alios violant, humiles, abiectosque video. Quæ quidem iustus cunctis precatur: ita non pro se ipso tantummodo, sed pro vniuerso iustorum genere Deo preces adhibuit.

*Veruntamen omnes aditumini, & iam accedite: non enim inuenio in vobis verum.* Prorsus, inquit, iis, quæ à me dicta sunt, rursus stomachamini, & vos ipsi ad me refellendum comparatis, quasi in aciem progressuri, verbis instructi, atque alter alteri fert suppetias, ut, quod vni deest, præstetur ab altero. Confirmatis igitur & corroboratis animis, confirmantibus studiis, collectis viribus, & quasi facta testudine, vnà concurrite. Quamuis enim cuncti consenseritis, quamuis mihi millies oratione aduersari fueritis; vos nihilominus mendacij conuincam; neque enim à vero vos stare animaduerto.

\* Aug. cō-  
uulsa compa-  
ges.

*Dies mei præterierunt in fremitu, & rupti sunt articuli cordis mei.* POLYCHR. Rursus, quæ sibi acciderunt, orditur exponere; ut ostendat, non sine causa à se mortem optari: dicit igitur, iam multum temporis mihi abiit, & ad finem prope iam pæne infractum est, atque diuisum. Quod si cor principem partem animi dicit, commentari nobis ad hunc modum licebit, Vis doloris, atque trititiæ ad insaniam me pæne deduxit.

*Noctem in diem posuis lumen propè à facie tenebrarum.* O L Y M P. Luci, inquit, præstolans, noctem omnem, non aliter, atque diem peruigilauit. id enim natura ægrotantibus euenit, ut, cum morbus cogit vigilias agere, diem exoptent. Verum, appetente die, non secus, quam in nocturno silentio ingemiscbam, nec dolorum vllum erat alleuamentum. Denique, inquit, dies cum noctibus coniungebam, nec tempus vllum à lamentis & fletibus vacuum in præteritis relinquebam. Quando verò ait, *Lumen propè à facie tenebrarum*, id fortasse significauit, Etiam lux ipsa præ animi angore, atque molestia haud procul mihi à tenebris videbatur. Quemadmodum alibi de merentibus dictum est, Occidet iis sol meridie; non occidente quidem astro, verum iis, qui merore tabescunt, diem noctem exultimantibus, nec lucem iucundè excipientibus.

*Si enim sustinero, Infernus est domus mea; in caligine autem stratus est lectus meus: Mortem inuocavi patrem meum esse matrem meam & ororem meam putredinem. Vbi igitur est spes mea? vel bona mea videbo? vel mecum in Infernum descendent? vel simul in tumulum descendemus?* O L Y M P. Atqui sustinendum etiam nunc est, ut etiam quid accedat. Quamquam cur sustineam? aut cur non optem interitum? an non mors oppressura est vel inuitum? an non commune est mortalium omnium mori? an non Infernus est omnium domicilium? an non illic omnes suorum laborum exitum inueniunt? id enim ostendunt verba illa, *In caligine stratus est lectus meus*, id est, in regione, quæ luce orbata est, molestiarum, quæ sunt in hac vita susceptæ, datur laxamentum: atque ea de causa pro patre est mihi interitus; nec iniuria illius aduentum exopto: pro matre, corporis est tabes atque dissolutio, quæ necessario post mortem continget, illamque ipsam tanquam sororem cupio mihi esse dilectam, cunctisque amicitia nominibus appello atque complector. Ideo autem hæc dico, quia iam corpus propter luem, atque perniciem malè olet, & simile est cadaveris, ac mortui præferentis effigiem. Nec verò putetis illud mihi esse in optatis, ut, his rebus desperatis, quæ apud nos sunt, in Infernorum regione fortunis locupleter. Vtrum contingat id aliquando, ut diuitias in Infernum suas quispiam deportet? aut gloriam partam in vita, illuc adducat? An verò cum bonorum possessione ad tumulum, hoc est, ad eos, qui degunt sub terris, hinc possum demigrare? Cerrè fieri id nulla ratione potest. Quinam igitur ipse spei præstolor? huic scilicet, quod conditum est, non multo post decedendum esse, atque humana hæc omnia relinquenda. In his enim ego nil aliud præter mortem

mortem expecto, certamque mihi fore quietem mortem arbitror, quam cum fuero complexus, dolorum memoria mihi omnis euanesceat. Ut enim, qui extremam vitæ diem morte confecerunt, præsentium rerum spem omnem abiecerunt; sic ipse rerum, quas à me eripuerunt, spem nullam sum adhuc adeptus: quod si in spem quampiam ingressus fuero, hinc tamen emigrabo, & quidem, ut is, qui nulli rei stabili frustra inhauerit, nec, vlla bonorum degustata voluptate, lucis huius vsuram reddam. Quæ cum ita sint, merito mortis tanquam patris aduentum opperior. Quemadmodum enim filii patres solarium præbent, sic mihi in nulla re alia quies est, atque perfugium, nisi in morte, corporisque dissolutione. Appositione autem exempli malorum atrocitatem posuit in conspectu. Quemadmodum enim, inchoati partus in parentis utero viuere videntur, illicque continentur, patrem verò eum, à quo satisfunt, habent, nondum autem in lucem suscepti, humore, sanieque plurima sunt circumfusi: sic & mea est planè condicio; mors enim nondum aduenit, nec tamen extra me ipsum degit; quin etiam tanquam pater mihi conciliata est, & me quasi ventre quodam malorum circumsepelit, neque vllam largitur solutionem malorum, neque spem aliquam salutis ostendit. Nec non illud nos docuit, ab iis, quæ in hac vita bona, & præclara habeatur, cupiditatem esse auocandam; nec enim eorum quidquam nobis comitabitur. Ita non temerè à se, qui tot molestias exhauserat, optari interitum idoneis rationibus confirmauit.

### Prothetia Capitis Duodecimi.

Iob sibi longiori orationi indignatur Baldadus. Minimè deest, inquit, more belluarum eos, qui silent, prouocare. Deinde, quia id sæpe in sermone Iobus intueatur, mortis se esse scientem; quid te, inquit, iactas insolenter? dicitque identidem, Libenter exirem è corpore? tuaque ita ostentas, tanquam si homo ipse non esses, tuaque solius mors huius totius vniuersitatis futuras esset interitus? Hæc vbi dicit, ad ea, quæ contingunt impijs, orationem conuertit; ac, licet vniuersè loquatur, iustum nihilominus impietatis insimulat.

*Suscipiens autem Baldad Sauchites, dixit, Quousque non quiesces? Sustine vt & ipse loquamur. Cur autem tanquam quadrupes siluimus coram te? O L Y M P. Sauchæorum tyrannus tyrannicè disserit. Quousque, inquit, non cessabis? Sustine, ne putes tibi cum belluis fore sermonem, neque adeo verbosa vtaris oratione; sed nobis potius habendæ orationis locum tribue, tuæ interim velis contractis. POLYCHR. Quamobrem non in ea cogitatione acquiescis, ob tua peccata corpori plagas esse inflictas? ipse autem, hac cogitatione abiecta, contra Deum vteris audacia, ac nos de industria silere cupientes inuitas ad loquendum. Nec enim fas est, nos tanquam homines nullius rationis compotes nefariæ tuæ aduersus Deum obtrectationi assentiri. CHRYS. Videas eos in illius causa iudices atque disceptatores: videas eosdem hoc agere & cupere, ut eius os obstruant. Atque id non amplius consolatorium, sed multo maximè irritantium, conuiciumque facientium esse opus. Sustine, inquit, vt etiam ipsi loquamur. Quid causæ fuit, cur accederetis? an non vt etiam vos loqueremini? Cognosce hominum ambitionem, ipsam silentium summam esse amentiam existimantium. Nempe non id eorum est, qui consolandi rationes adhibere conantur. Plus tibi, inquit, quam nobis commodi partum erit, si, victoria adepta, superior nobis discesseris. Ac vide, quemadmodum omnes ei loquacitatem obiciant: vide quemadmodum eum accusant & criminantur. Pariter, inquit, ipsi ac tu, ratione vtimur: non li putare vlla te re nobis esse superiorem.*

*Maie affectu terra.* Possunt hæc verba cum interrogatione legi ad hunc modum, Vtrum ira sua te Deus multauit? nam dixerat Iobus, Ira sua vsus, deiecit me. Possunt etiam cum affirmatione ac nuda enunciatione intelligi, Heus tu, qui contra te ipsum, tuumque animum exandescis; nimirum tuam iracundiam, quasi

CAPVT  
XVIII.

quasi machinam contra te comparasti. In Deum iracundia incitari, & quasi furentem tanta verborum asperitate uti, & iam vitæ pertæsum, mortem ubique inculcare, nil est aliud, quam in tuam ipsius animam stomachum erumpere. Hanc sententiam Theodotio sua interpretatione planè expressit; sic enim ille, Discerpens animam tuam in furore suo.

*Quid enim? si tu mortuum fueris, inhabitabilis erit, que sub celo est: aut subvertentur montes à fundamentis?* Ad eon existimas, inquit, te stante, mundum consistere, ut adeò magnificè de te, tuisque rebus loquar? Quasi verò omnis hæc rerum vniuersitas, te vno extinto, damnnum factura sit: sic optas interitum, tanquam si omnis hæc regio, quæ soli subiecta est, detrimentum tua morte capere debeat: tanquam communis futurus sit rerum omnium interitus, sic sermocinaris; perinde quasi tua iustitia res humanæ constitutæ sint, teque è medio sublato, haud quispian sit futurus superstes, qui diuinum nobis numen placatum efficiat.

*Et lumen impiorum extinguetur.* Symmachus autem, Profectò, est interpretatus.

*Lux eius tenebra in tabernaculo: lucerna autem super eum extinguetur.* Enimuerò, inquit, sic habeto, quamuis lux fulgeat impiis, sublimeque prouehantur; (id enim flamma ostendit) res nihilominus, rationisque eorum in clinationem passuras esse contrarias, omnique illorum vitæ esse tenebras offundendas, hoc est, ab infortunio illorum statum occupatum iri. Ac, licet exigui temporis felicitate potiri videantur, pœnas tamen dabunt omnino, domesticæ lucis splendore amisso, ut non amplius eorum extent insignia. *Lucerna autem super eum, id est, superior ille nitro, & cultus, & quæcumque splendorem impio attulerunt, extinguentur: ei enim illato supplicio, gloria illius concidet vniuersa.* In quo ipso similitudine est vsus: siquidem qui in lumine ambulant, hi nequaquam offendunt. CHRYS. Attende autem mihi improbum hominum ingenium; cum enim mala, quæ impiis inferuntur, grauius esse confirmant, eiusmodi ea dicunt esse, cuiusmodi Iobus opprimebatur: & quidem verba cum illius calamitatibus implicant; ut fermè hunc ipsum demonstrare conentur. Nam, cuiusmodi sint, quæ loquantur, audi.

*Veniunt infimi substantiam eius: et res autem consilium eius.* Pro quo Theodotio, Præcipitabit eum consilium eius.

*Immittatur pes eius in laqueum; in rete involuatur; veniant super eum laquei.* Hæc ab auibus & animalibus, quæ venata capiuntur, transfert, ut doceat mala, quæ in impiam incubuere, nulla posse ratione vitari. Quemadmodum enim animalia, quæ sese in laqueos, retiæue induerunt, euadere non possunt; sic impij necessarii, è quibus eripere se nequeant, implicentur ærumnis: & quod peius est, non solum à potētibus, sed ab infimis etiam sæpe hominibus fortunarum suarum coguntur euerfionem illatam sustinere; interim omni eorum consilio interuerso, atque in contrariam partem abrepto. Ac si diceret, Tu, qui in tua iustitia gloriaris, tuo scelere rem tuam amisisti, ac malis, quæ prohibere non potes, es irretitus; id quod laquei, retiæque similitudine declarauit.

*Roborabit contra eum scientes.* Confirmabit, inquit, Deus eos, qui opibus impij expleri se volunt; & qui contra eum aliquid machinantur, illos ipsos impio robusiores efficiet: & ille quidem perpeffioni malorum erit expositus, Deo sic de-terrente: alij verò in eius annonam possessionemque inuolabunt.

*Abstondit us enim est funiculus eius, & captio eius in semitis.* Et hoc per metaphoram extulit, à retibus filo contextis transferens, quas in terra aucupes occultant, ut aures delapsas, adducto fune, contractisque retibus, aucupentur. Ut enim, inquit, qui capiendis auibus insidiantur, retium funiculum occultant in terra, eminusque sedentes, num in retia præda inciderit, speculantur; deinde, funiculo adducto, prædam inopinatam & circumretitam capiunt; ipsæque volucres ad paratam escam aduolantes, nec sentientes irretiuntur: ita prorsus impij, cum, omni metu posito, agant improbè, imprudentes subitis ærumnis, infortuniisque implicantur.

implicantur. Quamquam hoc etiam funiculus impij significat, partem eius obrutam esse, vel etiam suis ipsam flagitiis fore deuinciendum, atque in cunctis semitis suis colligandum. Hinc illud pertinet, In laqueo, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. Illud etiam, *Captio eius in semitis*, eius sententiæ expositionem habet huiusmodi, Inuersiones atque irruptiones in solitudinibus, locisque desertis fieri solent: verum impius, inquit, non in deserta regione, sed in media via comprehenditur, hoc est, in summo fortunæ splendore subitam conuersionem cogitur sustinere.

*In circuitu perdant eum dolores.* Huic, inquit, mala haud ad perpeffionum duntaxat hærent metas, verum interitu quoque pœnas persoluit. Vel etiam illud, *In circuitu*, pro hoc altero est, Ex omni parte malorum eum acerbitates attinget.

*Mulii circa pedes eius in fame angusta.* Alij verò exscripti libri sic habent, *Circa multorum autem pedes veniat in fame angusta.* Id est, ad summam redigatur inopiam, ut ad multorum pedes abiectus, & iupplex victum precibus quærat. At prioris lectionis hæc sententia fuerit, *Mulii erunt*, inquit, *circuitu pedes eius*, id est, multi arcta fame, hoc est, ea, quæ in illum incidit, calamitate eum euerrent.

*Ruina autem ei preparata est ingens; deuorentur autem rami pedum eius; comedet autem speciosa ipsius mors: rumpatur autem de habitaculo eius sanitas.* Ruina impij mors est; quæ cum videntibus admirationi est, tum opes liberis ac posteris minimè transmittit. Ramos enim filios dicit, pedes verò actiones atque facinora: sati enim liberi parentes quodammodo sunt. Ramos item pedum itinerum progressiones licet interpretari, tanquam si diceret, Haud recte iter impio conficietur, ruina ingenti opprimeretur. *Quinetiam speciosa illius*, id est, sobolem mors inexplebili cupiditate consumet. Quod ipsum ideo dicit Baldadus, ut liberorum orbitatem propter sua facinora tulisse Iobum ostendat, cui maior ex filiis extinctis, quam è cæterarum rerum amissione dolor accidit; essi enim reliquorum bonorum direptione animum philosophia dignum prætulit, tamen fuit idem in liberorum morte illustrior. Illud verò, *Rumpatur de habitaculo eius sanitas*, huic par est, In perditis erit illi rerum abreptarum restitutio; illique eiusmodi euenient, ut nullam medicinam, curationem nullam queant admittere.

*Teneat eum necessitas caussa regalis.* Id est, supplicium Dei inexorabile. Quod si humanam dixit aduersionem, ideo dicit, ut ea, quæ non Iobo contigerunt, admittens, eius caussa hæc eadem dicere minimè videatur. Sed tamen, quod loquitur, est huiusmodi, Non solum impius ab inferioribus malè multabitur, sed etiam ab iis, qui dominantur, in ærumnas conicietur. Quamquam Aquila significantius interpretatus est, Et incidet ei regis ἀνομιλίας, id est, fortunarum spoliatio à rege illi contingat.

*Habitabit in tabernaculo suo in nocte sua.* Alij codices, pro illo, *In nocte sua*, habent, *In corpore suo.* Ergo illud, *In nocte sua*, pro hoc altero est, In caligine, & in tenebrosa nocte ei omnis erit commoratio. Verba autem illa, *In corpore suo*, hoc valent, Locum ingredietur, ubi cum summa deget inopia; nec quidquam præter suum ipsius corpus erit ei reliquum. Sententiam hanc Theodotio verbis his extulit, Habitabit in tabernaculo eius cunctarum rerum interitus; Hebraus autem habet, Habitabit in tabernaculis non suis; dicitque aliquid amplius, hoc est, vagus in alienis commorabitur domiciliis.

*Spargentur speciosa eius in sulphure.* Theodotio autem, Triturabitur in speciositate sua. Sulphur dixit diuinam vitionem à Deo constitutam: ut enim, inquit, igni terris illato, omnia extinguuntur, sic impiorum, quæ videbatur, felicitas, delebitur vniuersa, cum itaque illius euadent fructu carentia, sulphure propemodum perspersa. Quod ipsum in regione Sodomitide factum est, quam Deus, immisso igni, redegit in cineres. Huius simile quiddam de improbis hominibus vaticinatus est Dauid, Ignis & sulphur, & spiritus procellæ pars calicis eorum.

*Deorsum radices eorum siccabuntur.* Quinetiam, inquit, omnis eius securitas (id est enim radix) refutabitur; cum nihil contra diuinum decretum valere possit. *Et desursum cadet messio eius.* Quod si suspicio nouæ sobolis relicta erit, protinus

nus euellatur, eiusque spectatus splendor cum bonorum omnium possessione interibit. Hæc verò dixit, ab arboribus, quæ exciduntur, transferens.

*Memoria eius pereat de terra.* Id est, è cunctorum mortalium memoria impius elabatur. Eius enim filij, qui monumentum sunt parentum, morientur.

*Et erit nomen ipsi in faciem exterius.* OLYMP. Nomen, inquit, eius vsque adeo dirum erit atque execrabile, vt, quicumque illud audierit, os solius nominis odio sit ab eo, qui illud appellarit, os suum auerfurus. POLYCH. Symmachus vero, Et non erit nomen eius in faciem fori: ac si dicat, Nec in amicorum, nec in alienorum versabitur memoria: siquidem sua quemque accusant facinora.

*Extendant eum de luce in tenebras.* Hoc est, de felicitate & splendore, quem erat in vita adeptus, ad infelicitatem, atque ad eam, quæ infelicitatis comes est, animi ægritudinem deturbabitur.

*Non erit agnitus in populo suo, neque saluata in ea, que sub celo est, domus eius.* Aquila autem, Nec parentes, nec posterij in populo eius. Sententia est eiusmodi, Ij, qui rerum potiuntur, non prius desistent, quam extrema calamitate afficiant impium: nec domus eius successio ad quempiam pertinebit, non ad filium, non ad nepotem; omnes enim funditus interibunt.

*Sed in rebus illius viuunt alij.* Quod si vlla ei reliquæ fuerint, harum possessio ad alienos transferetur. Omnia hæc, vna excepta necessitate regali, Iobis euenies est eiusmodi necessitas eò est à Baldado fortasse vsurpata, vt Iobi causa hæc dicere ne videretur; etiam si non, quemadmodum cum suo animo itaturum habebat Baldadus, vlla sua culpa Iobus illa patiebatur.

*Super eum gemuerunt infimi.* Aquila autem, In die eius infelices erunt postremi.

*Primos autem habuit admiratio.* Primos eos dixit, qui eiusdem memoriæ, atque ætatis sunt seniores; postremos verò, qui post eum futuri sunt. Impij, inquit, admirabuntur ruinam, tum qui cernunt oculis, tum qui ab alijs postea auditione accipient: & formido quidem illata iuuenibus faciet, vt ij in rebus suis trepident; qui verò ætate fuerint, & vsu rerum superiores, in rebus ipsi obstupescant.

*Ha sunt domus iniustorum; hic lectus eorum, qui non cognouerunt Dominum.* Earum, inquam, rerum, de quibus adhuc dictum est; cernent impij hæreditatem. Sed nimirum hic ipse Baldadus errore lapsus est, cum pronunciauit, omni sublato discrimine, impijs in hæc euenire; præsertim cum iis non hic omnino, sed in eo, quod consequetur, æuo sit prorsus reponendum.

### Protheoria Capituli Decimitertij.

AMICI quidem Iobum obiurgant, tanquam audacius sua efferentem: contra Iobus eos accusat, vt homines sibi contumelijs infestos. Ac verbis vitur huiusmodi, Hoc vnum vobis cupio esse perspectum, Deum solum esse, qui plagas mihi has insanabiles inflixit: vt, cum id cognoueritis, timeatis, ne forte vos quoque is paribus irretiat malis. Ideo autem iis successerit; quod ei coram obtrectent. Demus, inquit, me secus, ac decebat, loqui; nihilominus à vobis, qui amicitia iure mihi iuncti estis, non oportebat meas miseras affligi vehementius. Quæ postquam ad amicos dixit, rursus ad malorum, quæ illum circumferebant, expositionem ingreditur, sibi que & illis persuadet, illata supplicia esse humanis culpis grauiora, immò verò illarum plagarum esse inimicum dæmonem auctorem. Nam reapse communis omnium hostis erat, qui illum tam improbe tractabat; tamen si aduersario permissæ licentiæ causam ignorabat. Deinde amicos orat, vt, si minus illum tanquam iustum verentur, saltem tanquam amici hominis miserentur, optatque verba sua scriptis mandari, vt consequentis ætatis memoriæ commendentur: quod ipsum sanè euenit, nec iusti vota irrita exiterunt. Illud item in amicis reprehendit, quod rationem sedulo inibant, quemadmodum ipsum sermonibus lacerarent, eosdemque, vt à conuicijs abstineant, hortatur; si quidem Dei iudicium reuerentur.

Quousque

Quousque fissam facietis animam meam? ORIGEN. Quemadmodum onera grauiam imposita animalibus ferentibus lassitudinem adferunt, sic graues, molestique sermones nonnulli reperiuntur, quibus cum, qui audit, defatigari necesse sit, & vi verborum, quæ cum conuicio aspere, contumelioseque iactantur, onere quasi quodam opprimi. Ex hoc genere verba Baldadi fuerunt, quæ ita grauiam Iobo acciderunt, vt flaccescens iam anmo dicat, Quousque fissam facietis animam meam? & veluti graui pondere, me verbis onerabitis? Viden, vt Sauchæorum tyranni sermones tyrannidem spirent? quos vbi Iobus audiuit, hoc vicissim reddit: nec enim quidquam sic hominis attingit animum, vt sermo durus. Nam sæpenumero, qui corporis cruciamenta tolerauit, non passus est verba: Contumeliam enim perferre, magis est viri. Ita Apostolus in egregiorum suorum facinorum commemoratione inquit, Contumelijs affecti, benedicimus; maledictis vexari, exhortamur. Sed Iobus, qui hæc dicit, est athletarum fortissimus, in cuius libro nihil ita eminet, vt eius fortitudo ac patientia; labores tamen sentit, quos ex eorum duro sermone, qui ad eum visendi causa venerant, hauriebat. Et quoniam pondus orationis, quasi graue onus impositum animo, defatigare consueuit; idcirco his pæne loquitur verbis, Quamobrem, ô amici, ad corporis dolorem animi quoque molestiam adhibetis? dum me magis verbis, quam dolere corpus, conciditis? CHRYS. Vide, vt non modo commodi nihil adferant, sed etiam Diabolo suppetias ferant, illique armis auxilientur, ac Iusti robur euertant. Nam addit;

*Et euertitis me verbis.* Id est, iustas meas defensiones contrarijs sermonibus labefactare nitimini; & hostium more pro iactis verba mittitis, quoad intentum animi robur infringatis, & iniquam victoriam reportatis. Nec vobis superiora satis sunt visa; verum nunc quasi vno ore omnes tres eadem loquimini; atque (vt Theodotio, & Symmachus interpretati sunt) en decies confundistis me.

*Scitote solum, quia Dominus fecit mihi sic.* ORIGEN. Hæc, inquit, quæ me mala circumvallant, ne putetis aliunde, quam à Deo mihi accidisse. Postquam igitur calamitatem meam vestris animis informaueritis, & cogitatione magnitudinem ærumnæ pertraueritis, malorumque atrocitatem eiusmodi fuisse intellexeritis, vt antea beatæque vitæ vestigium nullum reliquerit, nec non illud ratione iustaueritis; haud alia, atque mea est, vos natura constare, scilicet metuitis; ne, cum in meis conuicijs maledictisque peccetis, pendatis pœnas, parèque plagas accipiat. Nam, qui mihi iustas i. fligit, peræque potest vobis infligere. Hoc autem iis metum infert, quod nefas est in eos inuehi, in quos diuina animaduersio incubuit: immò verò decet potius eorundem sortem lugere, ac formidare. Quasi hæc Iobi vox esset, Nolite mihi laboranti imminere iustis; ne, si nulla vobis ærumnosæ meæ condicionis miseratio tangat, si nullus communis sensus doloris; similibus malis, (quandoquidem eiusdem naturæ confortes estis) implicemini.

*Maledixit mihi, non reuerit me; insultatis mihi.* Graue quidem est obtrectare absentibus; vos autem, omni abiecta verecundia, mihi coram conuicio facitis, & acrius insultatis, ex mea calamitate nullo misericordiarum, nullo doloris sensu suscepto. ORIGEN. Sæpenumero quis agens flagitiosè obtrectat alteri: vbi verò pudoris lineas transilierit, coram iactat maledictum, quamuis nec quidquam interim certo prober, nec vera adferat; sed contumelia duntaxat atque conuicio afficiat.

*Proficilo iam ego verè erravi, apud me habitat error; loqui verbum non oportebat; verba autem mea errant, & non in tempore; sine autem, quia in me magnificamini, insu' aiis autem mihi approbio.* Aquila autem & Theodotio, Arguitis contra me opprobrium meum. Planè, inquit, istam vobis concedo hypothesim, me ob mea peccata, vt vos opinamini, hæc mala perpeti: & illud detur vobis, me à recta via declinasse; demus me à vero prorsus aberrasse, & me ipsum verbis, seu adeo rationibus falsis tueri, & cum sim impius, iustitiæ habitum ementiri, neque opportunam à me orationem adhiberi: resideat etiam apud me error, vel (vt alijs placuit in-

S terpre

terpretibus) ignoratio, nec quidquam aptè, decorè loquar. Quid? vt hæc, quæ non oportebat, propter hyporhesim largitus sum, vt talis fuerim; vt nulla mihi libertas orationis à pietatis officiis, quibus olim perfunctus sum, tribuatur; vt innocentiam quoque similem, & tanquam iustus respondeam, non debebat tamen vos flagra, laniem, vermes, bonorum amissionem intuentes vereri, atque homini in dolore verba facienti veniã tribuere: Nec verò conuiciis solum, quibus me incessitis, non moderamini; verumetiam in hominem in tanta malorum perpeffione, in tantis arumnis versantem impetum facitis, ac propemodum pedibus obterentes insultatis.

*Cognoscite igitur, quia Dominus est, qui conturbauit.* Id est, qui adeo res meas confudit. Hebraeus pro, *Conturbauit*, habet, Percussit me. Rursus sententia hæc pro-cemium instruxit, vt amicos perterrefaceret, atque à contradicendi studio auocaret. Si ad meam plagam, inquit, ineditari fueritis, metueris, videlicet ne par in vos incurrat calamitas.

*Munitionem autem suam in me exaltauit.* Haud me temerè angi existimare debetis: tanquam enim vallo quodam, & muro sic malis ipse cingor vndique, & infortunio quasi muro sic circumclusus sum, vt euadere planè non possim, donec Deus suo decreto illum disturbarit. Hancitem potes in eundem versum sententiam accommodare, quasi editum quoddam pronugnaculum Deus inter me, ac seipsum, interiectum excitauit: vt si diceret, Omnem mihi suam opem denegauit.

*Ego ego videbo opprobrio, & non loquar.* O L Y M P. Multiplex est his verbis subiecta sententia: aut enim hoc dicit, Vobiscum probrum obtinentibus, ridere potius videor, quàm colloqui: aut verò hoc aliud, Quamuis de rebus meis verè dicam; meos tamen non probabitur sermones; immo verò illud vestro refellendi artificio assequimini, vt nec ipse quidem dixisse videar: aut sic, Præstat ista hæc vestra ridere conuicia, & tanquam falsa contemere, quàm ad ea quicquam respondere: quid enim dicam? quando quidem nondum ex vlla sententia intelligi potest, quis nostrum dictorum veritate nitatur. Quare addit;

*Vociferabor, & nusquam iudicium.* C H R Y S. Nullus, inquit, audis, nullus est iudex, nullum video, quo me vertam, nescio: an non hæc misericordia digna erãt? quanquam hæc etiam potes facere horum verborum interpretationem, quòd si Deum in clamaro, vt res meas cunctis faciat insignes, nequaquam mihi aderit supplicanti. Itaque Symmachus dixit, Si clamauero læsus iniuria, non exaudiar. O R I G E N I S. Nunc si clamauero, non tamen iudicium veniet. Etiam nunc decerto: tanquam si diceret, Veluti quidam athleta in stadio consistens vociferor, nec tamen meum aliquando instituitur iudicium: etiam nunc pugno; ac, nisi mihi fuerit certamen confectum, de mea corona haudquaquam iudicium fiet. Hoc autem nos hæc dicimus, quo Deum ab omni reprehensione vindicemus; quamuis nondum de Iob tot malis oppresso pronunciarit, id est, nullam de liberatione malorum, solutioneque miseriarum sententiam tulerit.

*Vndique adificijs circumseptus sum, & non transibo: super faciem meam tenebras posuit.* Alij verò pro, *Super faciem meam*, Super calles, dixerunt. Eiusmodi, inquit, mala sunt mea, vt oratione percurri non possint; tantisque sum circumseptus arumnis, vt prorsus nullum exitum reperiam. Vt enim ij, qui muro sunt aliquo vndique circumclusi, aut cæca quadam oculorum caliginè circumfusi, longius progredi non possunt; sic mihi omnis est erepta facultas, pedes è calamitatibus efferendi. Tenebras mihi obduxit: quò confugiam non habeo; nihil video; nihil possum ac valeo: quasi mole & custodia septus teneor.

*Gloriam autem meam à me exiit, abstulit autem coronam de capite meo.* P O L Y C H R. Meam, inquit, felicitatem omnem amputauit. Gloriam rerum variam abundantiam nuncupauit: ac si diceret, Et possessiones, & diuitias, & speciosam sobolem, & externum splendorem, & corporis valetudinem à me abstulit: omnia hæc his verbis indicauit. Coronam autem ademptam sibi esse dixit, vel quòd ipse rex erat, vel quia omni vitæ iucunditate, dignitateque fuit spoliatus; id quod verba,

verba, quæ consequuntur, non obscure declarant.

*Disperpsit me in circuitu, & abij, excidit autem tanquam arborem spem meam, iram autem me grauius multauit, reputauit autem me veluti hastem.* Me, inquit, membratim dispersit, bonorum, quæ aderant, possessionem ademit, præclaræ sobolis memoriam deleuit; bonam spem meam omnem non aliter atque arborem excidit; non secus quàm hostis iracundia inflammatus, contra me copias comparauit, & corpori plagam inflixit, meque grauius, quàm si aduersarius essem, multauit. Præclare verò dixit, *Tanquam*: neque enim aut hostili animo, aut etiam perturbato Deo supplicia irrogat. Hæc autem ideo dicit, vt tum amicis, tum sibi persuaderet, humanis erratis pœnam esse superiorem, præterquam quòd iustus non culpa sua aliqua, sed ad virtutem tantummodo exercendam illis malis afflictabatur.

*Vnanimiter autem uenerunt super me cunei piratarum eius.* Theodotio, \* Latruncu-  
li, Symmachus verò, Agmina ad insidias instructa, interpretatus est. Quod au-  
tem dicit, est huiusmodi, Vno impetu cunctæ contra me arumnae conspirarunt.  
Partem scilicet bonorum calamitose eripi, partem relinqui, aliquid demum ad-  
fert solarij: verum vno tempore ac repente omnibus spoliari, magnam ingen-  
temque habet acerbiteratem.

*Vjs mei cinxerunt me insidiatores.* Translatione ab hostibus ducta, hoc dicit: ij  
enim, cum loca omnia insidijs occupauerunt, subito adoriuntur, atque eos, qui-  
bus comparatæ erant insidias, comprehendunt. Eius fermè hæc est oratio, Qui  
mihi auctores sunt malorum, me vndique intercluserunt; & qui priores fuerunt,  
ad inuadendum cæteris viam munierunt: aliusque alium insequatur, & nun-  
ciis malorum non interruptis, animum opprimebant. \* Insidiatores autem sunt,  
qui dolis atque improbitati operam nauant, qui tendunt insidias, qui nocent,  
sive homines, sive adeo ij Dæmones sunt. Via: autem eæ fuerunt, quibus illi, à  
quibus fuerunt eius opes direpta, iter fecerunt.

*A me fratres mei recesserunt, cognouerunt alienos, quàm me: amici mei immisericordes facti sunt: non me suum vendicauerunt proximi mei, & qui scierunt nomen meum, oblitiscunt me: vicini domus & ancilla mea, alienigena sunt coram ipsis.* Hæc ipsa magnus Dauid deplorans aiebat, Obluioni datus sum, tanquam mortuus à corde: factus sum tanquam vas perditum. Iobus item nunc dicit, Neque apud cognatos solarij quidquam inueni. Fratres enim eos appellat, qui sibi erant cognatione iuncti. Immo verò me, inquit, hi deseruerunt, meamque calamitatem quasi voluntatis flagitium oderunt, atque adeo eos, quibuscum nulla cognatione tenebar, ei, qua me attingunt, affinitati antetulerunt. Illi, qui mihi in felicitate amici fuerunt, nunc in infelicitate insidias ponunt. Illi, quibuscum maior mihi propinquitas generis propter necessitudinem esse videbatur, hominem tot malis afflictum & perditum non modò misericordia nulla prosequuntur, sed etiam loco hostium habent. Et quidem dum res meæ florent, mihi cogniti erant: (proximos porrò dicit, qui sibi erant genere propinqui) nunc autem nemo Iobum nouit: quin etiam necessariis atque domesticis ipsa calamitas cum ad commiserandum eos deberet adducere, odium in meipsum confluxit: & qui me paulò antè verebantur, ac meruebant, nunc flocci faciunt: & quibus fuit antea meum nomen & gloria perspecta, ita nunc sunt in me affecti animo, tanquam si potestatis meæ fuissent ignari. Necnon illud cognosce, domum quoque & familiam à Diabolo in Iobum fuisse incitatam. Non solum, inquit, domestici, ac propinqui, verumetiam serui, in quos imperium tenebam, sic nunc me tractant, quasi nullius vnquam imperij mei sibi fuerint conscij, meque tanquam hospitem, & hominem quempiam alienum prætereunt. C H R Y S. Sanè mirificus fuit ille confictus Diaboli, quando quidem qui ei reliqui facti sunt domestici, calamitatem vehementius, quàm qui emigrarant è vita, amplificabant. Nam qui decesserant, nihil amplius faciebant; qui autem manebant in vita, conuiciis, ac probris contumeliosi erant, nec morem gerebant, & verbis illi obtrecebant, necnon alia pleraque admittebant, quæ ipse subiungit.

*Seruum meum vocauit, & non audiuit.* Cum mihi omne ereptum esset solatium, seruorum meorum obsequium flagitabam, atque adeo precibus implorabam. Voti tamen compos haudquaquam eram. Id verò magnam partem obtinet ad dolorem, ab ægrotante eum accersiri, qui debet obsequium; & ab eo, quem obsequi oporteret, imperium recusari. Et nos ergo, Iobi exemplum hoc spectantes, iis, qui obsequium impertiri nobis deberent, minimè debemus irasci: vix orne sit, an seruus, an filius, qui dicto non sit audiens; nihil ad rem.

*Os meum deprecabatur, & orabam uxorem meam.* Sed & ipsa, inquit, *uxor mea me despiciebat; & quia eam audire reculabam, flagitiosa suadentem, conficere me molestiis adoriebatur.*

*Blandiens autem vocabam filios concubinarum mearum; illi autem me in perpetuum reuerunt.* Theodotio verò, Et stulti expulerunt me. Filios concubinarum eos hoc loco appellat, qui non sunt ex legitimis nuptiis: ita ex Agar Abraham Isaacem suscepit, & ex Balla Iacob Dan & Nephtholim. Nam olim ad liberorum procreationem pellicibus vti ad generis propagationem, haud veritam erat. Sed planius Symmachus dixit, Inuocabam blandiens filios puerorum meorum: neque enim Diabolo in genus Iobi vniuersum, sed in domum eius duntaxat facta est potestas. Itaque atrocior plaga videbatur, cum cætera eius cognatio tranquilla, iucundaque vita frueretur. Nam collatio solita est augere dolorem; maximè quòd, qui ei antea supplicabant, illum ipsum nunc in ærumnis contemnunt, *in perpetuum*, id est, omnino. Hæc verò non ad filios pertinere, quamuis secus videtur, illud plane ostendit, quòd cuncti filij in conuiuio fuerunt extincti.

*Cum surrexero, contra me loquuntur.* Cum fortasse & illi eum execrandum, impium, impurum & suorum scelerum soluentem pœnas dicebant. Aut, hæc quamuis non dicerent, illud fortasse, quod in diuturnioribus morbis vsu venit, in ore habebant, *Quandiu hic non moritur? quid pondus hoc graue, atque inuile hæret in terris? Cum autem surrexero, aut, vbi nox præterit, à somno fuero excitatus; aut ab iis disunctus fuero, tunc sic secum ipsi loquuntur, Nece dum est mortuus; etiam nunc hic tartarus viuuit.*

*Abominati sunt me scientes me, quos autem amaueram, insurrexerunt in me.* Iis, quibuscum mihi antea consuetudo erat, nunc meum vitant ad spectum; & hostes habeo, à quibus nuper diligebam: familiares enim mei, cum me prodire viderent, vt ab iis solatium peterem, tanquam nefarium, numquam in sensum detestabantur: & qui antea domestici fuerant, meam opem implorantes, atque à me beneficiis affecti, nempe mala mihi reposuerunt. Tale quid Dauid etiam canit, Posuerunt mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.

*In cuti mea intruerunt carnes meæ; & ossa mea in dentibus tenentur.* Postquam incommoda exposuit, quæ ei sunt illata extrinsecus, mala corporis deinceps persequitur: nam cutis & carnes sanie corruptæ erant. Etenim, me viuo, carnes meæ putruerunt, & ossa mea dentibus propemodum belluarum absumuntur. Eodemque tempore cutis & carni mentionem fecit, vt doceret malum ac luum, ad imos artus permanasse, vt prorsus nulla queat dolor consolatione leniri. Verùm Aquila sic interpretatus est, *Cuti meæ, & carni meæ adhæserunt ossa mea; vt si diceret, Cutis mea, ac carnes extrahuerunt, vt iam nudis ossibus adhærescant.* Illud autem, *Ossa mea in dentibus tenentur*, apertius Symmachus dixit, *Cuti meam dentibus meis vellicabam; nempe, vbi iam tabe exaruerat, diuulsaque erat.* Ad Septuaginta autem interpretationem, qui dixerunt, *Ossa mea in dentibus tenentur*, illud dicere videtur, *Quæ patior ipse, eiusmodi sunt, vt ad ea nulla reperiri possit medicina; siquidem eæ corporis partes, è quo genere sunt ossa, quæ sunt sensus expertes, dolore minimè vacant; sed ipsa ossa quasi dentibus quibusdam conficiuntur.*

*Adiuramentum meum, miseremini mei, o amici; manus enim Domini est, quæ tetigit me.* Postquam ab amicis, à cognatis, à filiis, ab uxore, necnon ab iis, quibus antea ipse prospiciebat, ac prouidebat, suam dixit despici calamitatem; nunc, ab orationis consecutione nihil recedens, amicos, qui aderant, eiusque calamitates sine miseratione

miseratione aliqua contuebantur, pœnè compellat his verbis, *Si me iusta profertem non veremini, saltem humanitatis miserationisque sensum suscipite, & ad misericordiam metum adiungite, dum in meas miseras intuemini.* Vobis enim ipsis metuendum est, ne similibus incommodis vos item afficiat Deus, qui non propter aliquod peccatum meum mihi plagas infixit; sed sua duntaxat potestate vsus, calamitatem inuexit.

*Quare autem me persequimini, sicut etiam Dominus? de carnibus autem meis non saturamini?* Cur meas exagitis ærumnas? nec misericordia me vlla complectimini? idque cum malorum atrocitatem intueamini? Cur diuina comite ira in me impetum facitis? atque orationis contra me inexplebilem acerbitatem comparatis? In quo profectò ex Dei decreto nequidquam agitis: nam, quamuis is puniat, in vobis tamen humanitatem vult residere. Etenim, si ab ipso castigamur, tamen mutuam à nobis inter nos exigit humanitatem. Illud autem, *Quare me persequimini, sicut & Dominus?* huic par est, Possit Deus forsitan culpam aliquam meam accusare; à me si in vos quidpiam peccatum est, docete. Vtrum vobis non est factis, quòd ita sit meum corpus tabe consumptum? hoc enim valet, *De carnibus meis non saturamini;* præsertim cum probrosi sermones ad depascendos artus, satis per se ipsi valeant. Itaque contumelias ipsi vereri debemus, cum illis fratres nostris verberari intelligamus.

*Quis enim des scribi verba mea? poni autem illa in libro in æternum? in stilo ferreo, & plumbo, vel in petra sculpsi? scio enim, quòd æternus est, qui me resoluturus est super terram.* ΠΟΙΥΧΗΡ. Optat res suas scriptis tradi sempiternis. Hoc item votum propriè ad ipsius pertinere potest ærumnas, vt vndique, quidquid potest, commiserationis aucupetur; quandoquidem & hoc ipsum aliquid adfert ad ægritudinem leniendam. Et etiam fortasse literarum cupit monumentis commendari, quæ in communi vita, virtutisque versantur, quarum rerum testimonium datum est illi diuinitus, cum eum Deus improbum esse negauit. Adeo, inquit, mihi certum est, neminem à me læsum esse iniuria, vt maximè velim res meas scriptorum memorie prodire, vt posteritati haudquaquam sint ignotæ, & illas quidem stilo ferreo ad temporis diuturnitatem velim inuri, vt earum lectio consequentis ætatis constet hominibus. Hæc autem non quasi aut sua laude, aut sui amore clarus loquitur; sed ideo, vt posteris extet patientiæ scopus. Porro similitudinem ab iis duxit, qui, cum ea, quæ mandant literis, magnopere cupiant ad longissimi temporis memoriam permanere, soliti sunt illa ipsa, aut in plumbo, ferreo calamo exarata in columnis collocare, aut verò in tabulis insculpta relinquere: quæ enim sunt inscripta in plumbo, ægrè delentur. Ergo, quemadmodum natura Dei qui mihi supplicij est auctor, nulla est terminatione conclusa; sic etiam res meæ, etiam si veluti terra dilabantur, è memoria tamen hominum minimè elabantur: vt cuncti patientiam meam admirentur, cum intolerandam malorum atrocitatem, & auditionem acceperint, eorum inquam malorum, quorum ipsi ad spectum sine vlla commiseratione contemnunt. Neque enim mihi dubium illud est, quamuis ipse exolutus, resolutusque fuero; quamuis, inquam, me vita defecerit, Deum tamen, qui semper est superstes, ac manet, posse post meum interitum rata sua, constantique sententia res meas cunctis propalam collocare. Id quod plane consequitur est, perinde vt Iusti postulara fuerunt, idque Moyfis, Salomonisue opera, Deique decreto. Itaque factum est, vt tantum exemplum in rebus aduersis ecclesiis non deesset, sed beati huius egregia facinora, adiuuante & affante Deo, scriptis mandarentur; vt iam quidam apostolus dixerit, Patientiam Iob audistis, & sinem Domini vidistis. Vbi autem ipsi aut audiimus aut vidimus, nisi in hac ipsa scriptione? C H R Y S. Ecce scripta sunt hæc non stilo quidem ferreo, sed tamen amplius, quam postulauit ipse, perfectum est. Nam, si factum est illud, iam tempus tamen obliterauit: hæc verò scripta multò magis perseuerant.

*Surgat autem pellex mea, quæ sustinet hæc.* Vtinam, inquit, Deus resuscitet pellem meam, hæc sustinentem. Docemur hoc loco ecclesiasticum dogma, corpus ipsum

quod impetus & cruciatus exceperit, anima eomite resuscitandum esse, vt cum illa vnâ fruatur. Iccirco dixit, *Quæ sustinet hæc.* Nec enim æquum est, aliud quiddam esse, quod paritur; aliud, quod resurgit. CHRYS. Igitur de resurrectione cognouerat, & mea quidem sententia de corporum resurrectione esse malorum, quibus is premebatur, liberationem: futura autem mutationis probabilem explicat rationem, Ipse, inquit, percussit, ipse etiam sanabit; & qui me calamitatibus affecit, calamitatibus liberum faciet etiam insignem; & corpus hoc serò quidem, sed tamen aliquando occidet, & imminens dolorum faciet inducias. Verum Theodotio, qui hanc interpretationem fecit, Propinquus meus viuit, & ad extremum in puluere excitabit; duos superiores versus, persuadet, vt ad hunc modum connectamus, & legamus, Scio quia sempiternus est, qui me soluturus est super terram; \* fuscitet autem pellem meam sustinentem; hæc sententia autem est huiusmodi, Immortalis est Deus, cuius nos genus sumus; me verò vbi per mortem in terram dissoluerit, per resurrectionem rursus è terra excitabit: vel etiam sic, Postquam me morbo exoluerit, ac liberauerit, iterum pellem meam corruptam sanie innouabit: is enim mihi dolorem adfert. Quocirca atexit;

\* ἀγγιστεύς  
est cognatus  
& propinquus  
apud  
LXX.  
\* ἀνεστήσει,  
actiue, & pass  
sine potest in-  
telligi.

*A Domino enim hæc mihi facta sunt.* Non humana, inquit, est hæc veratio: calamitatem enim pecoribus liberisque importatam esse diuinitus, è corporis mei ærumnis planè cognosco: ideò, inquit, mihi ipse sum conscius. Maximam hanc esse plagam, corpus, ex iis, quæ sibi acciderunt, satis me docet. Quamòbrem aiebat, Fœtorem video cibos meos. In morbum naturalem referri hæc non possunt: iam pridem enim corpus ipsum concidisset. Deus hæc mihi intulit: neque enim similiter, vt ego, malorum sensum accipit, nec eorum, quæ ipse patior, malorum acerbiter perinde, vt ego, potest habere perceptam. Ego met, quem dolores peruellunt, noui: quanquam vel ipse adpectus iis, qui mentis sunt suæ, magister potest esse idoneus. Itaque adiungit;

*Quæ oculis meis vidit, & non aliam.* Hoc adfert ad verberandos amicos, qui cum miseriam tum oculis tum animo cernerent, eum nihilominus, vt animo perpulsillo ferentem criminantur.

\* οὐκ ἐπέλε-  
σαι, ἀγγιστεύς.  
Consumpta  
sunt.

*Omnia autem mihi \* confecta sunt in sinu.* Causam reddit, propter quam istantum suas norit ærumnas: ac propemodum dicit, Meritò mihi vni mea sunt nota mala: siquidem omnia, quæ in me incurfarunt mala, pæne in sinum inferui, & mecum sunt ferme conglutinata. Etenim sinus pro re, quæ nec diuelli, nec disungi potest, vbique in sacris literis vsurpatur, vt illic, Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum. At Theodotio his verbis interpretatus est, Defecerunt renes mei in sinu meo, ac si diceret, Tum renes, tum mea cuncta præcordia contabuerunt: vt faciliè hinc intelligere possitis, & viscera mea omnia esse consumpta, interioresque artus tabe esse exesos.

*Si autem & dixeritis, quid dicemus coram eo?* Pro quo Symmachus, *Quid est, quo persequemur eum?*

*Et radicem sermonis inueniemus in eo.* Hebræus autem, *Et peccatum sermonis, dicit.*

*Cauete etiam vos ab integumento.* Rursus Symmachus, *Timete pro vobis gladium.*

*Ira enim super humeros veniet, & tunc cognoscet, vbi est eorum materia.* Reliqui vero, vt cognoscatis, quia est iudicium. Nempe igitur quod hisce verbis significatur, est huiusmodi, Quandoquidem vos, inquit, pro verbis ad consolandum idoneis, priuatas vnusquisque ad repugnandum rationes inuenistis, & eorum more, qui radices perquirunt, meos inuestigatis sermones, quò me captare possitis, & peccatum meum aliquod palam coarguere: ac, licet mihi res ipsa testimonio faueant, ipsi tamen vrgetis, vt minimè veram de mea innocentia sententiam feratis. Profecto, cum sic agitis, vereri debetis, ne, cum Deo simulatè optinulari videri vultis, me condemnatis: hoc enim valet illud, *Ab integumento.* Timete, inquam, ne fortè ( quandoquidem me adco sine ratione, animique iudicio ac-

cusatis)

cusatis) Deus, qui personarum nullam rationem ducit, vobis irascatur, & pœnas à vobis tam infamæ audaciæ exigat, cum pro tribunali sederit: neque enim is talia impunita, atque inulta dimittit. Quòd si is contra nos fuerit concitatus, tunc vestram materiam planè nullam esse intelligetis: immo verò vestra omnis de percepto honesto opinio, & in præsentibus bonis constituta fiducia funditus delebitur. Materiem enim dicere videretur, aut verborum turbam, aut copiam diuitiarum. Verùm ipse altius eorundem verborum sensa cruens, etiam quid aliud cogitando assequor. Etenim, si hæc vestra est, inquit, o amici, oratio, me quidem crimine, quod pateat, cæterisque propositū sit, vacare; quodpiam autem occultum in me residere, nõ secus, quàm alicuius herbæ radicem delitescentem in terra, atque ideo à me improbitatis pœnas perfolui: sanè idem vobis formidãdum est, *ab integumento,* id est, à iusto Dei iudicio, quando linguli cognoscemus iudicium, & vitionem esse, quæ materiam est consumptura.

*Prothœoria Capitis Decimi quarti.*

*M V T T I S* ac præclaris dogmatibus à Sopharo eiusque amicis iam expositis, sperabat videlicet Sopharus nihil posse amplius à Iobo cõtradicij: vbi verò illum vidit causæ suæ æquitati fidentem, eorumque rationes depellentem, fractus desperatione, Haud ego, inquit, existimabam, ita hæc abs te refutatam iri. Ad hæc, quæ eueniunt impiis, quæ quæ ij agunt, & diuinã in eos animaduersionem commemorat. Necnon inter somnia, illorumque felicitatem nihil interesse confirmat, nec quidquam præter vnã impietatem, post mortem illis ipsis comitari. Postquam autem de multis, quæ contingent impiis, disseruit, addit, hanc partem esse impiorum, hanc iis à Deo esse hæreditatem, possessionemque traditam. Verum enim necdum Sopharus perceptum habebat, haud omnia, quæcunquæ contingunt, propter peccata euenire; cum aliis etiam de causis, quæ in Dei prouidentia sitæ sunt, accidere soleant. Sed nec rectè in Iobum, quæ dicebantur, conueniebant. Quapropter sermones recti, nisi itè rectè promantur, & mente recta, & quo decet, delictu, atque discrimine, & quo tempore oportet, & de qua par est persona, in quam ea, quæ dicuntur, cadere possunt, sanè nulla laude, sed reprehensione duntaxat digni fuerint.

*S*uspirans autem Sopharus *Minus dicit, Non sic existimabam contradicere te hæc & num* CAPVT  
XX.  
*intelligi magis, quam ego: Eruditionem confusions mea audiam, & spiritus ex intelligentia responder mihi.* Nequaquam sunt huius loci sententiam interpretes affectus; quicquid à decore, ac vero longius recesserunt, nec verò collinearunt. Dixerunt enim, ad Iobum hæc Sophari verba pertinere, Non putabam istis te aduersus nos vsurum esse sermonibus, neque te nos pro acerbis hominibus habiturum, qui vtilia, & quæ conducunt, adferamus; Conuersa autem Sopharum ad reliquos amicos oratione dixisse, Vobis non iuxta, ac mihi sunt ea, quæ disputantur à Iobo comprehensa: iterum autem ad Iobum oratione traducta, illa loquutum esse, Tuam audiam institutionem, qua nos pudore suffudisti, ac tuum intelligentiæ spiritum, quo rectè nobis respondisti: quanquam cum ironia hæc dici contendunt à Sopharo, Nec enim fieri posse dixisti, vt ipsi erubesceremus. Hæc igitur ad interpretum opinionem: ad veritatem non item. Nempe igitur Sopharo supra Iobus dixerat, Itane vos estis homines? aut vobiscum finierit sapientia? mihi etiam cor est, perinde vt vobis: & post aliquantò: Sit autem vobis obmutescere, & contingeret vobis ad sapientiam; audite redargutionem oris mei: iudicio autem laborum meorum attendite: obmutescite, vt loquar; annuntiabo enim vobis audientibus. His respondit, & contradixit Eliphazus, Sopharus autem confutationem ipse quoque pariebat; sed tamen expectabat, dum desineret Eliphazus, vt sibi quoque ad ea, quæ audierat, liceret respondere. Vbi igitur Eliphazus finem dicendi fecit, atque ei Iobus sua è regione opposuit, nunc demum Sopharus orationem complectitur, isque responder, quæ antea à Iobo audierat. Atque huiusmodi apud Iobum vtitur oratione, Putabam, o Iobe, cum tam



eam multa & præclara nobis dicta sint, aliquando te silentio visum, nostraque monita comprobaturum; nec te ita nobis amicis tuis aduersaturum, vt diceres, nequidquam amplius, quam egomet, aut sapitis ipsi, aut intelligitis: immo verò, omni mentis elatione contempta, sic te dicturum existimabam, Vos, qui mihi obiurgantem disciplinam, & verecundiam adfertis, libenti animo complectar, nec vestras cohortationes audire grauabor: Illud item profitebor, hæc ipsa, quæ vos responderis, atque loquimini, spiritu intelligentiæ fundi. Tibi verò ratio inita est planè contraria: namque tibi ipse sapientiæ testimonium dedisti, nobis silentium imperasti, vt te docentem audiremus, quòd nobis silentium, magis quam oratio conueniret.

*Non cognouisti hæc vsque adhuc: ex quo homo positus est super terram?* CHRYSOST. Vtrum post conditam rerum vniuersitatem factum est aliquid noui, nihil accidit paradoxum, nulla nouitas, nulla mutatio. OLYMP. Vidisti ne aliquando iniusto quempiam fuisse à Deo supplicio affectum? Illud autem, vsque adhuc, Symmachus, à læculo, interpretatus est.

*Lætitia impiorum ruina ingens, gaudium autem iniquorum perditio.* Minime obscurum est, inquit, quamuis illud contingat, vt brevis temporis voluptate impiorum vita fruatur, grauiorem tamen illos postea pœnam subiisse; hoc etiam acerbiorum tulisse, quo maius ingrati eorum animi in Deum argumentum attulerunt. Neque verò iucunda iis vita fuerit diuturna, quam præsentium bonorum possessio possit adferre. Immo verò, quæ illis lætitiæ voluptas cordi est, exitio futura est; in gentique ruinæ. Quamquam hoc ipsum planius expressit Hebræus, Exultatio, inquit, impiorum breuis, & gaudium ipsorum momentum. Cum Hebræo, Symmachi & Aquilæ congruit interpretatio: nam ille, Impiorum hilaritas, & affluentia breuis; hic autem, Lætitia hypocritæ, \* confertim effusa. CHRYSOST. Si eorum lætitia, ingens est ruina, & gaudium perditio; quid dicemus esse ipsorum interitum? Dic, amabo te, quid dolorem? quid animi ægritudinem?

\* ἐπὶ ἀφύπνῃ.

*Si asederint in calum doni eius, sacrificium autem eius nubes tetigerit; quando autem visum fuerit firmatum esse, tunc in sinem peribit. Qui autem cognouerunt eum, dicent, vbi est? sicut somnium, quod auolauit, non inuenietur: euolauit autem sicut visio nocturna.* OLYMP. & POLYCHR. Ne mihi, inquit, sacrificia narres, quibus te diuino numini honores deferre arbitrare: si enim, qui flagitiosus est, dona eiusmodi attulerit, vt cæli pœne altitudinem emetiantur; si eius sacrificia nubes ipsas contingant; si eius bona firmitatem, & constantiam tueri videantur; Deo tamen scelesti munera repudiante, nempe qui eiusmodi fuerit, funditus interibit, è simulatis sacrificiis utilitate nulla percepta. Neque enim assimulata pietatis specie Deus delictatur, sed nimiam cupiditatem, ambitionemque pœnis persequitur: vt is, qui antea pietate præditus apud omnes habebatur, iam affectus supplicio, eam tanquam in scena ostentasse tantummodo videatur. Vt enim qui secundum quietem diuites fiunt, firma ac cura opum possessione carent, illorumque; felicitas vno somno terminatur; sic est iniquorum hominum, quod è suis sibi bonis quærunt, oblectamentum, cum nec fixum sit, atque ad nihilum illorum recidunt rationes, non secus, ac si somnium foret, visumque nocturnum; vt, quibus fuit antea notus, dicturi sint, & quidem stupore percussis, Vbinam ille est, vbi, inquam, eius gloria? vbi dominatio? vbi honor? vbi diuitiæ? nempe cuncta inania; in nihilum eius arrogantia abiit. CHRYSOST. Ita repentinum illi creatur exitium; vt ne putes consequutione quadam solùm naturali, sed multò maxime potestate Dei incomprehensa gigni calamitatem; ne mihi solas iniquitates obrude. Quòd si iniustus victimas quoque; mactarit, nihil ea re tamen iuuabitur. Audiant ij, qui in iniustitiâ atque improbæ cupiditatis quæstus versantur; quamuis sibi pietatis opinionem conficiant. ORIGEN. Et hæreticus quidem, cum preces Deo adhibuerit, cum eius sacrificium ob animi, orationisque elationem sese altius erexerit, cum nisi firmiter visus fuerit; tunc funditus interibit: oratio enim eius reputatur in peccatum. Nos verò ecclesiastici, quibus haud sibi eius ignota scelera atque

ra atque errata, dicturi sumus; Vbi sunt, qui talia somniant, atque comminiscuntur? sibi que ipsi visa fingunt? qui falsa ac fallaci cogitatione decepti, fundamenta veritatis evertunt? somnii que, quod euo auit, quod nusquam consistit, naturam imitantur? Huius rei simile quidpiam canit David, Inimici autem Domini, mox vt honorificati fuerint ipsi, & exaltati, deficientes sicut fumus defecerunt. Ac rursus, Tanquam somnium eorum, qui expergiscuntur.

*Oculus vidit, & non adiecit, & non considerabit eum amplius locus eius.* Qui semel, inquit, adiecit impium, non eum visurus est amplius: \* nam inde, vbi contumtam putatur habere felicitatem, sibi accersit interitum. Hinc celerem perniciem impij declarat. Adde quòd nec in suo ac proprio loco notus erit, hoc est, nulla eius relinquatur memoria. Simile huius Dauidica canit lyra, Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani; & transiui, & ecce non erat; & quaerui eum, & non est inuentus locus eius.

*Filius eius disperdat inferiores; manus autem eius succendant dolores.* Filiis, inquit, eius necem, perniciemque adferunt inferiores, tenuioresque; dominantur. Idque merito, cum paternæ sint impietatis imitatores: semen enim impiorum exterminabitur. Is verò sibi suis facinoribus rogam accendit. *Propterea* autem fax est, porro manus, actiones: ergo actiones supplicij in illum flammam commouebunt, in illum, inquam, qui impietate animum obligarit, cuius oratio in peccatum deputatur. Nihil ab hac ipsa re discrepat prophetia, cum ait, Ambulate in lumine ignis vestri, & in flamma, quam succendistis. CHRYSOST. Illud igitur est exploratum, esse hanc plagam illaram diuinitus, cum deteriores melioribus dominantur; & robusti ab iis, quorum est abiecta condicio, superantur. Quamquam pro, *Succendant dolores*, Aquila, reddent; Symmachus, Inferent, est interpretatus.

*Offensa eius impietas sunt iuuentute ipsius; & cum eo in pulvere dormient.* OLYMP. Quæ firmiores sunt animi eius partes, iuuentili completæ sunt cupiditate: sed tamen nihil ab voluptatis illecebris lucri auferet, cum mors deleat vniuersa; nec quidquam, vna excepta libidine, hoc est, iniquis exceptis facinoribus, illum ad sepuichrum prosequetur. Sed quænam est supplicij causa?

*Si doli fuerit in ore eius malitia, abscondet eam sub lingua sua.* CHRYSOST. Rationibus, inquit, delictatus est: ateros circumueniendis; & quod grauius est, improbitatem non indcabat, sed clam dolum machinabatur; cumque illum sub lingua occultabat, callidè, insidiosè, ac simulatè omnia loquebatur: nec verò eundem improbè agentem peccauit; sed, quæ meditatatus est, omnino perfecit.

*Non parcat ei, & non derelinquet eam, & contumbit eam in medio gurguris sui; & non poterit auxiliari ei.* Cupiditate, inquit, immoderata atque insatiabili scelus complectetur, atque circumplectetur; non secus, quam suauem quempiam cibum in faucibus continebit: hoc est, cum acerbè perniciem alteri machinatus fuerit, tunc demum ad agendum aggreditur. Sed nimirum nil commodi improbo tum sua feret improbitas, cum improbitatis pœnas sustinebit. Namque flagitiosum fallendi artificium non modò quidquam opiculatur, sed etiam supplicij causa solet esse facinoroso.

*Elaspidum in ventre eius.* Vt inquit, aspis imbuta veneno, è ventre illud euomit, quando ei collibuerit; sic etiam hoc genus hominum ex meditato fallendi artificio, malo ac fraudi sunt ceteris. Hebræus autem sic habet, Et factum est venenum aspidum in visceribus eorum: ideo, quia à nequitia perinde vt à serpentis viro illius abdita discerpuntur: ac si diceret, Iniustitia non solùm illa ventibus nullam præbet utilitatem, sed etiam enecat eos, ac damno afficit. Quare addit;

*Diuitiæ iniustè congregatæ euomentur.* Id est, cum dolore effunduntur. Nihil enim non agit impius, vt aliena interuertat, omniaque hinc spectant, quæcumque ab eo geruntur. Verùm, vbi rerum omnium dominus esse visus fuerit, tunc suas opes cernet ad alios demigrasse. CHRYSOST. Quamuis adeò tutam diuitiarum possessionem adeptus sit, eas vt in ventrem fermè abdidisse videatur, breui tamen illas ipsas dolens amittere: hoc enim valet, *Euomentur*. Idquod iis vsu venit, qui improbis artibus diuitias quæserunt: qui & à Deo coercentur supplicio, &

T bonorum

\* Alias, Nō sum demum, cum videtur fallax, vni ad interitum. Et hæc prouerbiorum est interpretatio. \* πρὸς τὸν σπυ.

bonorum possessione deiciuntur. OL Y M P. Eiusmodi huius loci est sententia, Impius, inquit, cum iniquas opes exorbuisse videbitur, hoc est, illas in tuto habere collocatas, tunc in diuinam iram, quasi in mortiferum medicamentum veneno aspidis temperatum incurrens, opes flagitiose partas vomit vniuersas. Id porro significat, quemadmodum, qui venenum hauserunt, incitantur ad vomitum; sic eum, qui diuitias comparauit iniustas, cruciatu diuulsis visceribus, illas ipsas effundere. Genus item aliud egomet noui diuitiarum, quæ in hæreticorum sunt recondita sermonibus: ij enim præcepta habent veritatis decretis contraria in suis ipsorum inclusa visceribus, quæ dulcia minimè sunt, sed seipsum aspersione sunt illa doctrinæ præcepta, id est, nefaria; quemadmodum in Deuteronomio in oë Moysis de vino doctrinæ eorum dictum est. Quanquam, quæ Dei est bonitas, non id permittet, vt per iniuriam partas diuitias vique illi retineant: nimirum faciet, vt eas vomant aliquando. Angelus enim diuinæ clementiæ ope è selecta domo, quæ ecclesia est malignantium, illos educet. Itaque subiungit;

*De domo ipsius extrahat eum Angelus.* Si verba tantum petantur, Angelus quispian ex iis, qui tortorum munere funguntur, è cunctorum bonorum illos possessione exturbabit: ac nimirum de iniustis hominibus est sermo. A domo autem vniuersa significauit. Carteri pro, *De domo eius*, De ventre, interpretati sunt. Nempe hæc videntur expressisse sententiam, Angelus è corpore quasi è ventre animam extrahet hominis iniusti, ac per vim illam interimet.

*Furorem draconum Lactes.* Alij verò, Venenum aspidum suget. *Interficiat autem eum lingua serpentis.* Sic omnia, inquit, illi erunt exitiosa, interstinoque vitio consumetur, non aliter, atque is, cui mortum serpens infixit. Nam, furore, venenum significauit, rectèque dixit, *Lactes*, vt ostendat impium ex certa animi sententia & libentem, nequitia lac, veluti mortiferum virus surgentem augeri cum vitio, & quæ vitiosa sunt, administrare, ac demum à vitio perimi. Lingua autem serpentis est, sicut improbi contraria loquentis. ORIGEN. Ac vide, quænam & quanta ob impia dogmata homini proposita sint, falsis opinionibus corrupto. Quo etiam magis nobis ipsi cauere debemus, ne fortè sermonibus ad persuadendum accommodatis hæretica doctrina prædas agat è nobis, atque ab Ecclesiæ sacramento decidamus.

*Ne videat mulsonem gregum, neque pascua mellis & butyri.* Symmachus autem, Riuulos.

*In vanum autem & stultè laborauit; diuitiæ autem è quibus gustabit, sicut herba, quæ mandis & deuorari non potest.* Qui putat se rapinis locupletatum iui, partis bonis ideo non potietur; quia Deus vindex fortunaarum illi possessionem eripiet. Subiectis verò exemplis rerum copiam declarauit. Ea verò, quorum causa stultè laborauit, quasi striphnus illi erunt: est autem striphnus caro bouum neruosa, est item herba quædam sic appellata, quæ mandere conantis linguam redat asperiores, quæ mandis nequit, atque ob id ipsum nec deglutiri. Dicit igitur impium nequaquam sua bona concocturum, neque illis planè potiturum: verum, quemadmodum, qui herbam illam sumit, quamuis dentibus exterere magnopere conetur, nequit tamen deuorare; sic, qui frui rebus capit alienis, nihil lucelli suis laboribus faciet. Iobum autem sic propemodum compellere videtur, Minimè mirari debes, si tibi omnia abrepta sunt è conspectu; quæ enim rapina fueras adeptus, hæc ipsa iure à te Deus abstulit. Nempe igitur ex iis, quæ dicta sunt, ratiocinare, in opum construendis aceruis te stultè defudasse: ita diuitiarum, quas collegisti, fructu es ac voluptate spoliatus. ORIGEN. Et is, qui alienis ac mendacibus est opinionibus imbutus, gregum & armentorum mulsonem non videt. Greges, ipsæ sunt animæ, quæ à bono pastore pascuntur, & pascua inueniunt. Ipsa quoque dogmata, quæ Deo aduersantur, nil habent dulce, sed prorsus acerba sunt, aspera ac dura.

*Mulorum impotentium domos fregit: domicilium autem rapuit & non statuit.* Symmachus autem, Domum rapuit, & non reedificabit eam.

\* Aug. Mel-  
tan pecori.  
\* qui est  
deus in  
dignitate  
sua.

NON

*Non est salus subleuita eius.* Quæ aliis molitus est, hæc ipsa illi euenient. Nam, quemadmodum ipse imbecillarum domos fregit, hoc est, inaniter affliit atque contriuit, atque odio fortunas omnes diripuit, nec eas restituit; (Ilud enim, *Non statuit*, pro, non restituit, positum est) ita nec suæ illi rationes erunt incolumes, nec eam ei salutem impertient. Immo verò propter hanc ipsam causam parta illi bona peribunt, nec posteris transmittentur. Symmachi tamen interpretatio sententiam quandam aliam præsefert; hoc enim dicere videtur, alienam domum, quam iniustus rapuit pro sua libidine, iterum ab eo ædificari atque ornari non posse; quin etiam antea fore ipsi moriendum. ORIGEN. Et nimirum is, qui prauas confectatur opiniones, sicubi in fide, & in sana doctrina infirmum offendat, hunc spoliat. Verèque de falsarum opinionum magistro dicitur, multorum impotentium domos ab eo comminui, eius verò, quem in fraudem induxit, tabernaculum diripi, quod postea statuere nequit; neque enim potest mendacium statuere.

*In desiderio suo non saluabitur: non sunt reliquæ cibis illius.* Postquam res alienas concupierit, consequutusque fuerit, nihil tamen ex iis compendij faciet, neque eorum, quæ adeptus est, possessionem retinebit incolumem; sed omnia perdetur exitio; vt prorsus nihil sit ei relinquendum in bonis; sic etiam cibus cariturus; summaque faciet inopia, vt relinquere planè nil possit. Quo etiam loco maximam egestatem ac difficultatem, qua Iobus premebatur, ostendit. Quocirca ad hunc modum est Symmachus interpretatus, Cum habuerit ea, quæ concupiuit, non saluabit; non relinquet de cibo ipse Quare

*Non florebut ipsius bonas quando videbitur plenus esse, conteretur; omnis autem necessitas super eum irruet; si qui ratione impleat ventrem suum.* Fortasse etiam nec illius bona florebut, verum in ipso flore contabescunt. Quod si eius vita referta, boni que omnibus cumulata videatur, nihilominus omnis calamitas atque necessitas, tunc temporis in eum incurret, vt necesse sit eius animum doloribus redundare. Hæc vtilem nobis habent admonitionem, vt ab alienis abstineamus; quandoquidem is, qui non sua sibi vendicari, cum bonis omnibus circumfluere videbitur, tunc grauissimam inopiam sustinebit; vt ratio sit illi ineunda, quemadmodum ianem ventrem, & egentem queat explere.

*Emitat super eum furorem iracundia; ningat super eum dolores.* Symmachus autem, Pluet, Deus videlicet. Hæc, inquit, patietur impius; iracundè in eum Deo plagam, eamque acerbam & more pluuia confertam, & quidem sine intercedidine, eientemque dolores, immittente: quem ipsum etiam Deus, quasi iniuriam doloribus obruet.

*Et non saluabitur de manu ferri, vulneret eum sagitta area; pertranseat os eius iaculum.* Hæc dicit, ab iis transferens, qui in bellis luculentas plagas ferro inflictas excipiunt, & contentorum arcuum sagittis, configuntur; huc enim pertinet sagitta area: vt si diceret; Deus, qui fortis est, acri in impios vitur ira, nec illius vitandi supplicium vlla datur facultas; sed, quemadmodum corpus sagitta confixum facillimè in seruitutem redigitur, sic & impius à Deo constringetur supplicio. Enimverò hæc similitudine planè rem omnem illustrauit, cum grauem Dei in impios animaduersionem ostendit.

*Stellæ in taberna eius ambulent.* Alij codices habent, Non ambulent, quasi his verbis vratur, Nihil ei splendoris relinquatur. Illa verò lectio, *Ambulent*, hoc significat, terribilibus cum visis perterrefactum iri. Aut verò id significat, sic derelictas fore domos atque desertas, vt ad eas siderum fulgor perueniat, contignationibus, laquearibusque reiectis: vel etiam fulmina dicit, quæ impetu feruntur: quam sententiam his verbis Aquila expressit, Et fulgur à facie eius veniet super eum, id est, à facie Dei, hoc est, illius imperio fulgura & fulmina immittentur in impios. Necnon aliter licet hæc intelligere: nam stellæ iustos nominat, qui tamquam luminaria sunt in mundo: & quoniam dictum est antea, Quæ illi congregarunt, comedent iusti, hoc ipsum nunc verbis aliis effert, fore vt stellæ in impiorum domiciliis ambulent, id est, ad iustos vt illorum bona perueniant.

\* negotio  
habet Catena  
Card. Caraf.  
sententia ve-  
ritas de  
vobis require-  
re videatur.

\* Ita ecc  
gust. Grad  
teon ubi  
xior: quod la-  
tine fortasse  
no minus re-  
fle diceretur,  
Arcus arcus.

*Terroris super eum; omnes tenebræ illum permaneant.* Terror, inquit, ac tenebræ erunt impij: r. bus iniectæ; nam præter alia tenebræ illum excipient. Aquila autem, Absconditus est in occultis eius, interpretatus est, aliud quidpiam indicans, impium metu duce in abditis delitescere, hoc est in locis occultis remotisque ab arbitris, in locis inquam tenebrosis: & ego quidem sic sentio. Quod verò est apud r. x. *Omnes tenebræ illum permaneant*, hoc valet, impium pauore percussum loca omnia oblecta, ac tenebrosa oblectare, & quarere ad perfugium.

*Demorabit eum ignis, qui non succenditur.* Aquila autem, Theodotio & Symmachus sic, illi quidem, Non excitatus flatu, interpretati sunt; hic verò, Sine flatu. Mihi quidem ratiocinanti hæc huius versus occurrit interpretatio, hoc loco eum ignem significari, qui consultò non fuit accensus, sed calu, fortuitoque demissus, cuiusmodi ille fuit, quo Iobi greges atque pastores deflagraverunt; quæ ipsum quasi nutu indicat. O. r. i. g. Quod si reconditiora quædam meditemur, ignis, qui non succenditur, aut ignis est conscientia, aut verò ignis ad futura tribunalia referuatur. Hinc enim mysterium eius, quæ illic futura est, a. inaduerfionis docemur, vt eam animi prouisione, & cautione vitemus. Igni igitur, qui non succenditur, deuorari impium dixit: hic, qui apud nos in materia hæret ignis, haud est eiusmodi; hic enim accenditur, nobisque est aspectabilis; ignis autem, qui facinorosos corripit, eosque intus inflammatur, is est, quem negavit accendi: cuius si imaginem quempiam cupis animo intueri, sic tute cogita, esse quempiam igni admirabili circumseptum, & illo quidem igni amburi, atque cremari; nemine huius externi, & concreti ignis flammam admouente, nempe ignem huic homini circumdatum videbis, quo eius præcordia vrantur. Haud secus quis scelerum æstu, febrique iactatus exurit.

*Ladat autem domus eius aduersa.* Id est hospes aliquis, aut alienigena: quod ipsum ad miram impij imbecillitatem confirmandam a. latum est.

*Reuelat autem celum iniquitates eius, & terra insurgat in eum.* Omnis, inquit, natura cum eo, qui Deo est inuisus, inimicitias geret: & partem quidem malorum à celo accipiet, contra eum pugnantem Deo; partem verò à terra, inuadentibus hominibus, & celum quidem ipsum eius retegere iniquitates, eiusdem facinora diuina ultione propalam collocante, cum sceleribus supplicium fuerit diuinitus constitutum, ipsaque terra instructis, armatisque copiis decurrabit. Hæc ideo Sopharus dixit, quod greges, è superna regione delecto igni, consumpti sunt; filij autem, quia, domo aereo flatu conuulsata, & ruente, oppressi sunt; bouum verò, asinarum & camelorum armenta ex inferna hac regione irrupentes hostes abripuerunt. Probat igitur Sopharus cunctas Iobo ærumnas ob ipsius flagitia illatas esse.

*Trahat domum eius perditio in finem.* Hoc est, omni exitio vastabitur, atque omnia animaduersio diuina peruat, Deo supplicium decernente.

*Dies ira irruat super eum.* Qua quidem die ultio in eum diuina incitabitur.

*Hæc pars est hominis impij, & possessio bonorum, quæ sunt illi ab Episcopo.* Hæc à Deo impius, inquit, consequetur, tantæque possessionis finis erit supplicium. Quia enim is, qui bona est adeptus, diuinæ beneficentiæ sentum non accipit; hæc illi possessio & pars à Deo, qui omnia speculatur, assignatur, vt ira diuina saturet. Verumenim, cum audiant episcopi, hoc nomine Deum in sacris literis appellari, id curent in primis, vt nominis sui dignitatem tueantur, vigilantique studio ad gregis salutem incumbant, si te, vita, quæ omni culpa vacet, doctrinaque sint ornati. Discant quisnam sit hoc loco Episcopus nuncupatus, omnique ratione illius imaginem studeant præferre. Quemadmodum enim, qui regiam imitatur imaginem, in eo quod præclarum est, imitari conatur, illam item studet exornare; sic de beato episcopo dicendum est, qui cogitatione atque imitatione eum, qui verus est episcopus, complexus est, qui tanquam Deus inter homines versatur; qui eum sibi proposuit episcopum, à quo verè creatus est in Christo Iesu episcopus.

*Protheoria*

*Protheoria Capitis Quintodecimi.*

**LENIENDAE** ægritudinis causa cum Iobi necessarij properassent, ac suis ipsi oculis malorum atrocitatem spectassent, nullam tamen de Deo absurdâ cogitationem susceperunt, vt quorum mentes aduersus Deum religio imbuisset: nihilominus, cum ignorarent ad periclitandam, comprobandamque virtutem plagam illam pertinere, rectum illud existimauerunt, Iobum quidem si tanquam culpæ, pœnæque obnoxium condemnassent; Deum autem, qui minimè iniustum irrogarat supplicium, tanquam iustum pronunciaissent. Fortissimus verò Iobus, etsi nihil de Deo iniuste cogitauit, etsi opinionem diuinæ prouidentia, rectè & iuste cuncta administrantis, quæ in animis amicorum inledebat, nulla ratione euerit; quia tamen nulli erat rei conscius, eui tantum deberetur supplicium, iniquam condemnationem amicorum ferre non potest. Quamobrem is, cum multi hinc de rebus inter ipsos sermones habiti essent, nunc etiam Sopharus impietatis se insimulasset, atque damnasset; illos his verbis compellat, Audite sermones meos, vt intelligatis ad consolandum orationem aptam haudquaquam à vobis adhiberi, sed in faciendo iudicio errari. Atque interim, dum eorum coarguit inscitiam, hoc ipsos problemate laceffit, Vtrum prouidentia respectas habetis rationes? (dicite mihi) cur rectè agitur cum impijs? cur bonis omnibus circumstantur? cur vsque adeo est eorum vita laeta, ac molestiis vacua? præsertim cum inimicos, & hostiles aduersus Deum voces vsurpent: (tamestis est eorum quoque caduca felicitas) qui sit etiam, vt alius diuitiis, cæterisque rebus apud homines beatus, alius verò cum amatore animi migret è vita, nulla precepta part: bonorum? Ad hæc sententiam hanc mediam interponit, An non Dominus est, qui prouidentiam & scientiam docet? vt Dei iudicia inexplicabilia & incomprehensa, Prouidentia item rationes obscuras nobis esse ostendat.

**S**uspirans autem Iob dicit, *Aud te, audite sermones meos, vt sit mihi à vobis hæc consolatio.* Symmachus autem, *Et sit hæc mutatio consilij vestri.* Duplicatio verbi, *Audite*, aut ad excitandam attentionem, aut ad animi securitatem declarandam pertinet. Huius autem versus eiusmodi est sententia, Accipite, quæ à me dicentur vt, cum intellexeritis verba ad consolandum idonea vos minimè fecisse, tum vestri vos pœniteat consilij, tum orationis ordinem, rationemque commutetis. Nam vt nunc vestra consolatio est, non tam consolatio est, quam dolorum additamentum. Dum enim mihi calamitates exprobratis, vulnera mea dilaceratis.

*Sustinete me, ego autem loquar; deinde non iridebitis me.* Symmachus, Et post sermones meos stabitis. Duplex est autem iis verbis subiecta sententia; vel enim id dicit, sustinete & ferte me dicentem; nec enim dubiro, quin quiescere aliquando & à ludibrijs cessare debeat, dummodo, quæ ipse paro dicere, percipere velit: vel certè hoc loquitur, Releuate me atque erigite morbo succumbentem: postquam autem ipse arbitrato meo peroraro, ipsi rursus in prioribus accubitu collocabitur.

*Quid enim? an hominis est mea? castigatio? aut cur non irascar?* O. L. Y. M. P. Stomachum, inquit, mihi mouetis, dum huiusmodi contra me mendacia fabricatis. Nam quis tandem ex omnibus hominibus probare potuerit, me aut impium, aut rapacem, aut alieni appetentem fuisse? quod ipsum tamen dicere non estis veriti? Ergo, cum nemo reperitur, qui me iure reprehendas, an non ipse iure vobis irascar, qui accusatorie ad ea confirmanda nitamini, quorum estis ignari? Vel certè id dicit, quod postea vsurpauit Apostolus, Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicetur; qui autem iudicat me, Dominus est: idcirco minimè excautesco. Nam, cum id, quod in causa versatur, haudquaquam sit vobis apertum; quod diuini est iudicij, vobis ipsi arrogatis.

*Respicite in me, & admiramini.* Aquila autem, \* Dubitate; Symmachus verò, *Obmutescite.*

*Manum ponentes super maxillam.* Cæteri, Super os. O. L. Y. M. P. Qui silentio audiunt ferme

**CAPVT XXI.**

\* γενέσθαι τῶν τοῦ μετέσθαι λείπον ὑμῶν.

\* Ita Aug. gravè ἐλεγξίς, rectè etiam diceretur, re-dargutio.

\* ἐκαποεῖν, ὁππότε γίνεσθαι.

fermè cubito in femur incumbente, & in manu ore residente ad ea, quæ dicuntur, aduertere animum confuere: hæc igitur eius est oratio, Silentio atque attente audite me; ut, quæ dicentur, admiramini. Ita nonnulli sunt verbum hunc interpretati: sed tamen, quantum ipse iudico, id scilicet dicit, Cum mea reputaueritis, miramini: nullaque est vobis ratio explicata consilij: quandoquidem nec perpeffionis meæ causam inuenire potestis: itaque hæsitantes, cum nihil dicere habeatis, silentij vincula ori iniicite: etenim vsque eò meæ ærumnæ orationis quamlibet superant facultatem, ut de iis propter difficultatem præstet silere, quam temerè pronuciare, atque de mea condemnatione sententiam ferre.

*Si autem recordatus fuero, fatigis tenent autem carnes meas dolores.* Hoc item loco lapsi sunt interpretes. Strictim, inquit, artingam, ac breuiter commemorabo ea, de quibus sum dicturus: nec enim, qui meos artus dolores obsident, largiuntur mihi, ut longiore vtar oratione. Symmachus pro, *Sategi*, Cum conturbor; exposuit, hoc credo significans, Cum meorum maiorum memoriam repeto, profusus commouor atque conturbor, ut nec ipsam recordationem ærumnæ sedato animo ferre queam; corporis enim cruciatus ad sese me rapiunt, nec ea, quam deceret, oratione vti me sinunt. **CHRYST.** Vide quemadmodum tuam ubique causam tueatur, quemadmodum dolores in medium adducat, quemadmodum eorum, ad quæ dicenda ingreditur, causam neget aut a se, aut ab illa mentis inductione natâ, sed à perturbato animo, infuscatisque cogitationibus prefectam.

*Quare impij viuunt inueterauerunt autem in diuitijs? semen eorum secundum animam? filij autem eorum in oculis? domus eorum prosperantur? timor autem eius nunquam? flagellum autem à Domino non est super eos? vacca eorum non abortiuit? saluata est autem prægnans eorum, & non errauit? manent autem sicut ut pecora perpetua? si quæ eorum proludunt, assumpto psalterio & cithara, & latantur voce psalmi? non consummauerunt in bonis vitam suam? in requiem inferni dormierunt? dixit Domino, Recede à me; vias tuas cognoscere nolo.* **OLYMP.** Quandoquidem sapientes vos esse quosdam existimatis, necnon causa tenere, cur hæc ipse perpetuo, percontari mihi respondeat, Cur multi sæpenumero, quorum animos deuinxit impietas, in opibus confenscunt? cur vberes iis fructus fert terra? cur felici ac preciosa sobole lætantur? cur vdiuque ad eos bona confluunt? cur neque ipsa natura, quæ ratio ne caret, cum iis agit aliquando infelicitate lætam, iucundamque vitam similiter, ut pecora persequuntur? perinde quasi sint ipsi diuinam, mortisue sortem manibus amplecti? neque ad eos humanæ pertineant ærumnæ? illorum quoque si ij hilares sunt dies, vitamque iucundè traducunt, ac in iustis organis oblectant animum, omnique bonorum genere redundant, dum viuunt, denique cum bonis iis vitam deponunt? atque id aperto Marte cum Deo pugnant, diuinorum iussorum nulla cura, cogitationeque suscepta? Atque huiusmodi est superiorum versusum sententia. Operæpretium tamen est singulos versus seorsim expendere. *Quare, inquit, impij viuunt? inueterauerunt autem in diuitijs?* **CHRYST.** Tale quid Dauid canit, Ecce peccatores & abundantes in sæculo, obtinuerunt diuitias. Et nunc quidem lobus non id solum ait esse admiratione dignum, quod impiorum sceleri huiusmodi quædam reponatur; verum etiam, quod felicitate sunt deteriores. **ORIGEN.** Illud verò, *in ueterauerunt in diuitijs*, hanc habet interpretationem, Haudquaquam sunt nuper locupletati, immo verò ab ineunte ætate ad summam senectutem vitam in diuitijs egerunt. *Semen eorum secundum animam*, hoc est, nullus in iis sterilis, omnes secundi, omnes semen filiosque habent: nam, *secundum animam*, hoc valet, Nempe non est ex iis pater: *Eorum filij in oculis*. Symmachus autem, Manent ante eos: iucundum est enim spectaculum parentibus, natos contueri puerilibus, inconditisque sonis sese oblectantes. *Domus eorum prosperantur; timor autem nunquam, flagellum autem à Domino non est super eos.* Capiunt, inquit, voluptatem è liberis, verentur neminem, florentis status vicissitudinem non pertimescunt, plagam illatam diuinitus non excipiunt. At nonnulli, *Semen eorum secundum animam*, non ad semen filiorum retulerunt, sed ad ea, quæ terræ mandantur, semina: ut id, quod dicitur, sit eiusmodi, Magna in eorum segetibus & agris se effert fertilitas,

litas, sterilitas nulla, nec quisquam eorum est, cui non fructuum suppeditet copia. Sed tamen priorem expositionem duco meliorem. *Vacca eorum non abortiuit*, Symmachus autem non fecit abortum, id est, rus colens vacca inchoatum ac mortuum ferum non edidit. *Saluata est autem eorum prægnans, & non errauit*; Aquila autem, Vitula, ac si diceret rursus, Vacca rudem partum non abegit, immarurum conceptum non extinxit, sed seruauit incolumem & absolutus est, nec aberrauit à scopo. Quidam de mulieribus hæc dici arbitrantur, quod impiorum hominum vxores mutilata & imperfecta minimè pariant. *Manent autem, si ut pecora perpetua.* Aut hoc dicit, iis manere armenta, vti forent sempiterna ab omni pernicioso morbo ac lue, ab omni interitu aliena; aut illos ipsos diuturnam vitam viuere, ac pecudum more propagari, & procreationibus æternitati æmulari.

*Filij eorum proludunt assumpto psalterio & cithara, & latantur voce psalmi.* Alia est hæc patrum felicitas, filiorum hilaritas, ad quam efficiendam tibia, citharæ ac tympana magnam partem obtinent; quibus ipsis aures oblectantur & animi voluptates concitantur; & qui adsunt, illo intemperato ac molli concentu permulcentur, & impiorum filij intemperanter agunt, dum intentis neruis ac fidibus manus admovent, vocique plaudunt organorum. *Consummauerunt autem in bonis vitam suam* Hoc est, nunquam est iis felicitatis cursus interruptus, sed vitam bonis corporis conferam traduxerunt; fuitque iis idem felicitatis exitus ac vitæ; si quidem eos vitæ iucunditas vsque ad extremum spiritum est prosequuta. *In requiem autem inferni dormierunt.* Id est, vsque ad obitum, animi quiete & securitate vti, sine cruciatu ad Inferorum sedes demigrant. Aut etiam, Quia haud amara est iis mors; sed tanquam somno confopiti, sic moriuntur. Aut certe, quia ceterorum hominum acerba est, & ærumnosa vitæ; si in vna morte quietem inueniunt: hoc verò genus hominum, de quibus est sermo, ubi vitam omnem omni terrore liberam exegerunt, pari fiducia ac libertate ad mortis quietem peruenerunt. *Dixit autem Domino, Recede à me; vias tuas cognoscere nolo.* Animo soluto ac vacuo, nullaque molestia impedito semper viuunt, à Deo palam alienati, atque impudenti oratione huiusmodi apud Deum vtuntur, Quid nobis imponendis legibus molestiam exhibes? leges tuas recusamus, nec eas nosse volumus, nec diligere, neque in illis ipsis ambulare.

*Quid sufficiens? quia seruiemus ei? & quæ vii itas? quia obuiabimus ei?* Per impiorum personam hæc loquitur. Par huic est illud, Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Quis, inquit, est sufficiens, id est, omnipotens, qui dicitur Deus? Quid nobis tandem lucrif dabit, si illius cultum, obsequiumque delegerimus? Ecquid nobis erit opis, si ad eum adorandum procumbentes accesserimus? Illud enim, *quia obuiabimus ei*, per metaphoram dictum est, translato verbo ab iis, qui claris, honoratisque hominibus assurgunt, iisque obuiam honoris causa procedunt. Deinde causam exponit, cur hæc dicant impij.

*In manibus enim erant eorum bona.* Ut doceat, haud laboriosam iis fuisse bonorum voluptatem. Et quidem hæc cogitant, inquit, propterea quod nullo afficiuntur supplicio, sed in humanæ vitæ affluentibus bonis commorantur, Deo interim patienter ferente: ac verbis loquuntur huiusmodi, Cuncta in manibus habemus; quæ voluptatem possunt adferre, nobis ipsi comparamus: quid nobis amplius Deus fuerit impartitus? ut nobis in eius viis, iussisque seruandis sit magno opere laborandum?

*Opera autem impiorum non intuetur.* Visum est nonnullis, hunc quoque ab impiis proficisci sermonem; qui, ut verisimile est, has voces vsurpent, Hæcne Deus contemplatur? in his ille versatur? minime verò: nempe nihil is curat humana. Sed fortasse rectè hæc ipsa verba in Iobum accommodentur, Dei incredibilem patientiam admirantem; quandoquidem, qui ante pedes positi sunt, impios non coercet. Sed impune peccare sinit, perinde quasi, quæ sunt, gerunturque ab illis, minimè perinde ret.

*Verum amen & impiorum lucerna extinguetur; superueniet autem eis subuersio.* **Dolores autem eos habebunt: runt autem sicut palea ante ventum, aut sicut puluis, quem sustulit procella.**

\* ἀμετρή-  
σε, id est, im-  
maturum pe-  
perit.  
\* ἕως αὐτῶν.

\* ἀδύνα-  
τος.

*cella. Deficiat filios substantia eius.* Etiam si, inquit, perpetiatur Deus, tamen in impiis tandem animaduertit: atque eorum splendor, non secus, ac lucerna, flante vento, consumptioque oleo, extinguetur: acerbi eos discendent dolores, parientisque mulieris cruciatus imitabuntur: illorumque omnia minuentur, atque ad alienos migrabunt; non aliter atque palea à vento, aut puluis à turbine iactata; nec verò possessioni bonorum succedent liberi. Quod autem dixerunt Septuaginta; *Deficiat filios substantia eius*, & quod Theodorio extulit, Deus abscedent filiis eius iniustitias eius, pertinet eodem: etenim, cum filij patrum imitentur nequitiam, merito eos, inquit, Deus supplicio coercet, atque eius filiis eiusdem iniustitias Deus, hoc est, iniustitiarum pœnam reseruabit: nec permittet ad eos hereditatem paternam peruenire. Huic illud respondet, Reddens iniustitiam patrum in filios.

*Retribuet ei, & cognoscat.* Huius simile est illud, Cognoscitur Dominus iudicia faciens. Cum enim impius à Deo sibi reponi videt, tunc animaduertit ac sentit, ea, quæ geruntur, perspicua Deo, certumque esse impiis supplicium constitutum. Nam, quia impius, cum vitam ageret bonis perfluentem, iniuria Deum affecit; nec eos, qui agunt improbe ab illo videri, sed impunitos dimitti existimauit; idcirco eorum, quæ peccauit, pœnas ab eo repetit; vt vel ex ipsa plaga, tum iusti iudicij Dei, tum suæ ipsius iniustitiæ atque impietatis notitiam hauriat.

*Videant oculi eius ipsius met interfecionem: à Domino autem non saluatur; quia voluntas eius in domo eius cum ipso, & numeri mensuram ipsius diuisi sunt.* Interfectionem dicit, aut ipsum exitum, aut, ex interpretatione Symmachi, ipsum casum ac ruinam: hæc, inquit, ipse interitus atque excidij spectator erit, suamque ei interim Deo supplicias ferente: quandoquidem maluit suæ improbiæ quàm rectæ Dei voluntati obsequi. Immo verò, inquit, immaturo perditur interitus; siquidem vitæ eius spatium interciditur, seu, vt Aquilæ & Theodorionis est interpretatio, dimidiabitur, breuique decedet. Tale quid in Psalmis de impiis dictum est, Quia non dimidiabunt dies suos.

*An non est Dominus, qui docet prudentiam, & scientiam?* Symmachus autem, Nunquid Deum docebit aliquis scientiam? Quoniam autè dixerat, quosdam impios protinus, admissis flagitiis, pœnas dare, quosdam in omni vita nullas luere: accidit etiam, vt etiam infontes perpetiant Dei permissu ærumnas; ideo, qua id Deus ratione agat, negat nostrum esse scire; nisi fortè Deus quempiam ea de re erudire voluerit, atque huius ipsius rei scientiam docere. Quis enim huius inæquabilis condicionis, quæ in hominum vita versatur, teneat rationes? quis Prouidentiæ decreta penitus introspeciat? planè nullus, vno excepto vniuersæ cognitionis domino; qui, cum nullo egeat doctore, gratuita alios imbuit sapientia.

*Ipsæ autem sapientes diiudicat.* Solus ipse, qui est sapientissimus Deus, harum rerum habet causas exploratas. Is sapientes, qui apud homines habentur, interno scit; quorum alios diuina sapientia præditos probat; alios humana sapientia præstantes improbat.

*Hic autem morietur in robore insipientiæ suæ letabundus & abundans; intestina autem eius plena adipis; medulla autem eorum diffundetur: ille autem morietur præ amaritudine animæ, cum nihil boni comederit; simul autem in terra dormiunt; putredo autem eos operuit.* Cur impius ac stultus amentia suæ viribus præditus moriatur, medulla ille quidem, vt Symmachus dixit, ossium irrigatus, id est, corpore perbelle affecto, cui ad voluptatē & præclarā habitudinem nihil desit (id enim carniū, ossiumque adipe indicauit) contra verò, cur iustus, nulla suauitate degustata, nulla humanorum parte bonorum percepta, vitam dimittat; cur ambo communem interitus conditionem subeant; cur corpus vtriusque peræquè putrescat ac dissoluatur; quemadmodum & quamobrem hæc contingant; quam ratione, inquam, dcedat impius, in quem amentia, hoc est, peccatum, imperium tenuit; contra verò iustus, & vterque pariter putrescant: hæc verò intelligere, solius est Dei; nec fieri potest, vt ex eo, quod commune est, proprium vtriusque cognoscatur. Atqui euenta ambobus communia, vt vni Deo discrimen possit esse perceptum.

*Quapropter*

*Quapropter noui vos, quod audacia insisteris mihi.* Symmachus, Noui cogitationes vestras, & sententias contra me iniquas.

*Quia dicitis, vbi est domus principis? & vbi est velamen tabernaculorum impiorum?* Hæc, inquit, dum egomet cum animo meo cogito, in vnius Dei mente absolutam rerum omnium notitiam insidere, minime mihi dubium est, non scientia vlla sed audacia duntaxat, vos mihi tanquam impio & facinoroso acrius instare, ipsiusque Dei iudicio præcepto, dicitis, Vbinam domus est eius, qui antea beatus erat? vbi genus? vbi bonorum possessio? vbi copia diuitiarum? vbi ædificiorum apparatus? vbi constructio? abeunt isthæc omnia impiis, isthæc, inquam, omnia perierunt, deleta sunt, nullum factum est vestigium, nullæ manserunt reliquæ; nullum monumentum. Ex his tua expende; & quæ fors tibi obtigerit, intueri.

*Interrogate transeuntes per viam; & signa eorum non alienabit; quia ad diem perditionis leuatur improbus; in diem iræ eius abducitur.* Quamuis, inquit, quædam in hominum vita cernatur inæqualitas; non tamen illud dederim potius quidpiam esse in vitio quàm in virtute: quin etiam hoc affirmo, quemadmodum iis, qui iter faciunt, signa sunt cognita, & diuersoria nota, postquam iter consecerunt; sic, qui humanæ vitæ spatia ambularint, quo tandem loci vitam deposituri sint, haud esse obscurum; licet enim ad breue tempus insolenter efferatur improbus atque tumescat, nihilominus dignum sua improbitate tandem reperiet diuersorium: namque statura dies exitij, diuinæque iræ illum expectat. Illud autem, *Leuatur*, Symmachus, Seruatur; Clam auferetur, Aquila est interpretatus; hoc ostendit illum ad supplicij diem reseruari.

*Quis annuntiabit in faciem eius viam eius? & ipse facit; quis retribuere ei? & ipse in sepulchra abductus est, & in ærno vigilauit.* Quemadmodum, inquit, cum ex iis, qui sunt viarum periti, quærimus, quò hæc, illaque via ducat, si eos dicere audierimus, hæc quidem ad laxamenta, & commoda ducit diuersoria, illam verò montes excipiunt, solitudines ac præcipitia, ipsi illorum signa minime alienamus, hoc est, minime reiciimus, nec improbamus, sed tanquam propria, manifesta & confessa illa admittimus, ac planè credimus, non secus, quàm acceperimus, illa nobis catura esse: sic profus perditis, ac prostratis hominibus vitæ, institutique sui exitum exploratum esse oportebat. Verum quis id suscipiet, vt illis demonstraret? quis flagitiosè viuenti, atque ei, cui fluunt omnia sæliciter, aut viam, inquam se dedit, aut viæ clausulam commonstraret? quis, quamuis sit ab eo nefariè & contumeliosè tractatus, illum aut viciscetur, aut æquo, parique iure persequatur? quis nihil reueritus communis naturæ despectam condicionem, eundem doceat? quis illum ad eiusmodi mentis reuocet sanitatem, vt persuasum habeat, hoc breui vitæ confecto curriculo, ad sepulturam fore deportandum? ac multas illius curas atque vigilias esse tumultum complexurum? & quidem ternos cubitos, per paucos lapides, angustam terram debere esse satis ad cœnum corporis eius contegendum? Necnon ad hunc modum commentabere, Quis impio coram palamque dicat, vitæ suæ omnis finem esse mortem? vt is hac ratione compungatur? vt ad tumultum meditans præ sollicitudine vigilet?

*Dulcis facta sunt ei silices torrentis & post eum omnis homo abibit, & ante eum innumerales.* Quid sibi vult hoc loco, torrentis? quid, dulces effectæ silices? quænam in hisce verbis sententia lateret? Has ego silices, quemadmodum in sinu intelligentiæ tutè colloccem, aut quemadmodum torrentem hunc sine offensione commentando transeam, nisi viæ dux, & adiutor aliquis adsit, profus non reperio. Tu ergo, ô beate, qui isthæc philosophatus es, nos complectere, ac nobis dux esto, nec antea deseras, quàm in complanatam viam deduxeris: qua iter rectè facere possimus, & à vero minime aberremus. Nam, vt nunc est, ipsi propè deprehensi in triuio, quam intelligendi viam ingredi debeamus, ignoramus. Vtrum igitur, ô vir mentis celsitudine ac sapientia præstans, hoc dicitis? Impio homini, & peccandi cupido; vel ipsam fossam torrentis speciem imitantem, quæ post mortem est illius cadauer complexura? vel ipsos lapides, ipsasque silices iniici-

V

endas

eadas visum iri dulces, cum nec molestiam nec admirationē ea res homini eiusmodi adferat cogitanti, non sibi soli esse moriendum? sed innumerabiles quosdam idem poculum hauissē? nec fore quempiam, qui non sit ex illo ipso calice potaturus? Aut verò id non dicis? Illud potius doces? Tamen si homini nequam tanta gignatur vbertas, ut etiam terra sterilis, cuiusmodi ea est, quam torrentum curus ac saxa exaggerarunt, sit fructuosa; tamen esse illi peræquē, ut cunctis hominibus, moriendum? Aut etiam sanè eorum neutrum dicis? sed reconditiorem quampiam aliam sententiam ostendis? nempe, torrentis silices, hoc est, huius fluxæ & caducæ, ac torrentis more labentis vitæ asperam, inæqualemque condicionem esse impio voluptati? nec ei, qui mundanis deliciis est delinitus, ad mirabilem ac nouum accedere interitum, quem ante non nulli, post alij, omnes denique ad extremum perferemus?

*Quomodo autem me frustra consolamini? me autem cessare frivē à vobis nihil.* Nec utiliter, inquit, nec opportunè consolationem vos mihi adhibuistis; nec enim dolorem meum magis demitigastis, quam exulcerastis; nec firmum quidquam attulistis, cur ob verecundiam mihi tacendum sit, ac vestra causa cessandum; vestra enim refellendi studio susceptæ contentiones in facibus hæserunt iustitiæ. Ita nec meam sedare ægritudinem, nec mihi silentium imponere potuistis, quorum contrariæ orationis necessaria persuasione sunt ora obstructa.

### Protheoria Capitis Sextodecimi.

IOBVM amici exagitabant, perinde quasi esset ob sua scelera invidiosus; siquidem peccantibus necessariò comitari ærumas confirmabat. Verùm, illorum rationes cum Iobus refelleret, hoc illis ipsis problema posuit, Si hæc perinde, ut vos dicitis, sese habent, quo igitur pacto plerisque videmus impios in omni vita rerum omnium copia beatos exiitisse? ac vitam iucundè feliciterque dimississe? Ad quæ Eliphazus veretur respondere: ita ad noua se conuicia confert, atque impudentius contumeliis lacerat Iustum, dum ea ipsi crimina obiicit, quæ vix in profligatissimos homines cadant. Postquam autem eum iniuriis cumulauit, adhortationem instituit, illiq; suadet, ut ad saniora consilia sese referat, quò, Deo placato, eiusque præpotenti dextera exorata, priorem referat felicitatem. Sed nimirum in Iobum hæc haud rectè dicuntur, quamuis utilitate minimè careant: neque enim à malo duntaxat abstinendum, sed recte etiam agendum docet: cum diuina animaduersio non eos solùm, qui agunt flagitiosè verum etiam eos, qui non ad virtutis normam suas dirigunt actiones, coerceat. Quoniam igitur amicorum verba vtilia sunt, licet absurdè in Iobum iactentur; ideo diuina prouidentia perfectum est, ut hæc quoque scriptis traderentur. ORIGEN. Etenim, quæ diuini spiritus consilio habentur digna, quæ literarum monumentis consignentur, ideo scribuntur, ut, qui in ea incidit, ex eorum lectione capiat utilitatem. Quare trium amicorum, qui ad Iobum commearunt, sermones, nisi fructuosi essent, atque eiusmodi, ut ad eos, qui legerent, fructus aliquis perueniret, nimirum id nunquam diuina prouidentia passa esset, ut trium amicorum sermones in Iobi librum conferrentur. Itaque illorum sermones iis bono futuri sint omnino, qui sententias subtiliter perspexerint, eorùdemque accusationem in hoc vno versari intellexerint, Iobum ob ea tantum, quæ ei peccata sunt, vexari ærumis, in quo parum viderunt; præsertim cum multa sint alia, cur rebus mortales conflentur aduersis. Sed quid contra Iustum adferat Eliphazus, videamus.

CAPVT  
XXII.

*Suspiciens autem Eliphaz Themanites, dicit, An non est Dominus, qui docet sensum & scientiam?* Hoc Iobus antea dixerat, de quo illi assentitur Eliphazus, dicitque, Et ipse illud intelligo, cur hic homo impius lætus, ac bonis auctus uiuat, ille verò crucietur, eius rei vni Deo rationem esse perspectam: nec non illud noui, bonorum Deum esse auctorem, à vitio autem manare supplicia. ORIGEN. Sanitatem habet hoc dogma, hominē haudquaquam esse posse virtutis magistrum  
Deus

Deus enim, quemadmodum est in Psalmis, est vnus, qui docet hominem scientiam, dum sua luce discens animus complet, mentemque illustrat veracis verbi sui lumine: ut, quamuis frugi homines, quibus docendi munus concessum est diuinitus, nos erudiant; nos tamen per eos doceat Deus. Euerò vel ipsum intellegere, ipsa corda ad diuinas doctrinas combibendas aperiri, ipsi diuinæ gratiæ referri debet acceptum.

*Quid enim cura est Domino, si tu fuisti operibus irreprehensibilis? vel quæ utilitas, quia simplici em fuisti viam tuam?* Symmachus autem, Vtrum indiget Deus, ut iustificeris? aut lucrabitur, si immaculata fuerit via tua? OLVM P. Quandoquidem magnificè, inquit, te circumpicis, quòd sis innocentia præditus: esto sis eiusmodi; cedo, quid ex ista tua iustitia Deo lucri accessit? etiamsi simplicem vitiositatisque expertem vitam traducas, quid ex ea re còpendij fecerit Deus? CNXY S. Vtrum, quia innocenter ipse vixisti, ad eius commoda quidquam illa tua innocentia contulisti? Nam, quia identidem Iobus vsurpabat, Hæc Deus videlicet fecit, atque eius causa patior; ideo nixitur Eliphazus persuadere, illorum haudquaquam Deum esse auctorem, quandoquidem nihil ea res damni, lucriue Deo potest adferre, nec is quempiam reformidat: id quòd planè, quòd atrexitur, docet.

*Aut rationem tui habens, increpabit te?* Huic sic fortasse possit occurri, Non quia quidpiam mali sibi ab impio metuar Deus, eum increpat: Sed, quia ipsum sua prouidentia ac beneficentia comprehendit.

*Et simul tecum veniet in iudicium?* Vique eò est hominum amans, ut etiam, cum de nobis iudicium facit, integrum nobis esse velit, verba apud eum facere, quasi pari nobiscum iure decernentem. Ita apud Isaiam dicit, Venite & disceptemus. Illud porò, Disceptemus, est huiusmodi, Siquid habes, in quo me possis reprehendere, ut minus rectè agentem, profer: nam ipse vicissim, quid aduersus te habeam, docebo: prorsus tibi persuadebo, cum à me condemnaris, iure te condemnari. OLVM P. Alij verò sic legunt, *Quid enim?* quem quidem locum interpungunt, & quæ deinceps sequuntur, cum affirmatione efferunt, *Cura Domini est, si fuisti operibus irreprehensibilis,* id est, nequaquam insontium hominum est Deus negligentiior: ac, licet nullius indigeat, nos tamen esse animo simplici, & partes explere virtutis, ad suam putat pertinere utilitatem. Ideo, cum magnam tui rationem ducat, te redarguit, & quasi aduersus te in iudicio consistens, iustum de te iudicium facit. Quàmquam iidem versus videntur mihi rectius legi, si tùm moribus, & affectibus, tùm interrogatione distinguantur.

*Nunquid non est multa malitia tua? innumerabilia autem sunt peccata tua?* Ex ærumnarum multitudine, multitudinis peccatorum capit coniecturam. Tua, inquit, introspecte, ac vide, num plura, quam peccaueris, patiare. Hæc autem non affirmantis, sed dubitantis sunt hominis; ut, si quispiam diceret, Vide ne fortè multa te peccantem latuerint, quibus huiusmodi est merces persoluta. ORIGEN. Sanè multos video homines facinorosos: tamen qui tantis, quantis tu, premerentur ærumnis, vidi neminem: ita non temere, sed probabiliter te iniustū appello; quandoquidè eiusmodi quædam ipse sustines, cuiusmodi nullus in quibus malis ipse cum versaris, multorum flagitiorum, quibus alios vincis, non obscurum statuis documentum: credibile enim est, isthæc tibi ob innumerabiles tuas culpas cecidisse. Nec verò primum peccati, deinde vitij mentionem fecit; verum primo loco vitium, qui flagitiosus est habitus; secundò ea, quæ à prauo habitu proficiuntur, appellauit; ea verò ait esse innumerabilia, quorum etiam distincta genera ac species ponit.

*Pignus abstulisti à fratribus tuis frustra* Symmachus autem, Ab insonribus, hoc est, eos, qui nihil debebant, non aliter atque deberent, de creditarum rerum pignore appellatis; idque cum pauperes essent. ORIGEN. Hoc autem de Iobo suspicabatur, quia diuitem eum esse non ignorabat; quæ res suspicionem illi adferebat, Iobum eiusmodi fructibus locupletatum fuisse. Ideò inquit, *Pignus frustra abstulisti,* id est, ab iis, quibus nihil ipse credideras. Nec non aliud ipsi crimen infert, cum ait;

V  
Amicus

*Amictum nudorum sustulisti.* Atqui nudos spoliare quid poterat? Nudos igitur valde inopes cogitare debemus, eos inquam, qui non alteram habent vestem, iis tu inopiam amplificasti, cum illam unam vestem, quam inducunt, eripuisti. **ORIGEN.** Tempus incidit, cum a diuite, cui multa sunt indumenta, non a paupere licet vestem auferre. Si quis unum quodpiam habeat vestimentum, & redhibendæ rei mæ causâ illud nudo debitori nulla miseratione permotus detrahero, scilicet a nudo vestitum eripui. Id quod non raro nobis accidere solet. Sæpenumero enim is, qui nobis debet, summa tentatur inopia, nec est soluendo omnino: verum ipsi, clausis contractisque præcordiis, quod uxorem alit & liberos, quod agrè illis per paucis, qui suppeditantur, obolis, vitam tuetur, nulla eius rei habitæ ratione, importunè nomen exigimus, atque adeo acerbe; idque cum nos ipsi abundemus. Hæc igitur Eliphazus Iobo in crimine ponit, cum dicit, *Amictum nudorum abstulisti.* Fortasse etiam, amictum nudo non præbere, ablationem spoliationemque nuncupauit: spoliator enim & raptor is est, qui aut nudum non induit, aut panis indigentem non alit.

*Neque aqua sitientes potasti.* Ergo reus quispiam est, non solum, quia iniuriam facit; sed etiam, quia benignè non facit. Vide igitur quanta nostra in alterum esse debeat munificentia; quædoquidem, non ministrasse sitientibus pocula, crimini datur; sicut & aquæ frigidæ poculum mercede non caret. Itaque immoderate inhumanitatis Iobum condemnat Eliphazus, quod nec aquam, gratiam sumptus omnis expertem, homini siti enecto, quod ipsum scelus est grauius, tribuerit. Hæc quidem certa crimina sunt proflus vituperatione digna; sed quæ in Iobum tamen minime conueniant: neque enim rectè in eum dicebantur.

*Atqui esurientes exiguo pane priuasti.* Quid ego te, inquit, negem largitum esse egentibus, quando per exiguum panem, quo suam is, qui esuriebat, solabatur inopiam, extorsisti? Exiguus enim panis *ψωδος* frustum panis dicit. Quemadmodum est in Ruth, Intinges buccellam panis in aceto. Dicit igitur, Necessariis alimentis calamitosos priuasti, siue cum pignora extorquebas, siue cum mercedem locantibus tibi operam non dabas, siue alia quapiam ratione peccabas, sanè hæc in appellationibus inhumanis contingunt. Interdum enim frustum illud pasis, quod debitor habet unum, cum pane integro careat, ab eo auferimus, cum his eum verbis appellamus, Atqui debes.

*Admiratus es quorundam personam.* Hoc est, nec rectè, nec animo perturbationibus libero de rebus iudicasti, nec personarum discrimina contempsisti; immò vero quosdam, cum iudicium dares, extorsisti, quosdam autem affixisti, & humiles quidem per vim oppressisti, potentes suspexisti, atque ornasti. **ORIGEN.** Crimen est hoc aliud personæ dignitatem admirari: pauperem verò, quia splendore caret, pedibus obrerere.

*Collocasti autem pauperes in terra.* Hoc est, eorum inopiam abiecti; pauperesque humique stratos, in terra iacere multò magis coegisti. Non nulli verò codices non, \* *collocasti*; sed, \* *cubare fecisti*, habent; ut si diceret, Vel ipsum lectum, & culticam pauperibus subtraxisti; ut, cum nihil ij pro strato haberent, humi cubare cogerentur omnino. Hæc, inquit, toristarum tuarum calamitarum causæ extiterunt: hæc bonorum tuorum populatores atque direptores iniustos vndique euocarunt.

*Viduas dimisisti inanes.* Seu, quod suis eas bonis, fortunisque nudaueris; seu potius, quod, cogendæ stipis causâ iis ad te adeuntibus, nihil dederis; sed, nulla re accepta, ablegaris. Quare periculosum est, eos, qui ad sustentandam inopiam petunt aliquid, aspernari. Viden, ut partem bonorum non communicasse cum viduis, crimini datur? **ORIGEN.** Illud omnino prouidendum nobis est, ne, si vidua domum nostram ingressa fuerit, inanem illam dimitramus. Quisque quantum potest, viribus conitatur, ut viduæ sinum rebus, quæ sibi aduerint, compleat.

*Orphanos autem affixisti.* Nec ab inferenda, inquit, pupillis iniuria abstinisti. Pupillos autem, & qui omni sunt ope spoliati, malè accipere, summæ est nequitie

\* *ἀνίστασ\**  
\* *ἐπιπέσει\**

tiæ argumentum: neque enim fas est cuiquam malum inferre: sed tamen est orphanis præcipua quadam ratione parcendum. Nam pro iis animabus, quæ omni sunt auxilio destituta, pugnandum esse, Deus præcepit: atqui ex omni hominum genere pauperes, viduæ ac pupilli, proprie opis indigent. **BASIL.** Iecirco & per istam personam Deus loquitur his verbis, Liberare eum, qui iniuste læditur: tunc nimirum, cum in homines rapaces, ac violentos inciderit, atque ab iis per vim, quasi a torrente fuerit abreptus. Iudicare pupillo: etenim, cum eos, qui sibi sunt iniuriosi, in ius (quod eorum facillè contemnitur ætas) vocare non possint; vos patrono carentibus, vestra sponte id cumulatè præstare, quod illis ætas denegauit. Et iustificare viduam: etuerò hoc personarum genus in hominum vita multis rebus solet esse inferius: viduitatem enim iniuria violare, haud quispiam maiore negotio adoriatur, quam ipsam vos planè suscipite; atque eadem, quod iare debetur, reddite.

*Igitur circumdederunt te laquei, & sollicitavit te bellum ingens.* Symmachus autem, Et conturbat te metus ingens. Quæcumque illi acciderunt, laqueos appellauit; ut huiusmodi sit eius oratio, Ideo es calamitatibus irretitus; ideo sunt abreptæ fortunæ; ideo ad summam defluxisti inopiam; ideo subita florentis status conuersione perturbatus es, atque percussus, quia contumeliosus in alios fuisti; quia nulla es misericordia vsus.

*Lux tibi tenebra euasit; dormientem autem te aqua operuit.* Alij verò, Multitudo aquarum operat te. Idcirco, inquit, res tuæ a splendido ad tenebricosum statum deuenerunt, atque ab illustri felicitate ad obscuram, tristemque infelicitatem deductæ sunt, ac te confopitum, id est, omni cura vacuum, nec vigilantem, nec quidquam miuus expectantem torrentes tentationum intercluserunt, & percusserunt. Aut etiam, *Lormientem*, dixit, ut casuum omnium, qui simul atque vna die eum oppresserunt, illustriorem conficeret significatioem.

*Nunquid, qui excelsi habitas, non intuetur te eos auem, qui contumelia fruntur, humiliant.* Ac Deum, eum inquam, qui in altis habitat, & humilia respicit, ea, quæ geruntur, videre minimè putas? Nempe igitur, qui cuncta contuetur, eos, qui intendæ iniuriæ libidine insigniter sunt arrogantes, deprimit ac deicit. Cum igitur illa tu per iniuriam egeris, eam ipsam ob causam isthæc perpeffus es, atque in istam humilem, abiectamque sortem coniectus.

*Et dixisti, Quid cognouit fortis? aut per quam caliginem indicabit? nubes latibulum eius, & non videtur, & gyrum cæli perambulabit.* Immanis impietatis atque amentitiæ Iobum condemnat Eliphazus. Veri est, inquit, simile, te cum te fuisse loquutum, & clam quidem peccasse, cum sic diceres; Quid nouit potens? qui enim rerum omnium Deo percepta possit esse notitia? qui de rebus omnibus iudicare? de iis etiam, quæ in caligine obscure transiguntur? cum ei sit in nube domicilium constitutum? atque ea re nec cerni possit, nec cernere præsertim cum tanto sit eius domicilium a nobis interuallo disunctum? Quamquam satis fuerit superiorem orationem in duos versus partiri, ut prior ad Iobum, posterior ad Eliphazum referatur. Tu quidem Iobe, inquit, suspicatus es Deo latere te posse in operto agentem, nec facturum Deum de iis rebus iudicium, quæ fuerint in tenebris gestæ, qui illas haudquaquam cognoscat. Ipse enim uerò ita pronunciarim, Deum ipsum cunctis locis adesse, nube autem tectum nobis minimè aspectabilem esse, suo porro sinu uolueris complecti, nec quidpiam illum latere: hinc planè perspicere potest; quod is cæli circulum ambulando conficit, atque ex edita, nobisque occulta specula cuncta intuetur, nec quispiam reperitur, qui illius vitare possit obtutum.

*Nunquid semitam æternam custodies, quam calcauerunt viri iniusti, qui comprehensi sunt immaturi?* Symmachus autem, Capiantur ante tempus.

*Fluuus influens fundamenta eorum dicentes, Dominus quid faciet nobis? aut quid adducet nobis omnipotens? qui repleuit domos ipsorum bonis.* Theodotio pro eo, Quid adducet? Quid operabitur, interpretatus est: pro eo autem, Qui repleuit; Ipse autem repleuit, dixit. Est locus hic sanè lubricus, nec nostratibus hominibus satis explicitus. Qui enim sunt ij, qui æternam semitam, cum iusti essent, triuerint, quorum

rum fundamenta fluuius est, & quorum est immatura comprehensio, coniectura facili seu cogitare, seu affirmare nequimus: quantum autem coniectura assequi possumus, non virtutem Iobo, sed virtutis simulationem affingit Eliphazus: ac fermè his loquitur verbis, Ne fortè, ô Iobe, ipse quoque æternam virtutis viam, vt quidam alij, simili ter tenueris, qui non tam virtutem, quam fidei pietatis speciem sunt persequuti; qui, tamen si iustitiam viam terere videbantur, illam ipsam tamen minimè ambulabant. Ita hæc iis adumbrata, commentitiaque pietas immaturum attulit interitum: atque ea, quæ ipsis videbatur tutò firmata, & quasi fundata felicitas, tanquam à fluminibus fuit abrepta. Hæc autem iis mala euenere, quia huiusmodi pænè illorum erat oratio, atque sententia, Deum nequaquam in ipsos posse animaduerrere, nec eos posse bonis remunerari: in quo grauite intelligentia errabant: siquidem ea, in quibus spem positam habebant, bona, & quæ firmitate niti arbitrabantur, non aliunde, quam à Deo in ipsos deriuabantur. Quòd si tui sensus cum illorum congruunt, meritò isthæc pateris. Fieri etiam potest, vt semitam æternam diuinæ providentiæ rationes nuncupauerit Eliphazus, vt hac oratione vtatur, Vtrum diuinæ providentiæ semitas ac rationes notare potes; quibus rationibus illud fit, vt iusti tæpenumero rebus aduersis diuexentur, extremumque vitæ diem immatura morte conficiant? Ad hæc probabili coniectura vsus addit, hæc illos perpeti, propterea quòd bona Deo accepta minimè referunt.

Consilium autem impiorum longè ab eo. Quæ consilia ineunt impij, longè absunt à Deo; nec enim quidquam sani deliberando vident: sed omnia, quæ sunt honesto veroque contraria.

Videntes autem iusti riserunt: irreprehensibilis autem subsannabit eos. Si non deleta est substantia eorum, & reliquias eorum deuorabit ignis. Postquam homines pietate præstantes impiorum scelestum esse consilium animaduertent, profus illos irrident. Illi quidem fixas res sibi permanere existimauerunt: sed nimirum contrà, quam illi opinabantur, cecidit. Nam & illorum bona deleta penitus, atque ipsi illi perierunt omnino. Quòd si quispiam superstes fuerit, hunc quoque est ignis consumpturus. Sed quemnam ignem suspicari debemus? confectricem vim illam puto, quæ in casibus aduersis hæret infixæ.

Su autem durus, si sustinueris: deinde fructus tuus erit in bonis. Cum vniversè de impijs pronunciaffet; quòd improba, dum ij meditantur, consilia extinguntur; ad Iobum nunc conuersa oratione dicit, Si cor tuum obdurerit; si aduersaria Deo consilia meditatus fueris, tamen experientia discas esse diuinum supplicium intolerabile, neque fructus tuus erit in bonis, id est, filij, qui fortasse superant, & reliquæ. Si igitur illi, id est, impij, qui Deo aduersantur, sustinuerunt, nec illi nec illorum reliquæ, illorum inquam filij perierunt; tibi quoque conandum est, & obdurandum, & animus obfirmandus. Si igitur sustinueris,

\* ἐξηγοριαν.

Accipe ex ore eius \* confessionem, & assume verba eius in corde tuo. ORIGEN. Aut hoc dicit, Mores muta, diuinæque leges complectere, aut peccata tua confitere: dehinc Dei sermones custodi. Huius mihi duplicis interpretationis, hæc est oblata occasio; mecum enim ipse quærebam, quid ἐξηγορία valeret, cum apud Symmachum pro, ἐξηγοριαν, ἐξαιολόγησιν, id est, Confessionem; apud Aquilam, νόμον, id est, Legem reperio. Vnius interpretatio huc pertinet, De tuis peccatis confitere: confessionis autem rationem à Deo docere. Alterius verò expositio hanc adfert sententiam, Accipe à Deo legem, eiusque sermones in corde defige.

Si autem conuersus fueris, & humiliaueris te ipsum coram Domino, procul sisisti à conuersatione tua iniustitiam. Quandoquidem durus esse vis, meritò, quæ debentur impijs, pateris: quòd si mentem mutaueris, ac teipsum humiliaueris sub potenti manu Dei, nil tibi absurdi eueniet.

Pones super aggerem in petra, & sicut petra torrentis Sophir. Pro quo Symmachus, Et in rupe, duroque saxo sicut primi auri fistulas, dixit. Nempe hanc is sententiam indicat, Si te pœnituerit, atque à tuo conuictu, & disciplina iniustitiam omnem semoueris, supra terram in petra collocaberis, hoc est, haud à felicitate dimouebere;

dimouebere, sed tuto atque constanter in terra commorabere: atque ex Sophir, vbi aurum gignitur præstantissimum, ac lapides pretiosi aurum cum amne fluens ad te permanabit. Affirmant nonnulli interpretes, Sophir, Africam esse. Porro huius regionis nomen Scriptura vsurpat, cum sermonè de diuitiis habet.

Erit igitur omnipotens auxiliator ab inimicis, mundum autem te restituet sicut argentum ignitum. Deinde fiducialiter ages coram Domino, respiciens in cælum hilariter. Te autem orantem ad ipsum, exaudiet: dabit tibi reddere vota, restituet autem tibi disciplinam iustitiam: super vias tuas erit splendor. ORIGEN. Sanum hoc loco ab Eliphazo dogma enunciat: putat enim Iobum ob peccata vexari; pœnas autem sustinentè ipsa malorū peressione purgari: dum verò purgatur, non aliter atque aurum, quod in fornace probatur, percipi: quicquid alienum est, omni abiectò, atque animo ab omni vitiositate integro adeptò. Dicit igitur, Si, quæ tibi acciderunt, moderate tuleris, Deus tibi puritatem, quæ argenti igne perpurgati nitorem imitatur, reddet: quam ipsam cum fueris consequutus, fiduciam accipies, qui iam peccata depulens, hilarique vultu in cælum suspicies, atque conscientia omnis condemnationis experite preces adhibebis. Quòd si Deo vilius te voti, promissive religionè obstrinxeris, ille ipse hoc tibi præstabit, vt, quæ illius causa suscepisti, possis perfoluere: ille enim est, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Theodotio pro illo, Dabit tibi reddere vota, dixit, Definies verba, & statuentur, id est, quicquid habebis cum animo tuo cõstitutum atque informatum, tibi minimè excidet, sed firmum, ratumque erit. Ad summam vitæ genus frugi homine dignum tibi largietur, ac cunctæ viæ tuæ directæ erunt, diuino lumine duce collustratæ: quinetiam illustria, & gloriosa tua erunt facinora. Quid ira?

Quia humiliavit semetipsum, & dicit, superbius. Cum de Iobo sit sermo, de alio quoque iam videtur tamen loqui. Propter hanc, inquit, causam homini, ad meliorem sententiam deducto, hæc euenient, quia humiliavit, inquit, seipsum, ac dixit, ea, quæ pertulit, iure se esse perpeffum propterea quod arroganter animū extulit.

Et demissum oculis saluabit. Id est, eum, qui de se modestè demissèque sentit, humique figit obrutū, \* propter male scilicet sibi cõsciam, ac libertatis dicendi expertem conscientiam; cuiusmodi est in Euangelij iustificatus ille publicanus.

\* ὡς τὸ δουλοῦν ἑαυτὸν, καὶ ἀπειρητισίας.

Liberabit innocentem. Tentationibus atque ærumnis, videlicet.

Et saluus esto in mundis manibus tuis. Pro quo Symmachus, Effugiet munditia manuum vnusquisque. Quæ cum ita sint, cum vnusquisque è suis actionibus puris iustus efficiatur, quid cunctaris? in eoque perseueras, vt improbè agas? Cur, puris à peccatorum labe manibus conseruatis, ex iis, quæ rete vident, malis non te eripis? Et quidem Eliphazus hæctenus. Ipsa verò cohortatio in Virum iustum, qui vnum semper Deum intuebatur, accommodata esse non potest; sin nobis admoueat, rectè nimirum fuerit admota, quos & vitæ nostræ pœnitere oportet, & vt pio summissoque animo Deo pareamus, admonemur.

Protheoria Capituli Decimiseptimi.

SANE Eliphazus intemperantissimas in iustum Iobum contumelias intorsit, cum ei impiorum hominum absurda facinora affinxit. Ac iustus, scio, inquit, non è sermonibus vestris, sed ex actionibus meis de meis factis factum iudicium. Quamuis enim Deus sit vltor ac vindex, mea tamen iura vniversa ac de rebus meis iudicium libenter illi vni cõdonabo, cum illius veritas in dubium mihi venire non possit. Postquam autem incomprehensam, minimèque adpectabilem Dei naturam in sermonem iniecit, rursus æstantem orationem in amicos desleçtit. Quoniam me impieratis, inquit, condemnatis, atque è meis ærumnis scelerum sumitis argumentum; sciscitanti mihi respondete ipsi, Cur, tam multa intoleranter agentibus impijs hominibus, ita percipitur Deus, vt nec ea contrari fermè videatur? Verum, vbi est hoc genus hominum detestatus, ipsos quoque pœnas daturos esse confirmat, etiam si diuturna patientia Dei abutatur. Suorum autem ipse verborum veritate fretus, inquit, Nisi hæc vera sunt, integrum cuique



que esto, illa ipsa reprehendere. Atque hæc verbis Iobi est subiecta sententia. Deinceps singula videamus.

*Vt scipiens autem Iob ait, Et iam scio, quoniam de manu mea redargutio mea est, & manus eius grauis facta est super gemitum meum.* CHRYS. Noui, inquit, ex iis, quæ in manibus sunt, ex plaga, inquam, ipsa, non ex iis rebus, quas gessi, me refelli à vobis: siquidem acriter est me Deus insequutus, vt prorsus sit mihi ingemiscendum. OLYMPIOD. Alij vero horum versuum huiusmodi interpretationem fecerunt, Planè nullam inquit, vestrarum accusationum & eriminationum rationem duco: neque enim ex iis, quæ falso estis ipsi criminati, verum ex iis, quæ egi ipse, de me iudicabitur. Et uerò in me Deus grauius animaduertit.

*Quis igitur non uerit, quod inueniam eum? & veniam ad terminum?* Symmachus autem, vsque ad solium eius.

*Di am autem meum iudicium?* Pro quo Symmachus, Rursus proponam coram eo iudicium.

*Os autem meum implebo redargutionibus: cognoscam autem sanationes, quas dicat mihi?* Symmachus autem, Verba.

*Sen iam autem, que mihi annuntiabit? & in multa fortitudine ingruet mihi?* Symmachus, Alterc. tur mecum.

*Si me terrebit.* Solùm ipse non insequatur me.

*Veritas enim & r. dargutio ab eo; educat autem ad finem iudicium meum.* CHRYS. Huius omnis orationis summa est huiusmodi, Quis id mihi largiatur, vt me Deus audiat? mihi que respondeat? me enim iustum pronunciat. Sed, quæ dicit singula, sunt huiusmodi, Vtinam mihi licitum esset Deum inuenire; vtinam liceret ad illius solium adspirare, illicque sisti, & cum illo ipso congredi, ac disceptare: illincque sententiam expectare: vtinam liceret mihi, ad tribunal illud perducto ærumnas acerbitatesque meas deplorare: vtique de vitæ meæ rationibus dicerem, vt, iis, quæ gessi, ac pertuli, vno tempore expositis, quemadmodum de me pronunciarurus esset, experientia discerem; & quam mihi laboranti curationem adhibiturus esset intelligerem; adhæc, velint me pœnis grauioribus persequi, an minas remittere. Quamuis enim potestate, ac minis in me vti possit suis; hoc est mihi tamen exploratum, veritatem penes illum residere; omnique personarum genere ac discrimine repudiato, redargutiones, hoc est, iudicia dare. Illud item mihi persuasum est, si ad eum mihi fuerit aditus, me contra vos victoriæ suffragium laturum. Illud enim, *Ad finem*, pro perfectum, dixit. Quamquam apud Hebræos victoria & finis vno verbo declaratur. Ita, cum quorundam Psalmorum hæc deberet esse inscriptio, In finem, nihilominus, Victori, inscribuntur. Illud igitur, inquit, discere velim, quid mihi tandem dicturus sit Deus, & vtrum similiter sit, vt ego, supplicia irrogaturus. Quæ cum dicit, non eò dicit, quò Dei iustitiam condemnet, verum vt amicos reprehendat, qui de Deo haud rectè existimarent. Ac vide, quemadmodum, quod Iobus optauit, sit consequutus: in extremo enim hoc libro est, quemadmodum & cum Deo Iobus congressus fuerit, atque ab ipso illo responsum abstulerit.

*Ad prima enim proficiat, & non amplius sum: que autem in extremis, quid noui? sinistra eius, qui fecit, non tenui: circumdabit dextra, & non videbo.* DIONYS. & ALEXAND. Deus quidem semper est, omnisque æternitas præsens ei est, atque ad est vsque quaque. Nobis autem id, quod dicitur, Nunc, & præsens, neque intelligentia potest esse perceptum, neque consistit omnino. Etenim, cum dicitur, fortasse etiam priusquam sit animo comprehensum, auolauit: nec est vsquam, nec quisquam ipsum, Nunc, animo cohibere possit; fugiens enim ac se subducens abit. Id autem, quod vsque fugax est, obscurum atque inane, quis aliquando præsens esse dixerit? Quinetiam id, quod futurum est, cum per pusillum tempore sese ostensurum sit, statimque debeat euanescere, nondum quidem est ipsum; festinat autem ideo, vt amplius ne sit. Ita, cum temporis mobilitatem atque inconstantiam Iobus significaret, his verbis est de se ipse loquutus, *Ad prima proficiat, & non sum amplius: qua autem sunt in extremis, quid noui?* In quo planè ostendit, nos

ait, nos homines id tantum viuere temporis, quod instat, quandoquidem id, quod præterit, amissimus, quod autem futurum est, nondum tenemus. OLYMPIOD. Superiorum verborum magis enucleatam Symmachus attulit interpretationem: sic enim ille, Ecce, si antegrediar ipsum, apparere non potest; si sequar, non sentiam. Quæ quidem interpretatio hanc habet sententiam, Sanè libenter rerum mearum iudicium diuinis oculis permitto. Verum quid mihi demum accidit? nempe is Deus natura est, vt cerni non possit. Quid igitur agam? vtrum in iis locis, quæ antè sunt posita, eum quæram? atqui is nostrum fugit obtutum, me enim ille antegreditur, vt animaduerrere nulla ratione queam. Quòd si se ad sinistram conuerterit; illius comprehendendi, omnis mihi est erepta facultas; si dextram tenuerit, prorsus illum ipsum nequeo intueri. Hæc verò dixit, non ideo quòd Deus aut corpore aut gressu aliquo loca peragret; sed vt eum doceat cunctis locis adesse; nos autem ad eum nec mente posse accedere. Illud autem, *Et amplius non sum*, aut ex priore interpretatione debemus intelligere, Vt, si ad prima cogitatione ipsa progressus fuero, præteritique temporis rationem euoluero, prorsus me non esse; & id, quod erat ac fuit, siquidem fluxit, me amississe cognoscam. Aut verò ad illa ipsa verba hanc sententiam accommodabis, Quamuis quærendo longius digressus fuero, quamuis curiosè animum intendero, vt Dei primordia, principiumque reperiam; tamen extra me positus ero, & in ratiocinationum tenebris versabor, dum ad ea comprehendenda, quæ comprehendendi nequeunt, nitari.

*Nouit enim iam viam meam; perspexit autem me, sicut aurum; egrediar autem in mandatis eius. Vias autem eius custodiam; & non declinem à mandatis eius, & non transgrediar.* Iccirco, inquit, diuini iudicij fiducia nitor; quia, antequam ipse fundam orationem, quæ gessi, nouit; necnon, quia eius leges, ac iussa seruauit. Præcepta autem hic dicit, non quæ sibi aut auditione accepta, aut scriptis consignata fuerant; (hic enim sanctus Legem præcurret) verum eas leges, præcepta nominauit, quæ sine scripto in nostris animis instæ sunt, ac diuinæ mentis vocibus enunciantur. Porro illud, *Non declinem*, vim habet mirificam. Si sexcenta, inquit, in me mala incurfarint, à recta tamen via iter non deflectam, nec diuina decreta perfringam. Huic illud alterum simile est, Quis nos separabit à caritate Christi?

*In sinu autem meo abscondi verba eius.* In ea parte animi, quæ intelligentia prædita est, in mentis recessibus, cum eius leges inclusas haberem, custodiui, atque in sinu abdidit; & quasi cum iis satus, factus ac conglutinator essem, sic ipsas illas incredibili animi voluptate seruauit, diuinæque voluntati mente sedata, certo proposito atque consilio, nulla necessitate coactus, sum obsequutus. Eiusdemmodi id est, quod in Psalmis legitur, In corde meo abscondi eloquia tua: ac rursus, Et legem tuam in medio ventris mei. Adhæc, tanquam à quopiam sibi obiceretur, Quamobrem igitur talibus malis vrgeris? statim occurrit,

*Si autem & ipse iudicauerit me, quis est, qui contradicat ei? ipse enim voluit, & fecit.* CHRYS. Nouit, inquit, viam meam, necnon illud tenet, illud me diligenter laborasse, vt sibi morem gererem. Verum, si iudicium de aliquo instituerit, quis ei aduersetur? Nempe mea, quibus sum ipse conscius, sunt huiusmodi; sed tamen illius vincat decretum, nec quisquam illius iudicij obstat. Nam, si me vel iuste agentem econdemnauit, atque supplicij talibus addicendum censuit, quis ei contradicat? certè nullus; siquidem illius voluntas potestatem comitem habet; nec aliud, atque visum fuerit illi, fit. Diuinæ prouidentie rationes ne quære. Sanè illud vnum est mihi intellectum, nullius me rei conscientia opprimista; meriti huiusmodi exercear malis; nihilominus rationem, quemadmodum administraret humana, non perquiro. Verumenim, cum ea res me fugiat, hoc tantum affirmo, ea demum, quæ voluit ipse, fecisse; vultuque demisso cum adoro, nec curiosus quidquam peruestigo.

*Iccirco super eum fatigis: commotus factus autem de eo se licitum sui.* Mea, inquit, recognoscens, fatigis, id est, perterritus sum ac perturbatus; quandoquidem me plagæ causa iacet; nec, cur me Deus percussisset, assequor, vt intelligam. Quamquam

quam hac ipsa calamitate admonitus & castigatus, nihil egi intoleranter, sed gratias egi atque habui, illudque mihi curæ fuit in primis, ut ne cogitatione vel voce Dei existimationi famæque obessem.

*Super hoc à facie eius festinabo, considerabo & terrebor ab eo.* Iterum eandem sententiam, ac verbum usurpat, ac dicit, Cum harum rerum mihi firmus ipse conscius, nec plagam tamen vitare potuerim, æstuo, animoque sum perturbatus, quod huius vexationis & afflictationis causam nullam reperio. Veruntamen nihil volo scrutari diligentius: nempe me Deus suo vultu, suo inquam solo terret ad spectu. Cum autem ipsum tantummodo cogitaro, metu concutor; nec causam, cur me ceciderit, exquirere audeo. *С Н Р Y S O S T.* Non peccaui, inquit. Sed quid ea res ad rem hanc pertinet: quando non ob peccata tantum; sed, omni etiam culpa remota, licet Deo supplicio coercere?

*Dominus autem molluit cor meum: Omnipotens autem me fecit sollicitum.* Illud, *Molluit*, pro eo est, Animi nervos ac vires elidit. Illud verò, *Sollicitum fecit*, huic par est, Perterrefecit.

*Non enim sciebam, quod venirent super me tenebræ, ante faciem me operuit caligo.* Non sciebam, dixit, pro, Non expectabam. Tenebras & caliginem ante faciem, obsecuras & inexplicabiles calamitatum rationes nuncupavit, tanquam enim ad cernendum oculo illatum sit impedimentum, sic ipse nequeo ærumnarum causas assequi, quæ me sollicitudine conficiunt, incredibili; & quoniam me nec opinantem oppresserunt, robor animi planè concidit. *С Р Y S O S T.* Hoc enim minime expectatum malum haud humanitus accidit: coniectura mihi sanè adfertur, Dei manu plagam esse inflatam. Rectè autem dixit, *Ante faciem*, nec enim communes sunt tenebræ, sed meæ sunt ægritudinis, ac mæstitia propria.

CAPVT  
XXIII.

*Utrum Dominum latuerunt tempora? Impij autem terminum terræ ingressi sunt? grege cum pastore raptos; iugale autem pupillorum abduxerunt, & bouem vidua pro pigrore tulerunt? declinaverunt autem impotentes de via iusta?* Postquam lobus superiora dixit, credibile est ad hunc modum amicos illi restitisse, Profectò isthæc non, quia animum seruaueris integrum, ut ipse loqueris, pateris; verum peccatorum tuorum pœnas soluis. Hanc lobus criminationem acriter diluens ait, Quoniam pacto impij res alienas rapiunt; res finitimas populantur, atque diuexant: pactoque terminos prætergrediuntur; vel, ut Aquilæ est interpretatio, occupantes, immaniter greges cum pastoribus diripiunt? Viduæ & pupilli bouem & asinum, certa vitæ instrumenta, auerunt? imbecillos condemnant? omneque ius suffragij peruerunt, cum de tenuibus hominibus sententiam ferunt? Viam, inquit Symmachus, pauperum peruerterunt, id est, eos, qui infirmitate iudicij atque intelligentiæ laborant, eaque re offenduntur, quod commodiorem, beatioremque viam esse vitij animaduertunt ab honestis institutis, rectaque vitæ disciplina abducunt, atque ab optima, ac laudabili viuendi ratione, ad improbißimam, deterrimamque traducunt. Deus autem, quasi temporum immemor, supplicia addit. Etenim, si peccatis comitarentur supplicia, si ad errata pœnæ protinus adderentur, utique opportuna illæ ipsæ futuræ erant. Nunc autem nonnulli fraudes inexpliabilis concipiunt; Deus autem, tanquam temporum oblitus, remunerationem sustinet. Illud autem, *Cur*, non exquirendæ rationis, sed problematis amicis ponèdi causa dictum est.

*Simul absconditi sunt mansueti terræ.* Seu, quod fugiunt iniquos, ferarumque conuictum magis deligunt; seu, quod verius est, quia extruduntur, necanturque ab impiis. Huc Symmachi pertinet interpretatio, Simul, inquit, inuisibiles fecerunt mansuetos terræ, cum eos, qui in rebus gerendis, cum qui in perferendis exercebantur. Id ipsum apud Salomonem consceleratum illud concilium loquitur, Abscondamus enim, inquit, in terra hominem iustum iniuste.

*Exierunt enim sicut asini in agro.* Impudenter ceteros homines proculcantes, cunctos despicientes, cunctos irridentes, licenter prædantes omnia, atque vastantes. Deus autem nondum in hos inquisiuit.

\* *Locus mendosus.*

*Pro me autem egressi opus suum.* Aquila autem \* *ἐξέχουρας ἐκ καρτέρας ἀντῶν*, diluculo

culo surgentes ad prædam. Sententia autem est huiusmodi, Hi, quod in huiusmodi generis hominum est consuetudine, in me effecerunt. Pro me enim exierunt, id est, ut mea auferrent, suaque facerent: id enim facere ipsi consueverunt.

*Dulcis factus est panis eorum in iuniores.* Symmachus, Dulcis unicuique eorum panis in adulescentes. Lucundum est, inquit, impiis quosdam alere iuuenes, ut ad inferendas cæteris concumelias iis ministris abutantur, eosque qui viribus sunt infirmioribus, adorianantur.

*Agri, qui non est ipsorum, ante tempus messuerunt.* Duo peccata vno tempore peccarunt, quia tempore importuno demessuerunt fructus, cum quia alienos; soliti sunt id facere latrones. Quia enim frugum demetendarum tempore custodes adhibentur, vel etiam, quia agrorum domini opportunè eas metunt, latrones ipsi præuertunt, ac messem immaturam aggrediuntur, ne forte, fructuum maturitate expectata, à terræ dominis percepros illos offendant.

*Impotentes autem vineas impiorum sine mercede, & sine cibo operati sunt.* Et hæc iniquitas maxima, ut pauperes diuitibus, nulla mercede accepta, operam nauent; nec modo mercede nulla accepta, sed etiam nullo suppeditato cibo. Hanc igitur duplicem iniustitiam passam facit, immaturæ frugis agri alieni demessæ, ac mercedis egentibus operis non persolutæ; quæ cum dominationi concedant, sine alimentis impiorum vineas coluerunt. Atqui dignus est operarius cibo suo.

*Nudos autem multos dormire fecit sine vestimentis, amictum autem anima ipsorum abstulerunt.* Meo quidem animo, nudos quosdam dormire coegerunt, extremumque vestitum, quo corporis turpitudinem contegebant ademerunt. Id quoque probabilitate non caret, Multos, quos nudauerunt, *ἐνδιμνησαν*, id est, tacere coegerunt; nudati enim paræ timore verbis minimè restiterunt.

*Agutis montium madesant, eo quod ipsi non habent operimentum; petram amplexi sunt.* Mihi videtur ab iis, qui in opere faciundo occupati sunt, ad eos, qui in rebus perpetuandis versantur, deduxisse orationem. Hoc autem dicit, nudatos atque ex suis domiciliis exturbatos, miserè degentes sub dio, è cælo cadentes, stillatæque guttas corpore excipere, & quoniam tegumento carent, ac tecto ipsis petrarum integumentis ac speluncis pro domibus uti. *Ο λ γ μ ρ.* Quidam de violentis hominibus hæc dici existimauerunt: nam aiunt hoc genus hominum sese in solitudines abdere, ac latronum vitam ferè sub dio agere. Quod si contingeret aliquando iis opus esse tecto quopiam loco, illis pro tecto esse antra, saxa, angustaque valles.

*Raperunt pupillam ab vberibus.* Pupillum matris vbera sugentem à matris complexu, atque vberibus, miserabiliter, immaniterque abstraxerunt, ut hunc alienis traderent alendum. \* *ἵψ' ἀπὸ τῶν ἀπὸ τοῦ μηθῶς*: hoc autem maximæ est crudelitatis, neque pueris infantibus, qui matrum sunt affixi vberibus, parcere.

\* *Locus mendosus.*

*Eum autem, qui cecidit, humiliauerunt.* Eum, qui à diuitiis ad inopiam defluxit, illi etiam vehementius depresserunt, copiolis, quæ illis calamitosis tenuicula superauerunt, direptis; & hoc crudelitatis est, egentes inuadere, & eorum bonis lucrum facere. Etenim eum, qui cecidit, pauperem intelligit, sic enim est Symmachi interpretatio, Et à paupere pignus eripuerunt.

*Nudos autem sopiauerunt in iustis.* Si expositionis cōsequutio tuenda sit, sic nunc videtur dicendum, In nudo pavimento nudos iacere coegerunt, quibus nihil erat pro strato. Vel certè, ut aliis quibusdam visum est, cum nihil deberent, per iniuriam nudarunt, & *ἐνδιμνησαν* id est, silere coegerunt, cum nec hincere quidem auderent, aut de iniuria utcumque expostulare.

*Esurientiam autem frustum panis abstulerunt.* Ad summam penuriam cibi atque egeitatem illos redegerunt, id quod & inhumanitatis habet additamentum, summaque crudelitatis, atque incredibilis iniustitiæ est argumentum.

*In angustiis iniuste insidiati sunt.* In locis, qui periculosi & utrinque præcipites sunt, insidias instruunt, ut iis, quibus tenduntur insidiæ, euadendi omnis præcitur facultas, quas quidem insidias facile illi ipsi, quibus parantur, vitarent, si in apertis, latifque locis collocarentur.

*Viam iustorum non cognouerunt.* Hoc est, Non adamarunt. Illud enim, *Non cognouerunt*, nullum iis incitæ dat testimonium; verum illorum in iustorum hominum vitam odium planè confirmat.

*Qui à ciuitatibus & domibus proprijs eiecebantur.* Rursus ab actuosus hominibus iustis, ad veratos oratione digressus est. Hi enim à perflagitiosis hominibus domibus suis ac ciuitatibus exturbantur.

*Anima paruulorum ingemuit valde.* Eorum, in quos impiorum furor incitatur, infantes pueri ex intimis præcordiis flebiles eliciunt voces, propterea quod parentum solitudinem intuentur: aut adeo ob id ipsum, quod parentibus careant, à quibus sibi alimenta ministrantur.

*Quare autem ipse horam considerationem non fecit? cum illi essent super terram, & non agnouerunt?* Cum amicis quasi hæsitans hæc interrogando communicat. Si ob peccata tantummodo homines diuerantur, cur de hoc hominum genere, qui res gerunt huiusmodi, Deus in terris cognoscere noluit? Ita factum est, vt, cum non sint ab eo coerciti, sua, quæ ausi sunt, facinora clam Deo esse existimant.

*Viam iustitie non cognouerunt, nec semitas eius ambulauerunt.* Quid iustitia esset, vsu minime didicerunt, ideo, quod huius virtutis nunquam sunt iter ingressi, neque vitam aliquando ad illam ipsam instituerunt; siquidem eius viæ sumus ignari, in qua nunquam fuit nobis aliqua commoratio.

*Cognoscens autem opera ipsorum, tradidit eos in tenebras.* Futurum iudicium promittit ac dicit. Postquam res impiorum gestas, perspexerit, expenderitque Deus, tunc demum illos in tenebras traditurum. Habet hoc enim diuina scriptura, vt, quæ nondum gesta sunt, & geri tamen eadem ipsa oportet, tanquam si præsentia adessent, sic exponat. Qua ratione hoc item loco, *Tradidit*, pro, *Traderet*, dixit, sed nec fortasse, illic quod futurum est supplicium declarauit, cum illos in tenebras coniectum iri confirmauit: sed potius mentis, quam hic patiuntur, cæcitatem ostendit: dixit autem, *Tradidit*, non ideo quod illam ad eam rem Deus adferat necessitatem, absit, sed ideo, quod liberam iis Deus arbitrij potestatem dedit, vtius maluerint viæ ingrediendæ. Simile huius est illud, *Tradidit eos Deus in reprobam sensum*: & illud, *Excæcauit oculos eorum, & cogitationes eorum*; non quia id ipse effecerit, sed quia permisit.

*Et nocte erit fur, & oculus adulteri custodit tenebras, dicens, Non considerabit me oculus, & velamen faciei posuit, suffodit in tenebris domos.* Ad improbos item reuertitur, dicitque omnem, qui malè agit, odisse lucem, ac noctem suarum libidinum & cupiditatum administram habere; quandoquidem ea, quæ tenebris digna sint, agit, & latere conatur. Ergo fur, & adulter, tenebris quasi velo quodam obductus, & ore, quo prodi poterat, obuoluto, ille quidem muros, hic autem alienos toros perfodit, idque, integumento, vt Symmachus interpretatur, ori imposito, id est, tenebris obseruatis; vt iis obiectus esse ac latere possit. Quanquam tu, qui furaris, licet hominibus clam esse queas, Deo tamen, nec si ratiocinatus fueris, & id cogitaris, esse possis.

*Die obsequauerunt seipsos, non cognouerunt lucem, quia simul mane ipsi umbra mortis: quia cognosceret conturbationes umbra mortis.* Planius hæc Symmachus interpretando extulit, Quasi in sigillo abscondent seipsos, si fuerit ipsis diluculum umbra mortis; deprehensus autem non erit subsistens, coopertus umbra mortis; hoc videlicet videtur significare, furem & adulterum noctu audere turpia, die autem delitescere, ac lucem fugere; quod si deprehendantur, statim perire supplicio: is autem, qui deprehensus fuerit, huiusmodi terrores agnosceret, ac sustinebit, sic perturbabitur, vt ante mortem panè præ timore vita excedat: nam umbra mortis apud sacras literas sæpenumero pericula morti propinqua nominantur. Ergo, qui improbo ac perditio sunt ingenio, ne capti morte obruantur, sese die includunt, verenturque prodire in lucem.

*Leui est super faciem aquæ.* Symmachus, Innatans aquæ. Quemadmodam inquit, ea, quæ leuia sunt, cum aquæ infederint extimæ, facile aquarum impetu hac illac iactantur, sic quiuis improbus tentationibus rapitur, nulloque negotio delectur.

deletur. Neque enim improba calliditas atque iniustitia, eum, qui illius est cupidus, seruabit. Sed neque Iobus Deo amicus, propter Dei patientiam patitur villo modo nequitiam esse virtute superiorem: immò verò impiorum sortem diuis excretionibus peruellit, iisque male precans, sigillatim, quæ illis euenient, exponit.

*Maledicta sit pars eorum super terram; appareant autem planta eorum arida super terram.* Id, quod ait, est eiusmodi. Quandoquidem alienos agros demessuerunt, atque illorum vineas alij, nulla accepta mercede, excoluerunt; ne suis ipsi illi potiantur bonis, verum illorum segetes ac plantæ priuatæ fructu penitus exarescant; &, quæ Cainum inuasit, eadem istos complectatur execratio. Huiusmodi enim illa, *Maledicta terra in operibus tuis, quæ agriculturæ sudores, atque labores frugum copia nequaquam remunerabitur.*

*Fasciculum pupillorum rapuerunt.* Messores sæpenumero comitantur pupilli, ac decedentes ipicas colligunt, & in fasciculos illigant. Hoc igitur dicit, eò quorundam progressam esse immanitatem, vt etiam exiguam pupillorum partem, egestatis causa collectam, ab iis eripiant.

*Deinde ad memoriam redijt peccatum eius: deinde non apparet factus est; reddantur autem ei, quæ fecit.* Id est, impiorum flagitia scriptis ad memoriam consignata sunt. Quocirca supplicium in eos decretum est, quod vitari non poterit, etiam si incertum Deus, quæ eius est clementia, animaduersionem, pœnamque retardet. Vt enim caligo è rore nata, solis radiis erumpentibus, atque acra calcipientibus, euanescit, calore humorem exhauriente, vaporemque absorbente; sic, diuina vltione pœnaque adoriante, consumitur impius ac proffigatur, amaris improborum facinorum præmiis acceptis. Tale quidpiam de impio Dauid canit, *Quæretur, inquit, peccatum eius, & non inuenietur; quia videlicet exterminabitur.*

*Conuertit est omnis iniustus, quasi lignum insanabile.* Insanabile lignum dicit, quod, vbi conuictum fuerit, nullam curationem admittit, vt sanari possit; sed inutile est in post-erum. Hac ergo ratione is, qui persistit in scelere, comminuetur, atque confringetur. Verumenim quando dicit, *Reddatur ei, & conteratur*, Non executioni iustus addicit; sed id, quod euenit, enunciat. Vnusquisque enim recipit, prout gessit.

*Sterilis non beneficit, & muliercula non est misertus; furore autem subuertis impotentes.* Sterilis ac mulierculæ mentionem fecit, vt, quibus tribuenda sit misericordia, declararet. Sterilis quidem, quia, cum non susceperit liberos, omni est nudata auxilio; mulierculæ autem, quia ob naturæ imbecillitatem indiget opis: nam femina infirma est, ac despecta condicio. Eodem addidit maius malum, infirmorum, inquam, à furore animi profectam perniciem; neque enim propter probabilem quampiam causam, sed ferino impetu bacchantis animi imbecilles impius euertit, eosque in summas difficultates, summamque egestatem conicit.

*Proinde confurgens non credat contra vitam suam.* Conscientiæ æstum, quo flagitiosus absorberetur, narrat aperte. Illum, inquit, sic sua damnat conscientia, tanquam singularis diebus moriturum: quotidie enim, cum surgit, de vita sua actum putat, ac metu vsque perturbatur, qui eum respirare non sinit; nihil est enim aliud metus, quam auxiliorum, quæ à ratione petuntur, proditio.

*Infirmatus autem non speret sanari; sed cadet morbo; multos enim affluxit exaltatio ipsius.* Tamen, facinorosus, inquit, è morbo recreatur, ea tamen res illi incredibilis ac mirabilis accidit, sic prorsus, vt morti ob sua facinora præstoletur. Sin in morbum inciderit, desperatione frangitur, nec quidquam boni expectat; verum sua conscientia ex cruciatus, moriendum sibi credit omnino. Cur autem animo sic affectus sit, & sic opinetur, illud facit, quod is, dum ampla dignitate fuit, dum gloria, dominationeque viguit, ad aliorum vexationem & malum potestatem conuertit.

*Emarcuit sicut malua in aestu, aut sicut spica, quæ de culmo sua sponte cecidit.* Emarcuit, pro, Marcescet, dictum est. In alijs codicibus pro, *Malua*, est, *Sicut herba*, vt illi respondeat, Sicut olera herbarum citò decedat. Contabescit autem spica, vbi à ferente

ferente & sustinente illam culmo fuerit excussa, nec ex ea humorem amplius, adipemque, quibus nutriebatur, haurire potuerit. Interit etiam impius, cum ab ea, qua is irrigabatur, virebatque felicitate, deciderit, Rectissimèque dictum est, *Sua sponte cecidit*: vnusquisque enim suum, ac proprium peccatum habet vltorem.

*Sin non, quis est, qui loquitur, me falsa dicere? & ponet in nihilum verba mea?* Hæc inquit, mini est de impiis atque de iniustis hominibus sententia, sic de iusta Dei remuneratione sentio. Quod si hæc à me falso dicta sunt, si à vero aberro; prodeat, qui voluerit, meamque orationem coarguat, & irritam faciat. Erucro ex iis, quæ adhuc disputata sunt, colligit, insolenter fecisse amicos, qui illum ex suis ærumnis condemnarint, nec reliqua eius facta perpenderit.

*Protheoria Capitis Decimoctiani.*

QVEMADMODVM Eliphazus in iis, quæ à Iobo in vtramque partem differentium more disputata fuerant, hæsitans haud recti certaminis lege confixit, verum ad iusti calumnias, criminationesque orationem deflectit; ita nunc Baldadus, cum, quemadmodum Iobum refellat, rationem nullam reperit, defensionem aliò deriuat. Nam Iobum tanquam nefarium hominem & aduersum Deum insolenter sese efferentem, ac de sua pietate magnopere gloriantem, calumniis insectatur. Ac mirificè de Deo interim philosophatur, humana natura contempra, atque despecta; nihilque docet esse earum rerum, quarum puritas est maxima, quod cum Dei puritate si contendatur, puritas illud ipsum tueatur.

CAPVT XXV.

*Vt scipiens autem Baldad Sauchites ait, Quid enim exordium quàm timor ab eo?* CHRYS. Hinc, inquit, orationis ducam exordium atque proœmium, Terroris, ac tremoris plena sunt omnia, nemòque est, qui è manu illa possit elabi. Ad illud enim quod dixerat Iobus; Quis nouerit, quod proficiscar ad eum? Baldadus respondet, vel Dei mentionem facere esse cumprimis formidolosum. OLYMP. Ac forsasse tale aliquid innuit. Quandoquidem, inquit, tuam erga Deum religionem arroganter iactas, disce, vniuersæ virtutis initium diuinum esse timorem. Tu verò nil trepidans differis. Qua igitur ratione è reliquis partibus pietatis is sibi gloriam adsciscit, qui pietatis initium, minimè est assequutus? Iam verò & illud attende, non hoc dixisse, Timor eius, sed, *Timor ab eo*. Namque timor eius opus est nostrum, à nostro libero profectus arbitrio; timor autem, qui est ab eo, gratia & donum eius est; quibus id, quod nobis deest, suppletur.

*Qui facit vniuersam in altissimo.* Hoc est, arcanò, cum nemine ratione consilij communicata. Putatque se Iobo terrorem inferre, cum Dei vim, potestatemque narrat. Dicit igitur Deum cunctis rebus præsentem, altissima tenentem, omnia fabricatum esse: aut, *In altissimo*, id est, in filio, per quem facta sunt omnia.

*Neque enim quis existimet, quod dilatio sit piratis.* Piratæ propriè sunt, qui mare ierco nauigant, vt iniuria, ac præda ob sint cæteris. Ergo id vniuersè dicit, Nemi ni hoc in mentem veniat, Deum aut ad extremum, aut adeo ad multum spatium supplicia iniquorum hominum prorogaturum: immò verò insidiantium more illos adorietur, diuinæque animaduersionis vitandæ omnis est impiis erepta potestas. Quocirca addit;

*In quos non venient insidatio ab eo?* Symmachus, pro illo, *Non est dilatio piratis*, dixit, Non est numerus exercituum eius: & pro illo, *Insidatio ab eo*. \* Iussa interpretatus est. Id quod ad vim diuinæ potestatis atque imperij declarandam valet; ac si diceret, Innumerabiles habet exercitus, qui sibi operam nauant, qui mandata à se accipiunt, atque ad impios vliscendos mittuntur.

*Quomodo enim iustus erit mortalis coram Domino? aut quis mundabit seipsum, natus de muliere?* Symmachus, Quo pacto sine sorde erit procreatus de muliere? si hominum, inquit, iudicio multi habentur iusti, tamen Dei oculo cuncta conuerti nemo est iustus; nemo dicere quit, Purus sum: nec enim fieri potest, vt omnem prolapsionem vitemus; siquidem cogitationum, verborum & factorum rationes à no

\* *in illa pugna, quæ vocatur iussim & cohortè signifi cat: sed dubi tandu nō est, alteram tantum notionē in hūc locum conuenire.*

à nobis Deus reposcet; quem omnia cernentem latere non possumus. CHRYSOSTOMUS. Quoniam dixerat Iobus, Vellem in iudicium venire; nec non illud dixerat, Etiam si non peccauerim, nihilominus punior, ideo ad hoc Baldadus respondet, prorsus ex hominibus nullum esse purum; vt iam frustra iudicium & tuarum rerum disquisitionem postules.

*Si luna præcipit, & non lucet; astra autem non sunt munda coram eisdem tandem, homo putredo, & filius hominis vermis.* Hæc ait, non quò naturam nostram floccifaciat; sed vt Deum efferat, illiusque potestatem ostendat. Si enim, inquit, lunam iuber non splendescere; & astra, si cum Dei puritate comparentur, pura minimè sunt, quamuis lucis claritate sint prædita, neque hoc iis accidit, ob vitæ rationem, sed ob effectoris dignitatem: si nihil, quod à Deo effectum sit, puritatem suam gloriose potest ostentare; quantò minus poterit homo, qui à putredine ac vermibus nihil differt omnino? Si enim lumen astrorum, quod quidem hoc nostrate, & quod carbonibus alitur, purius est; ad Dei puritatem purum tamen non est, planè de Deo cogitare superuacaneum est. Homo enim putredo est, ac vermis in putredine volutatus; incumbit enim cogitatio hominis ab adolescentia diligenter ad mala. Hæc verò Baldadus ideo attulit, vt vberiorum orationi suæ probationem adhiberet, Iobumque percelleret, in sua puritate gloriantem.

*Protheoria Capitis Decimionni.*

POST QUAM Baldadus Dei ipsius quasi quidam patronus, de sapientia ac potestate Dei disputationem pertexuit, beatus nunc Iobus sermoni occurrit, ac dicit, Quid, vt Dei patrocinium tueare, ipse laboras? perinde quasi ad suæ sapientiz, potestatisque significationem vlla opus sit ei confirmatione verborum. Atque vt doceat se magnificètius ac rectius, quàm illos, sentire de Deo, vberiorum de Dei sapientia orationem exponit, illiusque vim incomprehensam honorificè prædicat. Necnon de vni genito varicinium fundit, ac Diaboli internicionem prædicat. Hoc vsus proœmio, negat fieri posse, vt, dum ei vita superarit, impia loquatur de Deo, atque id ipsum, quod promittit, iureiurando confirmat. Ad hæc, incorruptæ conscientiz fiducia recreatus, negat vllius se turpis facinoris conscientia stimulari, impios autem diuina animaduersione fore comprimendos. Ac rursum de diuina sapientia, quæ tùm in eius operibus elucet, tùm in naturis intelligentia præditis sparsa est, instituit orationem, nec quidquam adeo honore dignum esse confirmat, vt sapere. Vbi verò de sapientia concessa diuinis multis differuit, nec quidquam cum illa conferri posse docuit, illud quoque ait ad sapientiz splendorem & gloriam pertinere, quod dispersita sit omnibus, quamuis illius rationes ac viæ reperiri non possint. Itemque præclarissimam tradit disciplinam: illud esse homini ad sapientiam adipiscendam fati, si non ea, quæ inuestigari nequeunt, disquirat; sed, si pietatis, religionisque muneribus defungatur, atque ab omni improbitatis genere declinet. Atque hanc veram sapientiz & scientiz perceptionem esse confirmat. Quæ quidem Iobus ob eam rem est persecutus, tùm vt rectam suam de Deo opinionem testaretur, tùm vt amicis fidem faceret, non ob peccata se planè multari, sed omnis eius rei rationem esse Dei abditiis, & quæ indagari non possunt, iudicis permittendam.

*Vt scipiens autem Iob ait, \* Cui ades, vel quem adiuturus es? an non cui multum est robur? & cui brachium robustum est? cui dediisti consilium? an non cui omnis est sapientia? aut quem sequeris? an non cui maxima est potestas? cui nuncia sibi verba? spiritus autem egrediens de te, cuius est?* Cuiam, inquit, potestatem tuam defers? & quem tibi apud eum locum vendicas? aut cui opitulari studes, quasi tuæ opis indigenti? Apage ô homo. Scimus videlicet omnes Deum & nulla re egere, & potestate summa pollere, nec non sapientiam omnem comprehensam habere. Quid igitur, attinebat te, quasi Deo consilia dantem, verba pro illo facere? Cui dediisti consilium? Vtrum illum ipsum docere potes inscientem, quem sequi conaris, tanquam opem ei quampiam larurus? an non eum, qui vim omnem ac robur complexus est? In quoniam sapien

CAPVT XXVI.

\* Ita & August. gratè est, mi rego- xdoz.

fapientiam tuam ostentasti, ac tam multa verba effudisti? Itane vero ignoratum tibi est, ipsum loqui ac spirare à Deo tibi tribui? Etenim aer & spiritus est respirationis ac vocis causa: & quidem, cum loqui volumus, aer ipse percussus vox efficitur. Ergo docta consequitione usus est Iobus, dum ad Baldadum dicit, Ei, qui spiritum tibi atque animam impertitus est, mutuum orationem tribuisti, quando ad eum patrocini & auxilij causa accessisti. CHRYS. Neque verò hoc ego tibi erimini do, quòd Dei tibi sint partes susceptæ; sic enim fieri oportebat omnino: sed tamen cur me condemnare, nihil erat. Nam eodem tempore fieri potest, vt & pro Deo quis dicat, & nihilominus non sit alter culpæ obnoxius. Quæ postquam dixit, in hominem videlicet, qui nouum se Dei patronum videri voluit, illius inquam patronum, de quo hæc est omnium existimatio, eum potestate ac sapientia præditum esse; ad Dei potestatem dehinc orationem conuertit, docetque præstantius se, quàm illos, sentire de Deo, dicitque:

*Nunquid gigantes obstetricabuntur sub aquis, & vicini eius?* Symmachus autem, \* Dei hostes, & iis propinqui. Eius verò, quæ dicitur rei, hæc est sententia. Olim Deus, cum eluuiæ corruptam iam terram deleteret, homines illos, qui dicti sunt gigantes, cum ipso eodem Deo pugnantes demersit, atque depressit. Dicit igitur, haud fore aliquando vt gigantes illi, illorumue propinqui, id est, quorum similis est improbitas, quandoquidem deleri sunt, nutricis, obstetricisue opera curari iterum possint, ac sua vi rursus existerent. Num eos quid robur adiuuit, quando cum Dei potestate, atque consilio, quòd expugnari nulla ratione potest, conflictebant? Et uerò illi nec seipos, nec quemuis alium demortuum possunt educere, & ad vitam reuocare. Id vnus est Dei, imperio mortuos iterum ad vitam vocare, & excitare.

*Nudus Infernus coram eo, & non est amicus Perditi.* Iubet tantummodo Deus, & continuo mortuos Infernus eructat, nec quidquam eorum, quæ pereunt, illi tectum potest esse, illius inuicta potentia cuncta in medium proferente. Hæc Iobus de veigenti incarnatione vaticinatus est; siquidem coram eo tenebrosus & splendore carens, Infernus nudus est; & quæ illi propinqua est Perditio, hoc est, Mors, abdita in occulto, latere non potest. Ille scilicet factus homo, & Infernum prædatus est; & qui illic inclusi erant, virtute sua eduxit; cum iis, qui erant in vinclis, diceret, Egre dimini; & iis, qui erant in tenebris, Retegimini; nec velum vllum diuino imperio officere potuit; verum, nulla interiecta mora, reiecti sunt. Dicitum item est in Prouerbijs, Infernus & Perditio manifesta apud Dominum: nec enim locus, in quo versabantur animæ, quæ illius aduentui antecesserunt, conditus illi ipsi esse potuit, neque eius obtutum effugere illi, qui corruptione ac morte interisse funditus videbantur. Quia in regionem illam infernam descendit; & quæ à temporis principatu illic perpetuis vinclis tenebantur confictæ, animas expediuit.

*Extendens Boream super nihilum.* Aquila autem. \* In inani. Mihi videtur Boream hoc loco ipsum aerem spiritum, hoc est aerem, nihilum autem ipsum inane nuncupasse. Effudit igitur, inquit, aera supra nihilum, hoc est, supra inane. Aer enim vacui repletio. Vacuum autem est interuallum à cælo ad terram pertinetis aere completum. Boream autem duntaxat meminit, vt reliquos ventos ab hoc vno significaret; sicut alibi, cum Hesperum & Arcturum appellauit, cætera astra indicauit; atque alibi pulli coruorum pro volueri natura ponuntur.

*Suspendens terram super nihilum.* GREGOR. THEOLOG. Quid de ventis, inquit, attinet dicere? quandoquidem terram vniuersam ea, quæ cerni non potest, vt continet, nullo firmamento subnixam. Qua tandem ratione stabilis ac firma perseverat? quid illud est, quod eam sustinet? & quid illud item sustentet, ac firmet? sanè nihil ratio reperit, vbi insistat, nisi Dei voluntatem, quæ illam suspendit atque firmavit: nec quidquam est aliud, quo terra teneatur, ac fulciatur.

*Ligans aquam in nubibus suis, & non est rupta nubes ab eo.* Quæ consuetudinis vitio ipsi nec scrutati aliquando, nec admirati sumus, hæc in magnam traducunt Iobum admirationem. Vt quænam ventorum sit sedes, vbi nam terra confidat, quæ

quæue nitatur; qua ratione nubibus aqua contineatur, quibus nisi mandet Deus, in terras imbrem haudquaquam demittunt; quando verò demittunt, ex præscripta lege, mensuræque ratione demittunt. Illud verò admirabilitatem haud medicrem facit, quòd, cum aeris maximæ sit raritas, atque à statibus discindatur, aquarum fert tamen pondus, impulsuque ventorum imbrem non effundit: quòd si effundit, id nec confert, nec vno impetu, sed æquabiliter facit: nec enim rupta est nubes ab eo, quòd est sub eas; nimirum ab aqua. Nempe hæc Sanctus suspicit, ob has res de effectu gloriose prædicat, quòd is cælum circumduxit, quòd aerem explicauit, quòd terram supposuit, quòd humidam naturam fudit atque collegit, quòd ventos dimisit, & non immisit, quòd in nubibus illigauit, & non cohibuit, sed ordine, & quadam æquabilitatis ratione spargit in terras. Ergo, cum dixit, *Extendens Boream supra nihilum*, aerem quasi nutu notauit, id omne spatium, quòd inter terram, cælumque interiectum est, complementem. Item cum dixit, *Suspendens terram super nihilum*, admirabile Dei opificium declarauit: cum nec intelligentia, nec verbis assequi possit, quænam sit ea basis, qua ingens hoc elementum nitatur. Posteaquam autem animum in rebus hisce peruoluit, rursus à terra ad aerem assilit, addubitatque quo pacto in nubibus aqua constituta, obductaque teneatur; cuius quidem pars (ò rem admiratione perquam dignam!) subsistit in nubibus, & à verbo fluxa natura coercetur; pars verò in terram effunditur vniuersam, atque in ea opportunè & æquabiliter disseminatur.

*Qui tenet faciem throni; qui expandit super illum nubem suam.* Thronum Dei multifariam diuina scriptura cælum nominat: cæli verò facies ac vultus est aer. Dicit igitur, Cum aerem contineat, & nubibus illum obducatur, pluuiam defluere non finit, nisi ea ratione, quam is conducere cum primis intellexerit. Ad terram deinde delabitur, & ait:

*Præceptum circumdedit super faciem aque.* GREGOR. THEOLOG. Symmachus autem, Terminum circumscripsit. Maris tum magnitudinem, tum tranquillitatem, tum vtriusque rei vim admiratur; quam ratione solutum finibus suis nunquam excedat, quid illud contineat, quidnam deuinctum teneat, quemadmodum turgescat, atque resideat, perinde quasi finitimam terram vereatur, quemadmodum cunctos excipiat fluuios, & vis nihilominus aquæ sit eadem. Equidem quemadmodum terminus sit arena huic tanto elemento, aut ipse ignoro omnino: (quamuis physici & sapientes inania quædam dicere habeant, qui, cum hæc ipsa credunt se habere cogitatione percepta, reuera mare ipsum cyatho metiuntur) aut, si mihi pauca sit sacris scriptis philosophandum, & id, quòd longis disputationibus probabilius ac verius est explicandum, naturæ humidæ hoc vnum vinculum esse affirmarim, *Præceptum circumdedit super faciem aque.* OLYMP. Verus illud præceptum, quòd vndique complexum est aquas, atque eas quasi strano coercet, facit, vt ex regiones suas transilire, & obruere terras ne possint: placetque diuinæ providentiæ, quandiu hæc rerum stabit vniuersitas, illud ipsum stare præceptum. Quocirca addit:

*Vsq; ad consummationem lucis cum tenebris.* Hoc iussum vigebit diuinum, dum dies & nox cursum, vicissitudinemque conficiunt.

*Columnæ cæli expanse sunt.* Aquila, Motæ sunt.

*Et obstupescunt ab increpatione eius.* Symmachus autem, Paent. Ipsa, inquit, cæli firmamenta, ac propè bases & fundamenta horrent & contremiscunt, cum is imperarit, qui cælum strauit & expandit, extendens sicut pellem. Tremor autem hic, & commotio, quo tempore futura est consummatio, acciderit. Sicut enim amictum, inquit, conuoles eos, & mutabuntur.

*Fortitudine sedauit mare: scientia autem stravit cælum.* Symmachus autem dixit, Arrogantiam comprimit. Quando in sermonem de mari incidit, diuinæ potestatis luculentissimum, certissimumque adfert argumentum: quòd humidam naturam propè furentem, & ad montium verticem tolentem fluctus, ac sese cum montibus æquantem, comprimit, ac sedat. In eademque ponit admiratione, cætos maximos strauisse, suoque imperio subegisse. Hoc ipsum Dauid fecit, cum dixit,

dixit, Hoc mare magnum & spatiosum. Ceteri quoque meminit, cum attexit, Draco iste, quem formasti, ad illudendum ei. Verumenimvero illud ad sublimiorem sententiam pertinet, quod falsum infidelitatis & peccati mare vni genitus vi sua placavit, & ceteri, hoc est, Diabolum fœdium pedibus obrerendū constravit.

*Clastra autem celi metunt eum.* Obscuriore metaphora ac tropo vsus, acra nominavit. Hunc enim adducit. ac rursus diducit, atque suo arbitratu claudit & aperit Deus. Illud autem sublimius. Portis caelestibus præpositæ potestates, quibus dictum est, Attollite portas, cum Deum carne indutum redeuntem cerneat, cohortuerunt.

*Imperio autem interficit irrationem apostatam.* Symmachus autem, Serpentem concludentem. Et Antichristum quidem interficit verbo oris sui, ut est apud Apostolum. Ipsam quoque antiquam, & flagitiosam & cum Deo bellum gerentem belluam, quæ & ipsa à Deo deserit, & eos, qui sibi obtemperant, concludit interitu, parato igne cremandos.

*Eccc hæc partes via eius, & super stillam sermonis audimus in eo: robur autem tonitruus eius, qui novit, quando facies?* Pro quibus Symmachus, Quid autem murmur sermonum eius audimus, quando tonitruum dominationis eius nullus cogitabit? Hæc autem est sententia, videlicet ob ea, quæ diximus, sumus admiratione obitus pefacti, quæ, inquam, ratione per insane venti ferantur; quemadmodum nihilo terra firmata nitatur; quemadmodum aqua teneatur in nubibus; quemadmodum expansæ fiat in aere nubes; quemadmodum, cum furit mare, litoris arenam transgrediat; quæ demum ratione consentit alia, quæ diximus. Atqui istæ hæc omnia pars est eorum, quæ Deus efficit, per exigua. Harumque rerum disputationis tenuiculam quandam guttam percipimus, & partem perpussillam sapientiar, potestatisque Dei, quæ is vniuersum iustrans & permeans moderatur, sumus exequuti. Et nimirum ea, quæ numero percensuimus, perparæ stillæ instar obtinent. Quandoquidem fieri non potest, ut sapientiar eius flumen omne \* creata natura excipiat. Nam, ut cetera taceam, quis cum, qui per aera, & nubes fertur, tonitrus sonitum, aut interpretando, aut, quemadmodum oriatur, explicandis rationibus, assequi possit? Nimirum tu, qui tonas in terris, & qui scintillis veritatis lucas exiguas, qui tandem de fulguribus ac tonitruis mihi philosophabere? In vapores quosdam sublatis à terra, è quibus gignitur nubes, aut in aeris compressionem quandam, cum id, quod nubis maxime rarum est, alliditur, atque persi ingitur, causam conferes; ut iam tibi ipsa collisio & attritio fulguris fractio autem, atque discissio tonitruum edat. Sed cuiusmodi est tandem ille spiritus, qui coangustatus, nec exitum reprens, cum illiditur, fulgur; cum perumpitur, tonitruum creat? Ego quidem ex Symmachi interpretatione commentando, hoc consequor, Si tonitruum sonitum, qui improvisò auribus incidit, ferre non possumus, sed à nobis ipsi discendum; quoniam pacto loquentem Deum feramus, quamvis ipse, non elata & magna oratione, sed murmure vocis duntaxat utatur? Vel sic; Si rationem, que admodum tonitruum existat, cogitare non possumus, quid de viis eius, & Providentiæ consiliis dicendum erit? si quidem ea, quæ modo diximus, per exigua quædam stilla & gutta sunt, quam ipsi ab illo vberè, qui nunquam exhausti potest, fonte hausimus.

\* In exemplari habetur γυνῆ πλάγδ ἕξασθαι ἀνὴρ ἕξασθαι ἐξ ἐξ ἄδου μὴ λέγονδum γὰρ ἔστω.

CAPVT XXVII.

*Dhuc autem adiciens Iob dixit proœmio.* ORIGEN. Diabolus, potestate accepta, dies ac noctes Iobum excruciauit, primum iis, quæ erant extrâ, adhibitis instrumentis; deinde corpore sauciato, tum amicis instructis. Nam, postquam illum vxore pertentavit, nec ea re superatum Iobum esse animadvertit, tres amicos, non tres inimicos adduxit, non ad insidiosa dogmata institutos, sed veros sermones, quamquam nec rectè, nec opportunè illos vsurpantes. Idque per eos moliebarur, ut aliquid iustus aduersum Providentiã loqueretur, dolorumque victus magnitudine, animum impietate imbueret, illumque cruciamentis lacesseret. Verum solidus hic, ac firmus adamus post trium amicorum sermones, vide quid dicat; posteaquam, inquam, iam ternas Eliphazus, ternas item Baldadus, binas autem Sopharus disputationes pertexerat. O L Y M P. Hisce ad exitum adductis

ductis, cum is pauca respondisset, propterea quod paucis etiã Baldadus differuerat, cum ex amicis nullus eius obfisteret orationi, ad superiorem orationem nova quædam & ea, quæ consequuntur, attexit. Quæ verò dicta sunt adhuc, sunt quoddam velut proœmium consequentis orationis. Verum Aquila sic interpretatus est, Et adiecit Iob sumere parabolam suam. Parabolam autem Scriptura dicit, \* nō id solum, quod à familiaris sermonis similitudine remotū est, sed quemvis etiam sapientem sermonem: hanc notionem sequuta, de Baldado dixit, Allumens autem parabolam dixit: & David, Aperiam in parabolis os meum; quos collat non sermonis similitudines, & collationes, sed sapientes fuisse sententias persequutus. Verumenim, quid Iobus respondeat, post dictū ab ipso proœmium attendamus, & ad verba animam intendamus.

*Vivit Dominus, qui me sic iudicavit.* Symmachus, Qui neglexit iudicium meum.

*Et Omnipotens, qui amarum fecit animam meam; si, adhuc spiratione mea existente, & spiritu eius divino nares meas circummeante, loquentur labia mea imple, aut anima mea medietur iniusta.* Haud sum, inquit, eius ignarus rei, quæ vos ad me prouocadum adduxit. Per Deum viventem, qui de me iudicium iudicavit, iuro hæc me ob eas causas tantum, quæ mihi prorsus ignotæ, illi vni cognitæ sunt, perpeti. Illum, inquam, qui me his ærumnis obiecit; illum, qui me huiusmodi cruciamentis afficiendum decrevit, iuro, dum me spiritus minimè deseret, quoad anima exuperabo mea, dum spirabo, quandiu Dei munere spiritum hauriam; quamvis cruciatus ac pœnæ producatur, quamvis acerbiora sint mihi perferenda, nihil tamen absurdum, nihil dignitate Dei alienum me aduersum ipsum Deum aut loquurum, aut animo cogitaturum; verum vsque ad extremum spiritum peccato repugnaturum. C H R Y S. Illud enim; *Nō medietur anima mea iniusta*, hoc valet, In eadem sententia permanebō, nemo peruertere me vnquam poterit, nemo dimonere, nemo à proposito, in susceptoque consilio abducere. O L Y M P. Nonnulli dixerunt Trinitatis hoc loco Iobum meminisse. Vivit, inquit, Dominus, & Omnipotens, & Spiritus diuinus. Nam quod alibi Septuaginta ad diuinum spiritum retulerunt, cum interpretari sunt, Insufflauit Deus in faciem hominis inspirationem vitæ; reliqui interpretes sic prorsus extulerunt, Insufflauit in nares eius spirationem vitæ. Ergo hoc item loco, illud, quod spiratio erit, seu flatus in naribus meis, pro respiratione sumendum est. Illud autem; *Spiritu diuino circummeante nares meas*, Spiritu sancto tribuendum est. Tameris Methodius spiritum diuinum, qui à Deo est cunctis concessus hominibus, de quo Salomon, luc corruptus tuus spiritus est in omnibus; conscientiam esse confirmat, quæ quidem ipsa peccantem animum condemnat.

\* Exemplar habet, & μὲν ὁ κενὸν ἔστω δὲ μοίᾳ τὸν λόγον. Veram lectionem hanc esse iudico, ὅτι παρὰ τὸν δὲ ἐστὶν πνεῦμα τῆ ἁγίας ἢ μόνον ἢ καὶ δὲ μοίᾳ τὸν λόγον.

*Ne sit mihi iustus vos pronuntiare, quoad vitam.* C H R Y S. Haud me ipsum accusabo, minimè de sententia decedam; si sexcenta adferatis; in eodem decreto tamen persistam. O L Y M P. Absit, ut mea solius causa turpiter meruentis, & recandantis, verum ipsi adulteretis, meque iure à vobis condemnari dicatis. Etenim, si vestro sermone assensus fuero, cum ob scelera hæc me sustinere cogiteris, nimirum iustus vos esse pronuntiare.

*Non enim deseram innocentiam meam.* Symmachus autem, Non discedam de simplicitate mea. Porro autem desererem, atque proderem, si alia loquerer, atque sentiam.

*Iustitiam autem attendens, non prodam.* Id, quod ait, tale quidpiam est, Qui in alios iacit, immittitque iniurias, ea, qua vtroripse in dicendo, caret loquendi libertate; habet is linguam adstrictam: id quod mihi minimè accidit; qui per hæc dicam, se contradicam.

*Non enim confitus sum mihi ipsi absurda fecisse.* ORIGEN. Hoc ipsum deinde Paulus etiam in sermone vsurpauit, eodemque addidit, Sed non in hoc iustificatus sum. Mirifica iusti fiducia, qua non modo eius vita superior, sed ærumnosa etiam temporis condicio nitebatur, ut dicere non dubitauerit, *Nihil mihi confitus sum.*

*Verumtamen sint inimici mei, sicut subuersio impiorum; & insurgentes in me, sicut perditio iniquorum,* C H R Y S. Percant, inquit, inimici mei; quandoquidem me calu-

manantur. OLYMP. Vel etiam sic, Prorsus nullius rei præter decorum gestæ mihi sum ipse conscius. Quæ autem vos in me per impietatem condemnatis, in meorum inimicorum capita retorqueantur. Etenim, qui talem virum criminantur, petulanterque lacerant, planè sint impij; atque illa ipsa, qua genus omne impiorum hominum, damnatione obligentur.

*Etenim, quæ spes est impio, quæ sustinet? Carteri verò, Quia auarè rapit.*

*Confidens in Domino, nunquid saluabitur? aut irruente in eum necessitate, num habet fiduciam coram eorum, cum inuocauerit ipsum, exaudiet eum? Quamnam, inquit, spem impius habet, etiam si interim sustineat? qua fiducia mentis à Deo salutem expectet? cui ipse spe & animo incubo? Qua ratione, cum in necessaria ac dubia is tempora incidit, fidenter Deum implorarit, perinde quasi illi sit in precibus affuturus? Hæc, inquit, melius mihi sunt, quàm vobis ipsis nota.*

*Iam verò annuntiabo vobis, quid est in manu Domini: quæ sunt apud Omnipotentem, non mentiar. OLYMP. Ego, inquit, quid de Deo existimem, apud vos dicam, & quæ Dei manus impii infert, verè vobis aperiam.*

*Et quid dispositio, aut quid opus illi. Ecce omnes scitis, quia vana vanis adijcitis. Hæc pars hominis impij à Domino: Possessio autem potentum veniet ab Omnipotente in eos. OLYMP. Theodotio autem & Symmachus, et hæreditas, quam inflexibiles à Sufficiente suscipient. Vos, inquit, illud non ignoratis, stultis stultos sermones à vobis cumulari, dum me impietatis accusatis. Ego vicissim, quænam impij pars sit, & quænam eorum, qui improbitate valent, possessio atque hæreditas, & quid illis ipsis à Deo, in cuius potestate ac nutu cuncta vertuntur, calurum sit, explico. Deinde impiorum manupretia narrat.*

*Si multi fuerint filij eius, in occisione erunt: si facti fuerint viri, mendicabunt; residui autem eius morte morientur; viduas eorum nemo miserabitur. Quæ verissimè est impiis euentura esse, ea numerat, & quidem nonnunquam accidit, vt eos vsque ad extremum vitæ diem comitetur felicitas, quemadmodum ante cum amicis ad dubitans docuit. Nunc verò necem eam dicit, quæ adfertur ab hostibus; mortem verò subitum atque immaturum interitum: vt si diceret, impiorum liberos haud honestè diem suum obituros. Verùm, præterquam quòd stipem cogent, violentam, atque immaturam mortem occumbent; neque, id quòd miserabile est peculium, viduitas misericordiam vllam consequetur.*

*Si congregauerit sicut terram, argentum, & quasi lutum præparauerit aurum, hæc omnia in se acquirunt; pecunias autem eius veraces habebunt. Hoc item in Prouerbiis dictum est, impios iustis thesaurizare diuitias. Ita Hebræi Palæstinae prouinciæ opes, quas gentes fundauerant, & constituerant, propter earum scelera abstulerunt. Quare hoc item loco Iobus confirmat, si instar terræ ac luti diuitias impius cumularit, esse tamen ad innocentes, & frugi, atq; ad eos, qui rectè atque vtiliter illis vsuri sunt, transferendas. Fortasse enim illud, *ἔτι οὐκ ὄντα* non tam valet acquirere, & possidebunt, quàm ea, quæ decet, ratione, illis vtentur.*

*Euastr autem domus eius sicut tinea; & sicut araneæ tela, quæ conseruauit. Id est, seipsi conficiunt. Nam impietas, instar veneni depascit impios, non secus quàm tinea lanas. Et quemadmodum aranearum telæ, nullo maiore negotio exterminantur, ac pereunt; sic ea, quæ ab impio asseruantur, putridam, & dissolubilem aranearum telam, quasi veneno, tineaque consumpta imitantur.*

*Diues dormiet, & non adijciet. Diues, inquit, qui vitam agit impiam, cum somnum ceperit, surget; hoc scilicet significat, eum, qui improbis artibus locupletatur, breui tempore bonis adeptis fruiturum. Cuius condicio haud est eius dissimilis, qui secundum quietem refertus diuitiis, statim atque diluxit, nihil habet in manibus.*

*Oculos suos aperuit, & non est. Somnium, inquit, sunt impiorum diuitiæ: sicut enim pauperes nonnulli in somnis visi sunt sibi interdum mensa potiri instructa regificè; verùm somnus, ac fallax somnium visa illa extiteret; experrecti enim, simul vt oculos aperuerunt, nil inuenere: sic impij planè est condicio. Vt enim, qui secundum quietem beatus est, miser tamen est; quandoquidem, vt oculos patefecit*

fecit, eius summa, quam coegerat, nihil cernit omnino; siquidem illa omnia dilapsa sunt & occiderunt: sic perquam leues, atq; fugaces sunt diuitiarum illecebræ.

*Obnuauerunt ei dolores, sicut aqua. Quæ illum vndique complectuntur, & stranguant, atque adeo ad præcordia dimanant. Symmachus autem pro, Doloribus, *ἔννευσε* dixit. Hoc enim nomine *ἔννευσε*, id est, fortunarum interitum, vnde dolor existit, declarauit.*

*Nocte autem sustulit eum obscuritas. Quemadmodum noctis, inquit, tenebræ faciunt, nihil vt possit apparere; sic impius æruma, quasi cæca nocte obrutus, nec cernitur, nec vspiam videtur existere.*

*Absimet eum aestus, & abibit, & ventiletur eum de loco suo. Variis imaginibus ac collationibus impij exitum, interuentionemque describit. Ille, inquit, similiter vt à tinea lana, perditur; vt araneolæ contextum rete, dissipatur; vt ea, quæ in quiete, per visa cernuntur, nusquam cohaeret: putat se versari in tenebris; venti aestu accensus amandatur; quasi puluis à procella ac turbine iactatur; tanquam lenibus flantis venti auris palæ, sic ille, vitrice vi quapiam raptante, ac, sese subducente, abripitur, atque è suo loco transfertur: vt verum sit illud, Quæres locum eius, & non inueniatur.*

*Projiciet super eum, & non pariet. Vltor, inquit, ac vindex quasi fur improuisò incidet impio, nec illi ignoscat iratus.*

*De manu eius fuga fugiet; plaudet autem manibus suis super eum, & sibilabit eum de loco suo. Consequitur Scriptura veluti hostis atque aduersarij speciem Deo assignere; dum diuinum in impio impetum, suppliciumque studet exprimere. Quocirca Dauid, vbi Deum armis instruit, eique tradit iaculum, sic canit, Apprehende arma, & securum: ac rursus, Effunde gladium, & concludere: & alibi, Arcum suum tendit, & parauit sagittas. Id ipsum hic facit: nam Deum quasi hostem, qui aduersarij persequatur, indacit; impium autem quasi fuga sibi consulentem, & illum quidem quasi victorem, & ob victoriam gestientem, ac manibus plaudentem, atque à suo loco, id est, à pristina felicitate, consuetudine, ac sede ipsum abstrahentem. Contrà, quemadmodum, & qua par est, sanctimonia iustus vocem contendat apud Deum, attende, Quo ibo à spiritu tuo, & à facie tua, quò fugiam? Impius autem fugit, quasi Deum vitare, atque ex illius manu ad omnia pertinente possit euadere. Nihilominus igitur capitur, & sese in laqueos induit & superatur; atque ea, quæ vociferantes in præliis solent, in illo fiunt; manuum, inquam, complausus & sibilus, ac veteris domicilij commutatio, atque migratio.*

*Si enim argento locus, vnde fructus locus auro, vnde percolatur. Carteri autem, Vnde conderetur.*

*Ferrum autem de terra sit; as autem sicut lapis excinditur. Hebræus autem, Lapidibus conflat, dixit.*

*Ordinem posuit in tenebris. Pro quo Aquila, Finem; Theodotio, Terminum; Symmachus, Legem, interpretatus est. CHRYSOST. Sententiam exponit humilimodi, Si cuncta Deus ratione disposuit, quanto magis humana certo consilio atque ordine administrat? Prouidet enim is rebus, nec quidquam temerè, ac fortuito euenit. OLYMP. Aut verò illud potius eius conficit oratio, cætera quidem non vsque eò esse à nostra cogitatione seclusa; Dei autem prouidentiam esse quauis coniectura, atque notitia superiorem; simul & verbi opificis sapientiam, & quæ eximia, sapientique ratione res cunctas effecerit, & quo ordine, ac momento dispensarit atque digesserit, & quo nexu, atque harmonia deuinxerit, docet: quo item pacto nos animi intelligentia & ratione ornarit, nec quidquam sine certo iudicio ab eo perfectum sit, sed singulis locum suum, ordinemque attribuerit. Neque enim aurea terra fundit argentum, neque argentea aurum progignit, & ex alia quidem ferri metallum effoditur, ex alia verò lapicidina æs eruitur. Id autem dixit, non quòd montes sint ærei, sed ideo quòd, cum fodiendi metalli ratio, quæ hominibus tributa est, acclerit, æs & ferrum profertur; vbi eius generis in terra fuerit reperta materies. Et noctis quidem tenebræ*

appropinquanti luci cedunt, ac dies nocti ex Dei decreto vicissim decedit, sitque horum quædam accretio, ac diminutio; & , vt aliquid à communi opinione iunctum dicam, quædam efficitur ex inæqualitate æqualitas. CHRYSOST. Præclare dixit, *Ordinem posuit tenebris*; vt ostenderet eas cedere ac decedere consueſſe. Quis earum caliginem, obscuritatemque dispellit, vnde in te tanta ordo tantus? Adhæc vim, sapientiamque Dei narrat, vt doceat illum nolle pœnas ab eo experere. Rerum enim omnium exitus, & euenta scrutatur, illa sua incomprehensa prouidentia cuncta complexus. Ergo neque impiorum supplicia temerè trahit ac differt, nec frustra irrogat: quia mensura, ordine, atque concentu vniuersa descripsit ac designauit.

*Lapis tenebra, & umbra mortis; abscisio autem torrentis ab arena.* Lapidem, inquit, qui in fodiendo quærentur, sunt in profundo abstrusi, in ipsaque mortis umbra deliteſcunt, id est, in partibus terræ imis, atque in alta obscuritate: illa verò terra è qua, cum perpurata fuerit, ferrum, aliæve metalli materies existit, sub torrente arenaque latet. Vel, vt planius dicam, terra, quæ ad gignendum ferrum vtilis sæpenumero in aquis reperitur: quæ à torrente discissa ferrum protulit. Fortasse etiam hæc ipsa verba aliam sententiam pariunt, Quod lapides, qui in profundo sunt conditi, ac propemodum radicibus nixi, torrentis impetus in apertum protulit, vbi subiectam materiam diuellit, & nullo firmamento sultam terram abripuit.

*Qui autem obliuiscuntur viam iustæ, infirmati sunt; de mortalibus moti sunt.* Id, quod fieri in fluuioꝝ alucis solet, ad imaginem, atque similitudinem exitij impiorum tranſtulit. Vt enim torrentis impetu interciſa atque auulsa arenæ trahuntur; sic, qui non firmiter honesti rationibus nituntur; nec viæ, qua ad virtutem est iter, meminerunt, sanè debilitantur; atque ex ea, in qua consistebant, felicitate decidunt; atque è mortalium complexu abstrahuntur.

*Terra, ex ipsa egredietur panis, subitus autem eam versa est sicut ignis.* Postquam dixit terram, aliam quidem auri, aliam verò argenti, aliam æris, aliam ferri procreatricem esse, eodem nunc addit genus quoddam aliud terræ reperiri, quod suo vtero semina comprehendit, quæ quidem semina postquam suo calore, quasi igne quodam dissoluit, & vi seminis multiplicem ex illis fetum extulit, tunc ad conficiendum panem spicam progignit. Necnon eundem verum sic interpretari licet, vt eius sit bipartita sententia ad hunc modum, Terrarum genera duo sunt, vnum concipiendis, comprehendendisque seminibus idoneum, alterum sulphureum. Nam illud, *Subitus autem eam sicut ignis*, pro eo est, Sic sulphur alit terra ipsa, vt ei ignis pœne subiectus esse videatur.

*Locus sapphiri lapides eius, & agger aurum eius.* Terrarum, inquit, aliæ lapides pretiosos gignunt, partim sunt acerui & aggeres, è quibus concoctis aurum procreatur.

*Semina, non cognouit eam avis, & non vidit eam oculus vulturis, non calcauerunt eam filij superborum, non transiit in ea leo.* Viam hanc, inquit, ac metallicæ artis rationem neque vulturibus, quarum est acies acutissima, vt etiam è sublimi regione illa cernant, quæ iacent in profundo, nec cæteris item volucribus exploratam Deus esse voluerit, neque leones, cæteræve immanes, ac vasta belluæ, quas superborum filios nominat, hanc à Deo sapientiam expresserunt; illam homo tantummodo hausit.

*In lapide durissimo extendit manum suam; subuertit è radicibus montes; ripas autem fluuioꝝ dirupit.* PRO, *Ripas*, Theodotio, Munitiones; Symmachus, Fluenta, interpretatus est. Hæc nonnulli sic intelligunt, Condocefactus à Deo homo, nec montium quidem vertices intactos reliquit: sed præruptas rupes, ac saxa durissima aperiens, atque perrumpens, ex eorum radicibus aquarum fontes euocauit, montes item quosdam editos complanauit. Verum, quantum ipse opinione consequi possum, non fontes quærens aquarum homo silicibus ferrum admouet, montesque euertit, ac ripas fluuioꝝ perfringit; sed, cum aut venas aureas quædam, aut verò argenteas, aut etiam quampiam aliam metalli materiam perquirat,

perquirat, aut gemmas curiosius peruestigat, tunc & perdit montes, & ima flumina perferatur.

*Omne autem pretiosum vidit oculus meus.* Dixit, rerum huiusmodi scientiam esse vni homini comprehensam. Quoniam igitur is, qui hæc disputat, homo est, id, quod est omnium hominum commune, sibi tamquam proprium adſciſcit, ac dicit, Eorum, quæ apud homines præclara, pretiosaque habentur, planè nihil est, quod me fugiat. Verùm omnia perspexi atque percepit, quæcumque perquisiui.

*Profunda fluuioꝝ reuelauit.* Theodotio autem, Scrutatus est, vt si diceret, Nil intentatum reliquit; sed, quæcumque in aquis obliteſcunt, siue ob acre conquiriti studium, siue ob diuinitus concessam sapientiam, in eius notitiam incurerunt.

*Ostendit virtutem suam in lumine.* Hoc est, in apertum protulit, gratiamque & vim sibi datam diuinitus, fecit insignem.

*Sapientia autem eius vnde est inuenta?* Reliqui autem, Vbi inuenitur.

*Qualis autem est locus scientiæ, non vidit mortalis viam eius.* Aquila, Ordinem; Theodotio, Sensum; Symmachus, Pretium interpretatus est. Sapientiam hoc loco interpretatur nonnulli rationes opifices, quibus mundum condidit ac moderatur. Hanc, inquit, sapientiam haud comprehensibilem iis, quorum est ortus è terra, in nullo terræ loco, quemadmodum superiora licet inuenire; sed præcipuè Deo indigemus magistro, vt illius partem aliquam sine errore assequamur. Non enim est quidquam in vita hac absoluti, sed videmus in ænigmatæ. Quare homo, inquit, mortalis eo, quo opus esset, modo huius sapientiæ viam nequit agnoscere. METHOD. Fortasse, quòd Iobi amici causam se tenere, cur illa is pateretur, arbitrabantur, ideo in eos inuehens Iustus, diuinoꝝ iudiciorum sapientiam tum sibi, tum cuilibet homini incomprehensam esse confirmat; negat locum exitere in terris, qui diuini consilij scientiam complecti queat. Verùm hic quiscumque dixerit, eam, quæ partibus omnibus expleta est, pietatem atque religionem vocatam esse sapientiam, rem planè diuinam, atque ab vno Deo precario concessam hominibus. Verborum autem ipsorum huiusmodi est sententia, Mirifica, inquit, est Deus quædam elargitus hominibus, cum iis vim inquirendi, & sapientiam, artificumque inscruit; quod mortales complexi, terram ad inueniendam metalla effodiunt, eandem colunt. Verùm eam, quæ in religione sita est, sapientiam haud villo in loco licet reperire; non illam à seipso homo intrinsecus petere, non cæteris tradere potest. Itaque, qui ex Græcis habitus sunt sapientes, cum suis viribus ad illam niterentur, proſus aberrarunt à scopo. Res enim, vt iam dixi, est huiusmodi, vt suo marre parare illam homo non possit: per gratiam enim & beneficium Deus concedit, vt eam homines assequantur. Quocirca principio idem Deus partim visis, partim angelorum consuetudine atque congressu, partim diuinoꝝ vatum opera ad pietatem homines erudiuit. Quin illa ipsa sapientia, quæ in contemplatione versatur, qua ipsa ad artes ac disciplinas incitatur, & cuius peræque omnes tam iusti quam iniusti participes sumus, (hactenus enim illam accepimus, vt animalia sumus ratione vtentia) illa, inquam, sapientia Dei quoque munus est, de qua dictum est ante, Nunquid non Dominus est, qui docet sapientiam & scientiam? DION. & ALI. Solus Deus fons est sapientiæ, quam Iobus etiam cupit inuenire, dum identidem inculcat, *Sapientia vnde inuenta est? qualis autem est locus scientiæ?* & quando naturam illius nostris viribus & cogitationibus superiorem describit, ait, Omnia latent hominem, quia solis sanctis est notus sapiens. Atque hoc vtitur epilogo, Deus est qui constituit viam eius, & quæ sequuntur: & alibi, Vbi & vnde est ipsa? Apud eum sapientia & potentia, ipsi consilium, & prudentia. Vnus est igitur sapientiæ parens, architectus, & largitor Deus. Quòd si quispiam eius partem accepit, ab illo videlicet accepit: Dominus enim dat sapientiam, atque à facie ipsius cognitio & sensus, quemadmodum liber sapiens indicauit, & quemadmodum similis scripturâ docuit, cum dixit, Ipse & sapientiæ dux est, & sapientum emendator. In manu enim ipſius & nos, & sermones nostri, omnis item prudentia, & omnium operationum



tionum nostrarum scientia. Nec enim quidquam aliunde vel boni vel admirabilis ad nos venit; verum, si quidquam boni est, illius est; & si quidquam præclari, ab illo. Zacharias ait, ceterum omnem, virtutumque omnem ab solutionem ab eo exire, ac dimanare. Ita, cum cunctas virtutes complectuntur, atque definiunt, illi assignant. Et primum quidem omnium sapientiam, quæ, quod antiquissima est, ac cæterarum princeps, in nobis inest, quasi reliqui ædificij fundamentum. Vt enim solus est Deus bonus, ita solus sapiens; solus, inquit, est potens, sapiens valde, sedens super thronum suum. Causamque exponens, cur illi soli nomen hoc præcipuum & peculiare attribuerit, inquit, Dominus ipse creavit eam, & dinumeravit eam, & effudit eam super omnia opera sua. Ad huius sapientie beatam notitiam Baruch his nos verbis adhortatur, Disce, vbi sit prudentia, vbi sit fortitudo, vbi longa ætas, vbi vita, vbi sit lumen oculorum & par: quis invenit locum eius? & thesaurus vnde prodit? & quis accipientibus metitur? Deus est. Itaque, postquam accusavit eos, qui partem ab illo sumere nolunt, loquitur his verbis, Dereliquisti fontem sapientie; viam Dei si ambulasses, habitasses in pace in æternum. Hæc alij pluribus sunt persequuti, qui sapientiam, aut rerum, quæ sunt, cognitionem, aut ipsam erga Deum pietatem interpretantur. Ego verò meum de ea, de qua est hic sermo, sapientia, sensum brevitè indicabo. Ego igitur sic existimo, sapientem, sanctumque Iobum tale aliquid dicere, cætera quidem homini sapientie præsidia esse inventa, vt metallorum materiem, vt artificia, vt scientias, omnia denique illa, quæcumque is cum admiratione quadam percensuit numerando; ipsam verò sapientiam, qua demum ratione invenit? nunquid ad eius rei inventionem, terram effudit? nunquid maris recessus penetravit? Apage. Res est enim Dei munere concessa.

*Abyssus dixit, Non est in me: & mare dixit, Non est mecum.* GREGOR. THEOLOG. Sepenumero rebus inanimatis loquentium personarum sermonem Scriptura affingit; vt quando ait, Cæli enarrant gloriam eius; & gladio aliquid præcipit; & montes ac colles sermonem rogantur exultationis. Tale quidpiam est illud, *Abyssus dixit, Non est in me sapientia; ita, vt quis sese in meos insinuans recessus, illam offendant: & mare dixit, Non est mecum, perinde fortasse, vt margaritæ, sic illam ipsam quis possit apud me reperire. Tanquam si diceret, Siue in abyſſo, siue in mari, siue in alio quouis loco, non attinet quærere sapientiam: illius enim promuscendus & largitor est Deus.*

*Non dabitur ei inclusum pro ea, & non appendetur argentum commutatio eius, & non comparabitur cum auro Saphir.* Aquila autem & Symmachus, *ἀντὶ τοῦ ὅτι οὐ μετράσεται χρυσὸν οὐκ ἀναβλήθησεται*, dixerunt, & Aquila quidem pro, *Saphir*, Primum, interpretatus est. Nam *Saphir*, vt supra dictum est, regio est apud Indos, in qua tum pretiosi lapides, tum præstantissimum aurum procreatur. Vniuersa ergo, quæ humana ratione inuenta sunt, sapientiamque contendit, atque hanc docet esse pretiosissimarum rerum materiam cum illa posse conferri. Nec enim, quamvis cunctos aliquis tradat thesauros, emere illam ipsam possit. *Inclusum* autem, pecuniam ipsam dicit, propterea quod tuto illam claudimus. Nec quidpiam cum ea ponderabitur: id enim valet, *οὐ μετράσεται χρυσὸν*, quasi in lancè impostis; nec verò primum aurum cum ea exæquabitur, non vis argenti contrapendetur. Nego enim esse quidquam in hoc peculij genere, aut par, aut æquè vt sapientiam, dignum.

*In onyche pretioso, & sapphiro, non æquabitur ei aurum & vitrum.* Neque cum eo lapide, qui onyx dicitur, seu cum sardonyche, siue cum sapphiro, siue cum auro, siue cum pellucida crystallo, quam vitri nomine significauit, sapientia comparabitur. Quod enim rara est sapientie possessio, ac data diuinitus, ideo pretiosam quamlibet materiem vincit.

*Et commutatio eius vasa aurea.* Pro quo Symmachus, Neque commutabitur vasis aureis. Nec enim res possunt huiusmodi ipsa cõmutatione sapientia æquare. *Neque excelsa, neque eminentia rememorabuntur.* Illud *γὰρ ἄξις* eminentis, elata videtur

\* *ἴσα ἂν ἀντι-  
στῆται ἡ  
σοφία τοῦ  
χρυσίου.*

\* *κατὰ πῶλον  
ἀντι-  
στῆται ἡ  
σοφία τοῦ  
χρυσίου.*

tur significare: sic namq; eminentes medimni labrū appellatur: Symmachus autem sic interpretatus est, Excelsa & sublimata non commemorabuntur, perinde vt si diceret: Quæcumque apud homines sunt, quæcumque in honore & pretio apud eos habentur, si cum sapientia comparatione iungantur, nec digna quidem sunt, quorum fiat mentio.

*Et trabe sapientiam super insima.* Intima ea dixit, quæ in cellis condita sunt, & asseruatur. Quare sic est Aquila interpretatus, Dulcis est sapientia præ iis rebus, quæ conspicua sunt. In quo ostendit opes pretiosiores vt ea, quæ sunt intima, cogitasse. Etenim quæ præcipuum pretium habent, non locis, quæ pateant, sed interioribus atque abditis collocamus. Ergo suprâ, inquit, hæc omnia atque suprâ horum possessionem colloca sapientiam.

*Non æquabitur ei topazium Æthiopiae, cum auro mundo non simul librabitur.* Topazium lapis est splendidissimus. Illud verò, *Non simul librabitur*, pro eo est, *Non vnâ ponderabitur.* Nam quæ simul ponderantur, in vtramque lancem imposta, exæquantur. Vel quia, qui hanc est adeptus sapientiam, nolet eam cum auro, sed solam portare.

*Sapientia autem vnde inuenit a est? qualis est locus intelligentie? omnia latent hominem, & a volucribus celi est abscondita.* Perditio, & Ator: dicit, *Audiamus illius gloriam.* Metallorum, inquit, materies quibusdam in locis reperitur: at sapientie gloria vltique ad eos, qui terram oppositam nostræ incolunt, peruenit. Ipsa verò sapientia res quædam diuina est, nec in conspectum cadens, Deique tantum munere concessa mortalibus: quam ipsam certo in loco capere, & aucupari non licet hominibus, nedum naturæ vlli rationis expertis; quod naturæ genus ex auibus significauit. Nihil fecius negant nonnulli à Iobo de sapientia differi. Nam aiunt superiorem orationem ad cognitionem rerum, quæ sunt, pertinere; hanc verò ad Dei administrationem, quam intelligentiam merito dicit: vt quæ in eximiis rebus versetur, nec ipsa mutetur. Huius homines, inquit, & qui ceciderunt, obliiti sunt angeli; vt merito & illi, & hi perditioni, atque interitui seruiant.

*Dominus bene constituit viam eius.* Symmachus autem, Intellexit, est interpretatus

*Ipsè autem nouit locum eius.* Idest, radicem eius, & quomodo, & vnde fluat ac manet.

*Cognoscens quæ in terra sunt, & omnia quæ fecit.* Qui cuncta, inquit, cognoscit, & qui est rerum omnium effector, is viam sapientie nouit.

*Ventorum pondus, & aquæ mensuras quando fecit.* Pro quo Symmachus, Aquam autem exæquauit mensura; Aquila autem, Aquam librauit in mensuratione.

*Hic videns numerauit, & viam in excussione vocis.* Symmachus, in fragorem vocem. Id, quod dicit, est huiusmodi, Hic tonitrua disposuit, quæ agrans aer edit. Hæc enim voces appellat in excussione. Verborum autem compositio est huiusmodi, Hic videns voces, quæ sunt in agitatione, & concussione, numerauit & viam earum, hoc est, aeris sonitus, ac tonitrus rationes, causas, vias & motiones cognitas habet.

*Tunc vidit eam, exposuit eam, à se preparatam inuestigauit.* Pro quo Theodotio, Constituit eam, & scrutatus est eam. Is, inquit, opera vna vniuersa concinna quadam ratione, ac proportionè effecit; qui nec ventos finit in eos, qui morantur in terris, perniciosè bacchari; neque nimia aquarum incurſione terram obrui atque dissipari: qui tonitrua vtiliter comparauit, qui denique sapienter cuncta parauit, qui cum sedulo cuncta peruestigasset, idest, perspexisset, tum deinde in apertum protulit. Qui, postquam vidit illa esse valde bona, tunc nobis sapientiam explicauit, suorum effectorum tabella quasi quadam nobis proposita, in qua illius sapientiam cerneremus, atque à creaturarum pulchritudine, & magnitudine, sapientie ipsius inuisibilia comprehenderemus. Illud autem, *à se preparatam inuestigauit*, non eò dictum est, quòd de rebus effectis antea deliberarit; nec enim consultationis Deus indiget ad efficiendum. Nam simulac voluit, in lucem euocat, nempe quæ facturus erat, intelligebat. Iam verò cuncta disposita, certisque

\* *ὅτι ἡ σοφία*

\* *οὐ μετράσεται*

\* *οὐ μετράσεται ἡ σοφία τοῦ χρυσίου. At multiplex est huius verbi notio: ut valet, simul librabitur, exæquabitur, & ponderabitur.*

certisque sedibus designata, & perfecta quadam ratione atque proportione inuestigata, cum non essent, produxit. Verum, qui nomine sapientiz pietatem aduersus Deum intelligunt, aiunt à Deo depromptam nobis, traditamque esse rationem, quemadmodum sentire de illo ipso debeamus; necnon quemadmodum ad ea, quæ eundem parentem habent, nobis sit accedendum.

*Dixit autem homini, Ecce pietas erga Deum, est sapientia; & abstinere à malis, est scientia.* I S I D O R. Hæc mihi clarus Iobus dixisse videtur, cum sapientiz, scientizque definitionem adferret. Nam reapse summa sapientia est vera de Deo opinio; scientia verò summè diuina, actio optima: illa de Deo veram sententiam affequitur, hæc à malis abstinere: illa verbis de Deo diuinis que rebus disputat, hæc agendi laude commendatur. Si ergo is, qui Deo carus & amicus est, scit ac sapit, vtramque est amplexus virtutem, tum eam, quæ in contemplando, tum illam, quæ in agendo versatur; & illam quidem tanquam animam, hanc verò veluti corpus. Sanè superuacanea est eorum hominum philosophandi ratio, qui optimæ disciplinæ, ac vitæ despicientes, in procedenda tantum lingua, atque in orationis concinnitate studium ponunt. G R E G O R. T H E O L O G. Prima enim sapientia vita laudabilis, & quæ Deo perpurgata est, vel quæ ipsa perpurgatur. C H R Y S. Ea demum maxima est sapientia, Deum piè ac religiose colere, non curiosè disquirere, ac poscere eorum, quæ sunt, rationes: nil huic arti par; nihil quod cum hac sapientia æquari viribus possit: nihil pietate aduersus Deum præstabilius.

### Capitis XX. Protheoria.

C V M de potestate ac sapientia Dei Iobus admirabiliter differuisset, docuissetque nihil æquè pretiosum esse ac sapientiam; illumque sapientem esse, qui religione atque innocentia sit præditus; rursus siluerunt amici, quibus nulla supeditaret ratio refellendi. Itaque Iobus, ab alio quodam capite accessit orationem, ab ea, inquam, in qua antea vixerat, felicitate, atque ab eo studio, quo cum Deum est felicitatis tempore profecutus. Sed, quoniam amici multiplex impietatis atque iniustitiæ crimen ei obiecerunt, iccirco earum rerum, quæ ab ipso egregie gestæ sunt, narrationem pertexit, ac præ illud, quod post vsurpauit Apostolus, dicit, Factus sum insipiens; vos me coegistis. Tametsi enim scriptum sit, Laudet te proximus, & non tua labia; nihilo fecit homines virtute perfectos necessitas ad hoc genus sermonis sæpè deducit; qui tamen ipsa sua interim absque vlla perturbatione animi vel factu commemorant. Id verò Deus ad vitæ nostræ conformandas rationes, quæ eius est prouidentia, molitur, Quò sanctorum hominum vitas, quasi expressas quasdam atque expolitas virtutis imagines haberemus, in quas intuentes, ad eas ipsi, tanquam ad normam, nostram viuendi rationem dirigeremus. Deinde suas deplorat ærumnas: vt ipsi malis vexati, cum in illius acerbitates oculos coniecerimus, releuemur. Dogma autem tradit præstantissimum, nemini esse licitum, hæc soluere ergastula corporis, quibus illud Deus adstrinxit; idque eius, qui vinxit, causa. Rursus ait, si illa mala ipse meruit, tanquam improbus, pars impiorum quominus sua sit, haudquaquam se recusare: quos quidem certè & miseros putat, & sua recta virtutum officia persequitur: quò ea narratio nobis tum doctrina, tum utilitate frugifera sit. Hæc cum Iobus dixit, perorat. Amici autem, cum nihil ad illius infirmam orationem haberent, tacuerunt. Nec enim Iobi præclara virtutum officia ignorabant; siquidem coram illis etiam iustitia Iobi enitebat.

CAPVT  
XXIX.

*A*dhuc autem adiciens Iob dixit proæmio, *Quis me posuerit in mense priorum dierum, Aquibus Deus me custodiebat?* I V L I A N I. Symmachus autem & Aquila, *Quis det me secundum menses primos, secundum dies, quibus me Deus custodiebat.* Quis, inquit, mihi menstruam restituat felicitatem, in qua antea vigebam? quò is, qui in me iudicium dederunt, queam persuadere, ex iis, quibus ipse percussus sum malis, improbum ab ipsis de rebus meis factum esse iudicium: cum vna me-

cum

cum de totius perfectionis causa, illos ipsos dubitare potius decuisset: Nam, si ob ea, quæ patior, iniquus ab iis iudicatus sum; ergo ex iis rebus, quibus futurus eram felix, proorsus iustus comprobaber. C H R Y S. Iccirco priorem ab eo ralicitare in optari, vt Dei fieret prouidentia illustrior, illa verba deciarant, *Quibus me Deus custodiebat.* O L Y M P. Diuinam custodiam atque opem, non specioiam tantum modo sobolem, & magnas ac locupletes copias dixit, sed multò magis, quia in tanto splendore, diuino seprus præsidio ius summopere tuebatur. Iccirco igitur in illum pristinum statum se restitui cupit, quæ tanquam Dei amans, in eius fide ac tutela optat esse.

*Sicut quando lucebat in lucerna eius super caput meum; quando lumine eius ambulabam in tenebris.* O L Y M P. Diuina lex & ratio, quæ in Iobi mente loquebatur, efficiebat, vt is in tenebris perinde, vt in lumine ambularet, virtutisque officii fungeretur, atque illa ipsa diuina lex quasi lampas quædam imminens capiti, è superna mihi regione illucebat. Id ergo dicit, Cunctis humanis bonis abundabam, diuinæque luce collustratus, sine metu aliquo pietatis femitas ambulabam. Reuera enim femitas lucis ambulant ij, qui cæcis vitæ huius fluctibus iactati, ad diuina iussa, quasi ad sidera sese vsque ostendentia retorquent oculos: diuinamque legum splendore ac ductu iter conficiunt suum.

*Quando onustus eram vijs.* Symmachus autem, Sicut eram in diebus iuuentutis meæ, hoc est, quando velut frugiferæ arbores bonis eram vsquequaque onustus: quando in omni via, in amplis fortunis, in muneribus religionis ac pietatis exequendis, nec leuis quidem eram, nec instar Euripi agitabar; verum morum constantiam ac soliditatem retinebam, atque ea, quæ ad honestum pertinent, immota mente administrabam.

*Quando Dominus visitabat domum meam.* Symmachus, Quando circumsepiebat Deus tabernaculum meum. Vides hoc illi esse in votis, vt visitatio & prouidentia Dei fiat insignis.

*Quando eram copiosus valdè; circum autem me erant filij.* Id est, quando res meas Deus visitatione sua dignabatur, multa mihi materies diuitiarum suppetebat: ipsius verò diuitias, ac nobilem sobolem virtutis materiem, mihi egomet statuebam, cum & diuitias in egentes conferrem, & liberos Dei arbitrio ac voluntate educarem: atque ij in me tanquam in centrum, oculorum animique aciem intentam haberent.

*Quando stuebant via mea butyro, montes autem mei stuebant lacte.* Ex his vim pecoris, quod vbique tum in montibus, tum in campis pascebatur, docet. Namque à butyro & lacte, armentorum & pecorum numerum & greges significauit. Ad intelligentiam verò, Viæ Iobi, quas is ambulabat, virtutes erant, ad quas infantes instituebatur, montes verò altræ cogitationes.

*Quando exhibam matrinus in ciuitate, in plateis autem ponebant sellam.* C H R Y S O S T. Priorem illam suam in dicendo libertatem & dignitatem, deinde gloriam narrat. O R I G E N. Item se aliorum eruditioni, atque utilitati operam nauasse, qui non sui amans, sed studio caritatis incensus, communis commodi cupidus esset. O L Y M P. Tanquam princeps quidam ac magister cæteris ad virtutem, sic nec somno, nec ebrietatibus indulgebat: sed caritate commotus, de mane in plateis residebat, tanquam lex, atque cæteris ciuitati propositus.

*Videntes me iuuenes, absconditi sunt: senes autem omnes steterunt.* Qui ætate, moribusve iuuenes erant, cum Iusti virtutem vererentur, se ipsi abducebant atque occultabant; qui autem vel ætate, vel senili prudentia senes erant, stabant atque assistebant, Iustoque honorem tum deferebant, tum eius sermones studiosè audiebant. Ita omnibus, qui ad intelligendum essent idonei, verendus erat, adolescentibus inquam, & senibus. In quo mihi sanè amicos suos verberare viderur, qui in eum insaltabant; maxime, quòd aperte docet, antea ipis etiam formidolosum & gloriosum exitisse.

*Optimates autem, cessauerunt loqui, digitum imponentes ori.* Adpò aut sunt diuites, aut, ex cæterorum interpretatione, principes. Ergo, cum hi sermonem Iusto

\* In 4. Re. c.  
10. sunt opti-  
mates: sunt  
item adulti,  
& robusti.

Z 2 conce

concederent, coram eo illi ipsi silentio utebantur. ORIG. Dignus ergo off. iniectus, silentij index videri possit. Fieri etiam potest, vt, quandoquidem manus pro factis viurpatur, illud significetur, illorum facta eorundem labra conelassisse, & ori vincula propemodum iniectisse. Neque enim eius rei erant ignari, haud se dignos esse, qui, Iobo præsentem, loquerentur, vt qui in maioribus atque illustrioribus facinoribus versatus esset, ipsi verò lenissima facissent. Dignus enim ipse minimam actionem, functionemque declarat.

*Qui autem audierunt me, beatificauerunt me: & lingua eorum adhaesit faucibus.* Ex his silentium, timorem ac stuporem docet. Et auditores quidem ob gratiosos sermones beatum illum prædicabant: qui verò aures habebant ad animi intelligentiam perforatas, de re nulla ei contraria oratione dissentiebant; sic enim erant admiratione percussi, vt iis quasi lingua adhaeresceret; atque ad verba formanda accuradaque illa voluere atque agitare non possent. Talia propemodum intelligit, percipit & loquitur, quæ & à communi hominum opinione abhorrent, & quæ magno possunt esse audientibus emolumento.

*Quia autem audierunt me, beatificauit me: oculus autem videns me declinauit.* ORIGEN. Nimirum, cum me aduerso obtutu intueri non posset. Aquila autem & Symmachus, De me testatus est, exposuerunt. Quid porro testatus est? nempe Iobum tam excellenti eximiaque esse sapientia, vt notionum animi, quas is euoluerebat, splendorem nimium auditorum acies ferre non posset. Itaque oculos abducebant, quia ad excelsas, altasque illius notitias nullo pacto nisi se posse intelligebant. Adhæc causam, cur beatum ipsum prædicarent, exponens, adiungit,

*Saluauit pauperem de manu potentis; & pupillum, cui non erat adiutor, adiuui.* CHRYSOSTOMUS. Postquam sui custodiam ac præfecturam Deo tribuit, tunc ipse in Domino gloriatur. Ac vide cum haud in eo magnopere gloriari, quod vel malis abstinere, vel sacrificiis operam daret; Iudeorum enim hæc erat gloria: verum hoc sibi Iobus dicit gloriosum, quod Deus cum primis requirit, Iudicate, inquit, pupillo, & iustificate viduam; nec non in recte factis laudem ponit suam, *Saluauit, inquit, pauperem, & pupillum adiuui.* ISIDORUS. Ne mirere, si Pharisæus, propterea quod magnifice de se loquitur, apud Deum offendit; Iobus autem, quamuis plura, & maiora prædicarit, tamen laudem tulerit: ille enim, nemine incitante vel impellente, in gloriosam illam ingressus est orationem; cumque nihil in orbe terrarum æquè vt se dignum existimaret, merito est lapsus; superbia enim morbo laborabat: qui verò ad causæ suæ probationem errata regit suas; & dum petitur conuictus, & dicit, quæ ad obiecta crimina refutanda pertinet; id quod præclarissimum, atque fama quauis superior fecit Iobus; nempe is ab omni culpa & reprehensione vacuus & nudus est, interim culpa in improbi, iniustique conuicti auctore residente. Friget enim ea laus, quam sibi quisque, nulla necessitate coactus adsciscit: verum, si quispiam, cum ea, quæ minime oportebat, audierit, inuitus ad huiusmodi sermones delabatur, nempe ad illos ipsos, qui vsurpandi sermonis necessariam causam attulerunt, crimen recurrit. Ita diuinum suffragium illum quidem pharisæum, qui nullius impulsu iustitiam suam venditauit, ac reliquos omnes condemnauit, exposcit omnino: hunc verò hinc necessitate adductum (quid enim amici, quod ad prouocandum valeret, in præteritis reliquerunt?) summæ laudationis laurea atque corona donauit.

*Benedictio pereuntis super me veniat.* Symmachus autem, Obuiabat. *Os autem vidua me benedixit.* Pro quo Theodotio, Et cor viduæ lætificauit. Horum autem veruum hæc est sententia, Cui interitus, inquit, creabatur periculum, qui tamen mea ope est creptus interitus; ac vidua, tutore carens, vbi me tutorem inuenit, faustis precationibus ac laudibus prosequetur. Neque verò eorum rerum spe commotus illa faciebam; sed ideo, quod ob conscientiam recti, ac spes meliores, ex iis, quas illi hominum generi suppetias ferebam, munus amplius expectabam. CHRYSOSTOMUS. Illud autem attende, quamuis viduarum genus sit quodammodo ingratum, non naturæ voluntati vitio, sed egestatis necessitate.

sit, quamuis agrè eum laudent, à quo sunt beneficio affecti; nam furnus est paupertatis viduitas; eas nihilominus Iobi nomen cum laude vsurpasse. Huius autem viri præclara facinora iccirco per scripta sunt, vt ea ipsi imitemur.

*Iustitiam autem indui: vestitus autem sum iudicio sicut diploide.* ORIGEN. Videlicet præclaram sibi vestem Iobus contexit: illi enim pro amictu iustitia fuit. Vide vestimenti genus: nam vestis iustitia, iudicium diplois erat. OLIVARIUS. Pro quouis pretioso cultu, iustitia iudicijque æquitate Iobus utebatur. Et hæc quidem mirifica Iobi indumenta; contra verò impij iaduantur maledictione, sicut vestimento; & operiuntur sicut diploide confusione sua. CHRYSOSTOMUS. Postquam dixit, Saluauit pauperem de manu potentis, rectè subiicit, *Indui iustitiam.* Nam sunt ex hominum genere, qui ceteris præsent, verum ipsorum vita turpis est, & ingloria; non ita hic noster. Sed quid ille? *Vestitus sum,* inquit, *iudicio,* hoc ego vestitus genere exornabar. Id autem, quod aliis molestum est, & quod stomachum mouet, & quod acerbum & grate videretur, contra mihi ac illis iudicabatur. Vt enim quis ad corporis ornatum diploidem adhibet, sic ipse ad meum cultum iudicij æquitatem; neque id duntaxat hodie, cras autem non item, verum, sicut necessitas cogit vestibus semper uti, sic nunquam ipse calamitosorum iudicium deserui. Sed nimirum quis eum iudicem constituit? A seipso, hoc est, ab ipsa virtute creatus est iudex, quemadmodum Moyses; tales videlicet debebat esse principes. Hunc in tentationibus spectasti, quantum spectare licuit; neque enim ad id genus demonstrandum idonea oratio potuit reperiri. Dolorem enim, & cruciamentum, & ægritudinis tyrannidem, atque ex iis niuium imbribus exortam perturbatioem, nulla orationis facultas auditoribus ita queat exponere, vt rerum ipsarum experientia postulare. Age verò rursus hunc ego tibi virum ostendam, quamquam haud paruum id est opus; sed, id quod animum requirit, summa philosophia præcultum, & qui in diuitiis atque felicitate egregiam philosophiam ostentavit. Cuiusmodi igitur hic fuit, cum locuples esset? Communis omnium portus, communis omnium pater, communis omnium medicus, immò verò quàm medicus potior, ipsum enim dicentem attende.

*Oculus eram cæcorum, pes autem claudorum.* CHRYSOSTOMUS. Vides, quemadmodum is pro natura melior quidam quàm quibusdam medicus eorum hominum curator fuerit, qui manci, membris capti, ac debiles erant? Et quemadmodum, quæ arte corrigi nequibant, solatio ipse ac mira erga eos prouidentia vsus reuerit: iis enim pro membris fuit. Perinde namque, vt essent integris pedibus atque oculis, sic iij affecti erant, quos membrorum calamitas opprimebat. Siquidem nec claudicationem, nec cæcitatem illi ipsi sentiebant; tanta in eos huius cura, & studium existebat. Nec verò dicit, Claudos & cæcos ipse solabar; nec dicit, Calamitatem leuavi, cæcitate sensum ademi; verum, Illorum eram oculus, per me videbant; per me calamitatem ipsam minimè sunt experti; eos, à quibus manu ducerentur, minimè requirebāt; tenebræ vt quouis loco iis lux essent, consuebam. Vide abesse signa. *Oculus eram cæcorum,* non redditis oculis; neque enim dum erat ea gratia concessa hominibus, neque illud in mea potestate erat, vt ærumnæ sensum ne haurirent. Nostræ autem ætatis homines, videntes etiam cæcos faciunt. Nec dixit, Per seruos faciebam; verum, Ego met naturæ peccata emendabam, nec hominum solum, verum etiam ipsius naturæ vitia corrigebam, mutilisque corporis artubus, rebus necessariis præbendis, eximiaque prouidentia consuebam. ORIGEN. Verum ad intelligentiam, Cæcas mentes illustrabat, & iis qui capti erant animo, opitulabatur, eratque illorum oculus; pedes verò iis largiebatur, quorum erant animi bases labefactata; iis, inquam, sermone pes erat, & manu utrosque ducebat. Vsurpatus est autem oculus, tanquam dux viæ ad intelligendum; pes autem quasi dux viæ morum.

*Ego autem eram pater impotentium.* CHRYSOSTOMUS. Et ne hic quidem dicit, Consolabar pupillos; verum, suæ condicionis iis sensum eripiebam, efficiebamque, vt ne acerbum suum illis ipsas malum videretur; quemadmodum ab illis etiam calamitatis sensum tollebam, qui mutilati erant, quos ego ipsos acri studio, & eu-

\* Est in ex-  
plari, κεν-  
οισι οδυσια:  
πυτο δεβερ-  
ιγι κενολο-  
κω οδυσια.

ra tuebar. In his demum eius, qui infirmis atque imbecillis praestò fuit, voces perspicuae sicut; & nimirum quanto post intervallo haec loquatur, attende. B A S I L. Tempus tacendi, & tempus loquendi est in oratione Ecclesiasta. Postquam igitur magnus Iobus calamitates silentio perdidit, atque in eo ipso robur animi praefecit, quòd res ad tolerandum difficillimas constanter pertulit; postquam tempus silentio satisfecit, ac diu dolorem cordis latebris occultavit; tunc demum haec, reserato ore, loquitur. C H R Y S O S T. Nequaquam sese gloria, praedicationeque efferendi causa, verum necessario adductus studio, de diuina providentia praedicandi, necnon se ut ob quas res Deus abiecerit, & in quibus nunc ipse versetur ostendat. Neque verò corporibus tantummodo \* mutilaris curationem adferebat; nec miseriam tantum pupillorum resciciebat; quando illis pro membris, his verò pro parentibus erat; verum etiam iudex voluntarius, ac per se ipse creatus, & plus etiam quam iudex erat.

*Causam, quam ignorabam, investigavi.* C H R Y S O S T. Hoc quidem certè maius est quam esse iudicem. Qui exercent iudicia, sedentes illi quidem eos expectant, qui acceperunt iniuriam; atque, cum illi adierunt, tunc praestò sunt. Erverò hi maxime probabiles habentur iudices, cum plerique ne id quidem faciant. Ac hic noster, vel praestantissimos iudices superavit, ac multis partibus antecelluit. Neque enim expectabat, dum ad eum ij, quibus facta erat iniuria, accederent; neque post eorum aduentum, atque congressum suppetias ferebat, verum ipse praevertens lustrabat omnia, eos quaerens, qui laesi essent iniuria, nec quoquomodo quaerebat, sed multa adhibita vigilantia, magna cura. Quod ipsum ex ipsis verbis planè potes intelligere; nec enim hoc dixit, *Quaerui*; verum, *Causam, quam ignorabam, investigavi*, scrutatus sum, studiosius disquisivi, curiose semper perispexi; omnia movi, ut calamitosos reperirem, neve quispiam violatus iniuria visum lateret. Genus praefecturae vides, qua non in solis spectatur verbis, non in cibis tantum, non solum in ipsis indumentis, sed etiam in petiiculis, quae alienis etiam iudicis praestat, ac praestò. O R I G E N. Hinc docet, quemadmodum nos iudicare conveniat, cum à fratribus ad ipsorum controuersias nostro arbitrio dirimendas vocamur. O L Y M P. Ad iudicandum, inquit, nihil ex cuiusquam querimonia praedudicari, nihil corruptae auri attuli; verum, postquam sedulum ad inquirendum & perferendum studium contuli, id, quod iustum erat, perispexi. Nempe haec ad eos dici oportet, qui temere iudicant, atque condemnant. Iobus enim inquit, *Causam, quam non ueneram, investigavi.* Vidisti ne vigilantem animum? virtutem nunc atque studium intueri.

*Construi molas iniustorum.* C H R Y S O S T. Id quod suapte natura mordere solet, potentiam enervauisita, ut potètes ipsi à noua inferenda iniuria arcerentur omnino. Quare utrisque bono erat, cum & laesos iniuria ab accipiendo, & iniuriam inferentes à faciendo auocaret, atque ad meliorem mentem conuerteret. In quo illi Apostolico monito satisfacere, Qui praestò, in sollicitudine. Iam verò animi contentionem ac fortitudinem cerne.

*De medijs dentibus eorum rapinam eripui.* C H R Y S. Rei difficultatem animaduerte. Rem inquit, iam planè obrutam, iudicioque praereptam in integrum restitui; nec desperabam, animò ue fragebar, quamuis res esset praedudicata; verum & deuoratum negotium more optimi, vigilantisque pastoris eruebam, erga meos confertos prouidentia vsus, quasi ab ore leonis ouis curibus abstractis, summissaque auribus auulsis.

*Dixi autem, Aetas mea senescet, sicut truncus palma; multam tempus uinam.* Pro quibus Symmachus, Dixi autem, Cum meo nido senescam; gloria autem mea renouabitur praesens mihi. Haec, inquit, mecum ipse ratiocinando pertractabam, atque in eam spem ingrediebar fore, ut, qui iuste uiuere, florere atque ad multum tempus vitam producerem. Huiusmodi est enim palma; ut si diceret, Cum huiusmodi mea essent facinora, pro fus speraui vsque ad extremum spiritum me futurum esse in bonis, ac diuina ope perpetuò fructurum.

*Radix autem aperta est in aquis, & ros creabitur in messe mea.* Translato vsus est sermo

sermone, & quidem sumpto à plantis, quae radicibus humorem atque alimentum hauriunt, irrigationeque vberem fructum ferunt, illumque messis tempore maturum reddunt. Quemadmodum enim, inquit, arbores, quae radices habent in aquis, ac propter decursus earum satæ sunt, sic ipse me florentem & fructu vberem esse sperabam; & quemadmodum fructus rore atque imbribus lactificati atque completi, suo tempore demerunt; sic ego, in bonorum copia atque exacta, putabam ex hac me vita migraturum.

*\* Opinio mea inanis mecum.* Verum, spes, inanis mihi extitit; quando quidem res mihi ipsa contra ceciderunt.

*Et arcus meus in manu eius ibit.* Dupliciter id potest intelligi; vel, quia in me intentus arcus Dei quasi manu teneatur, atque ab eo tentationum sagitta, at tela in me contorquentur; vel, quia rationes meas à diuina manu sic dirigi, & ad meam voluntatem, atque ex animi sententia sic mihi omnia processura existimabam, ut ab ingenioso sagittatio ad scopum ferrat sagitta. Verum me spes sefellit. Postquam autem haec interposuit, ad superiorem se rursus refert orationem, atque cunctis, cum sermonem haberet, verendum se, iucundumque fuisse docet his verbis.

*Qui me audierunt, attenti fuerunt; acuerunt autem in meo consilio, super meum verbum non diceerunt.* Ad ea, quae dicebam, attendebant; in quo libenti se animo audire testabantur: tacebant autem ideò, quòd quid oppoerent, contrae dicerent, non habebant. Ideo autem nil addiderunt, quia verba mea legem, canonem ac pondus esse arbitrabantur, ut nihil aut detrahere, aut verò addere iam illi ipsi possent: vsque eo interposuit, ad superiorem se rursus refert orationem, atque meum manu tenebatur diuina, caeque re à recto scopo mente nequaquam aberrabam.

*Valde leti fiebat, quando ijs loquebar; sicut terra sitiens, quae expectat pluiam, sic hi meam loquutionem.* C H R Y S. Attende quid hic dicat. Non propter diuitias inuisiosus erat; non ideò, quòd iis, qui affecti erant iniuria, praerari; nihil denique ex eodem genere. Verum libenter illum omnes audiebant. O L Y M P. Frugiferi illius erant sermones, atque in audientiam animis vim strenuam, ac robur habebant; nam primùm faciebat; deinde docebat. Dicentis autem in eo sita laus est, cum efficaces adfert sermones; audientis autem in eo ipso, quòd cum fidi, atque cum auditate audit.

*Si risero ad eos, non crediderunt.* Symmachus autem, Arridebam iis; ipsi verò non credebant. Cur autem non credebant; sicirco, quia de morum grauitate & constantia Iobi minime dubitarent; quòd per risum ab eo fiebat, periclitandi alterius causa fieri arbitrabantur. Quo quidem loco, qui mos sit ad docendum idoneus, iudicauit. Adeo enim grauem, atque constantem magistrum decet esse diuinum, ut ei aut arridenti, aut salibus vrenti fides non habeatur.

*Lux vultus mei non cadebat.* Quin etiam diuina, inquit, gratia è mea facie elucebat; nam illa ipsa gratia pacem animi ostendebat è genis. Aut hoc etiam dicit, Nihil obscuri, tenebricosiue in meis sermonibus inerat; immò verò cuncti vberem lucem, perspicuitatemque tuebantur. Vultus autem doctorum, eorum ipsorum est doctrina; animorum enim simulachra sermones sunt, atque ex caractere sermonis parentem agnoscimus non minus, quam è filiorum forma, eos, à quibus sunt procreati. Fortasse etiam, quia suam grauitatem, & in facinorosis oburgandis acrimoniam demonstrauit; qui autem ex hoc genere sunt, tristes, atque à risu abhorrentes esse solent; sicirco addidit, *Adspectus mei hilaritas non concidebat; sed grauitati splendor iungebatur.*

*Elegi viam eorum, & sedi princeps, & habitabam sicut rex inter monachos.* Symmachus autem, pro, *Elegi viam eorum*, Si volui progredi ad eos, est interpretatus; & pro, *Inter monachos*, in exercitu, dixit. Sententia verò est huiusmodi, Ego, inquit, vnus ex iis videri volebam, nec secus, quam vnus è multis ad eos adibam: at illi principem me deligebant. Nec enim aut per imperium, aut a deo per tyrannidem principatum occupabam; sed, quia, rerum vtilium adhibito desectu, cum iis colloque

\* Vulgata editio, quam & August. sequitur, habet dicitur xgav. sed Caten. habet, dicitur xgav. quam lectione etiam Chrysf. sequitur.

loquebar, virtutisque viam monstrabam; iccirco me principem renunciabant, nec aliter illi ipsi mihi, atque milites imperatori parebant. Tanquam si diceret, Vel ab hospitiibus, & peregrinis regiâ dignitatem accepi. Sunt autem monozoni, qui in militibus honore excellunt; qui non idem, quod omnes ceteri, cingulum gestant; vel, qui in nullum ordinem redacti, latronum more vitam traducunt. I S I D. Quoniam monozoni militaria agmina significant, aut cuneos barbarorum, aut latronum conuentus; tale quidpiam Iobum dixisse opinor, Vel quod militibus legitime præeram, & impetabam, vel quod barbaros strenuè superabam, vel quod terrorem latronibus inferebam, eosdemque à suis moribus prohibebam. Quod ni paruissem, ipsos legum retribus inducibam.

Aug. Tristes,  
græcè, modè  
vè.

Quemadmodum \* passionibus affectos consolabar. Verum eos, qui animi, inquit, miseris, externisue premebantur ærumnis, re atque oratione consolabar, atque erigebam. At Symmachus, Quemadmodum dedit eos dux viæ, interpretatus est, aliam fortasse sententiam indicans. Consolabar, inquit, eos, & ad ea, quæ erant agenda, impellebam, mihi ac facili adhibita cohortatione, atque humeris eos propemodum gestabam, eorumdemque imbecillitates ferebam, perinde, vt qui calamitosi, ægrotantibusque hominibus dux est itineris. Vt enim, qui corpore ægrotant, cura quadam, & commoda egent opera; sic & qui animo haud rectè sunt affecti, sed corrupti, atque odio vitio sitatis morbo impediti.

CAPVT  
XXX.

Nunc autem deriserunt me in finem. Theodotio autem & Aquila sic, ille quidem, iuniores diebus; hic autem, Breues præ me diebus. Sanè graue est, senem, qui multos antea commonefecit, à iunioribus admoneri.

Nunc autem moneat me in parte, quorum contemnebam patres ipsorum; quos non putabam dignos canibus gregum meorum. Ceteri autem, Cum canibus pecorum meorum. Illud autem his verbis significatur, Antea quidem præclare res meæ sese habebant, ac mihi verba facienti cuncti concedebant, & quasi regi morem gerebant; nunc autem tanta rerum mearum facta est mutatio, vt infimi, & propter ignobilitatem, egestatem, adolescentiamque contempti, & qui nullius frugis, nulliusque propter improbitatem pretij sunt, in parte me moneant; neque enim rectum videbatur, vt eum nonnulli semper cohortarentur; sed vt à quibusdam moneatur ex parte, quod illi eius cohortationis, qua fuerat apud alios vsus, esset merces persoluta. Iam verò quod illos ne in canum quidem numerum aggregarit, ad nullum insolentia verbum pertinet; sed illud tantum clarum est, illos nullo numero pretione homines extitisse; ac si diceret, Si mei mihi honoris, ac dignitatis ratio habita esset, prorsus indignum putassem, eorum, qui me nunc irridunt, patres intueri, quibus non periinde vt canibus meis, rerum copia suppeditabat. CHRYS. Contemnebam, dixit, quo is verbo haud per contemptum est vsus; sed ea re tantum, quod illorum ei aperta, & manifesta erat iniquitas; nimirum rectè ad illud, Contemptus est in conspectu eius, vt malignatur; hoc enim hominum genus pro nihilo ipse putabat. Illud autem, Moneat me in parte, vt mea quidem fert sententia, non eò spectat, quasi ei illi pro beneficio accepto monendo reponerent; sed id eò, quod is, qui alios monuerat, ab his hoc tempore moneatur. Itaque illud etiam, quod addidit, eos minime canibus suis dignos esse, non eò retulit, quod latrante hac animante deteriores illos ipsos duceret; sed ob eam rem dixit, quod haud dignos eos existimabat, qui canes ipsius curaret. Indignos, inquit, putabam, qui gregis mei canes agerent. Horum igitur is monita repudiabat, vt quorum nec esset ætas verenda, nec ipsi virtute verendi. Admonebat inquit, Quinam? & quem? Iuniores superiorem, flagitiosum eum, qui clarus quondam & insignis extitit. Breuiter deinceps eorumdem innuit imbecillitatem, dum ait,

\* quare ad  
vè græcè vo-  
cis est multi-  
plex. Chrys.  
pro utilitate  
sumpsit.

Et robur manuum eorum vt quid mihi? Hoc est, nūquam eorum opera egui. Quid ergo attinebat eiusmodi apud me verborum genere vt?

Super eos perditio, \* utilitas. Aut hoc dicit, ij, qui pœnas quondam suæ improbitatis debebant, repente sunt erepti supplicio: aut, quia ob summam inopiam expetebant interitum, nec eius rei compotes erant: aut, quia nihil vnquam ij boni

boni gesserunt. Ego verò, cum Symmachi interpretationem attenderè, quæ ipsa est huiusmodi, Perit is omne, quod est ad vitam, Synteliam dici puto, quæ cum erit vitæ præbet utilitatem; quorum penuria Iobi premebantur aduersarij: super ipsos enim perit Syntelia; id est, rerum ad vitam vtilium abundantia. Id ea, quæ sequuntur, confirmant; nam addit;

In egestate & fame sterilis. Quod dicit est huiusmodi, Quisque eorum sterilis erat, id est, inops, nihilque frugis, fructuumque habens, & nimirum egestate ac fame magnopere conflabatur. Vel illud, Sterilis, pro hoc altero est, Nec reperire, nec parere rationem quampiam vitæ sustinendæ poterat.

Qui heri fugiebant in aquosam, angustiam, & ærumnam. Qui hesternò, inquit, die ac nuper angustis & miseris premebantur, suamque regionem vt incultum agrum, ac sterilem vt solum derelictum, ac desertum reliquerant, eos, vt minime ingenuos accusare videtur, qui ex obscuris locis ac parentibus essent. Hæc autem eò Beatus persequitur, quod ipsi, à sordibus, contemptisque hominibus iniuria affecti, ne quasi soli ipsi hæc patiamur, animo feramus iniquo; quando is, cuius virtutis tanta erat auctoritas, qui copiis & honoribus affluentibus erat, eadem, quæ ipsi, atque adeò, quàm nos, grauiora dicitur esse perpeffus.

Qui frangebant alima in sonante. Symmachus autem, Vellicantes cortices plantarum. Alima herba est quædam, vt aiunt, quæ celeriter explet comedentem, gignitque satietatem. In sonante autem, id est, in vallibus, locisque saxosis. Eiusmodi enim loca aptè personant, loquentibusque respondent. Aut adeò, nemoribus consutum locum, qui ventis perflatur, sonantem dicit. Dicit igitur, siluas atque conualles huiusmodi homines obire, atque ea lustrare loca, propter quæ labentes aquæ sonitum ac murmur edunt, vt, graui inopia coacti, inuentis herbis, atque ex arboribus detractis, rarisque corticibus, vitam sustineant.

Quorum alimenta erant alima. In honorati autem, & contempti, egentes omni bono, qui & radices arborum manducabant præ magna fame. Symmachus autem, Et radix lignorum agrestium comestio eorum. Duarum rerum illis dat testimonium, tum summæ egestatis, tum nequitia singularis. Illam significauit, cum dixit, Cortices & radices arborum mandebant. Hanc verò ostendit, cum eos à quouis bono inopes appellauit. Nisi si quis hoc item loco boni nomen ad ea, quæ ad victum referuntur, velit pertinere. Est illa altera etiam improbitas, in egestate hoc homines versari. CHRYS.

Insurrexerunt in me fures, quorum domus ipsorum erant stramina petrarum, in medio bene sonantium clamabunt. Symmachus autem, Inter plantas agrestes, sonantes famelici.

Qui sub siccis virgultis commorabantur. Insipientium filij, & inhonoratorum, nomen & gloria extincta à terra. Hi, inquit, ad latrocinia conuolabant, quibus in petris domicilia erant, qui cauernas, & solitudines colebant, quibus in petris domicilia erant, qui cauernas, & solitudines colebant, aridisque ad latendum atque ad fallendos eos, qui præteribant, virgultis tangebantur; ex insipientibus insipientes, ex turpibus atque despectis, turpes atque despecti, ex ingloriis atque obscuris, inglorij atque obscuri.

Nunc autem cathara ego sum ipsorum, & me proverbium habent. Cantio, inquit, & carmen effectus sum eorum, measque calamitates pro quouis alio sermone habent in ore. CHRYS. Viden, quænam præcipuam ei molestiam adferant? nempe ab illis, maledictis, quibus iidem lædebantur, verberari.

Abominati autem sunt me, recedentes longè: à facie autem mea non pepercerunt spatio. Vbi, inquit, ad me propius accesserint, spatioque fœdauerint, longè recedunt: propterea quod rem me planè detestabilem atque odiosam ducunt.

Aperiens enim pharetram suam, afflixit me, & frenum faciei meæ emisit. Hoc item loco à Iusto Diabolus vulneratur, cum illum negat quidquam aduersus se posse, à Deo sibi vno plagas esse inflctas. Dicit autem, Frenum, quo mea propemodum facies vinciretur, mihi iniecit; vt illud significet, Silentij vinculis os meum astrinxit, cum mihi libertatem orationis ademit. Interea cunctis meas ærumnas ad

Aa impietatis

impieratis exemplum vsurpantibus, mihi que obiiicientibus.

*A dextris gemitus insurrexerunt.* Aut hoc dixit, Quando rerum copia & vberitate ego florebam, in me illi inuadebant. Aut hoc significat, laudabiles meas actiones, ac iusta facinora infectantur, cum me in corrupta mente pietati operam nauasse inficiantur.

*Pedes suos extendit, & vias fecit super me, semitas perditionis eorum.* Postquam ipse, inquit, Deus in me sese incitant, iis est ad irruptionem via patefacta, Deo illis ipsis eedeate, atque ad me inuadendum semitas propemodum muniente. Aquila pro, *Semitas perditionis*, \* Colluisionis dixit, quasi enim aqua, quæ impetu fertur, sic loquacitatibus atque audacibus conatibus multorum impetum Deus, quasi viam complanauit.

*Attrita sunt semite mee, exiit me stola mea.* Meæ, inquit, felicitatis viæ sublatae sunt omnes; vestem felicitatis à me Deo, id est, opem suam, auferente.

*Iaculis suis sagittauit me; & vsus est autem me, sicut voluit.* Ex his vim cruciatus, atque acerbitatem docet. Illud autem, *Sicut voluit*, hoc valet, Causa mihi prorsus est ignorata.

*In doloribus concretus sum: redeunt autem mihi dolores; abiit spes mea, sicut spiritus, & sicut nubes, salus mea.* Rebus, inquit, aduersis circumuallatus sum; atque è cruciatibus, & pœnis concretus sum, meique dolores instaurantur, atque ex reditu erucior; hoc est; multò vehementius afflictor. Quicquid autem mihi relictum erat ad spem meliorem, omne euauit; seu, quemadmodum est Symmachus interpretatus, \* desideria mea, instar venti, qui præterit, & nubis, quæ dissoluta est.

*Et nunc dissoluetur in me anima mea; habent autem me dies dolorum; nocte autem ossa mea combusta sunt; nerui autem mei dissoluti sunt.* Illud, *Dissoluetur anima mea*, huic respondet, Non habet, vbi consistat. Quasi dicat, Ratiocinando æstuo; quandoquidem nec Deum iniusticiæ mihi condemnare fas est, nec mihi ipse cuiusquam rei sum conscius. Sic autem die, nocteque exrucior, vt & ossa sua mea exusta, & animi nerui vi doloris planè soluti, atque opprimentium, vrentium que cruciatuum magnitudine prorsus elisi.

*In multo robore apprehendit vestimentum meum, sicut \* perisomium circumplexus est me.* Translata vsus est oratione, Nam, qui perisomio cuiuspiam collum constringunt, suffocant illum, & strangulant. Dicit igitur, Quia me arctius complexus est, perinde me cõprimis, & strangulas, sicut cum angusta vestis ora iugula astringit, premitque vehementius.

*Existimasti autem me sicut lutum in terra; & in cinere pars mea. Clamavi autem ad te, & non exaudi me.* Vt filius apud patrem, sic ille apud Deum opplorat, naturæque humilitatem ad preceationem adhibet. Cogita, inquit, ô Domine, me terram esse, & mihi rursus in terram abeundum esse; & ne auertas orationem meam. Illud verò, *Non exaudi me*, eximiam quandam erga Deum caritatem ostendit. Sic enim loquitur, quia ab eo se credit audiri. Vt autem mea fert opinio, illa, *Sicut lutum me existimasti*, & quæ sequuntur, non ideo à lobo dicuntur, vt despectam naturæ præferat condicionem; sed quasi affectu quodam, & indignatione commotus, sic loquitur: si quidem contemptum quoddam est lutum, nec vilius presij est homo; quod illi est à Deo pars non in rebus pretiosis, sed vilissimis, in cinere, inquam, & puluere, quæ pedibus obreruntur, constituta; atque ob id ipsum non auditur.

*Steterunt, & considerauerunt me.* Vel cum me irriderent, vel cum meæ calamitatis pondus admirarentur.

*Insultasti autem mihi absque misericordia, manu forti verberasti me, constituisti autem me in doloribus, & proiecasti me à salute.* Norunt videlicet sancti magnam atque adeò inexplicabilem Dei esse misericordiam. Ira David misericordiam sibi postulat tribui. Huc ergo cum Iobus spectaret, dicit ad Deum, *Insultasti mihi absque misericordia.* Et enim, si tua magna vsus essem misericordia, his ego ærumnis haudquam exerceret. Ergo hominis cum gemitu obtestantis, & misericordiam quaerentis

\* *ἔτιν ἄνευ πόνου, sicut uertit in aqua.*

\* *ἡ γὰρ θύρα.*

\* *Est superior vestis ora, collum vndiq; amplectens, ac circumplexus.*

rentis illa verba sunt, non arrogantis, aut verò indignantis, grauiusque ferentis.

*Scio enim, quia mors me conteret. Domus autem omni mortali est terra. Vinam possidem me ipsum \* interficere, aut rogare alium, vt hoc mihi faceret.* Illud, inquit, teneo mortalem me esse, ac planè periculum: cui libet enim huiusmodi domus pro sepulchro ipsa terra est constituta. Libenter igitur ac breui tempore ex harum calamitatum fluctibus emergerem; si aut meæ cordis ipse essem auctor, dummodo id sine scelere mihi facere liceret; aut alium quempiam ad meam eadem precibus sollicitarem. Vtinam mihi id licitum esset. Sanè quidem fecissem. Nunc autem, eius rei est mihi crepta potestas: sibi enim ipsi manum cõsciscere, veritum est. CHRYSOST. Viden, vt illud, *Vinam possidem*, non ad vitium imbecillitatē dicit; sed ideo, quia prohibetur? nefas enim est, atque scelestum, seipsum de vita subducere. Hinc & plagam intolerabilem esse comprobatur, & mentis pietas seruabatur incolumis. In eos enim, qui sibi ipsi necem consciscunt, homicidij poena est constituta.

*Ego autem super omni impotente fleui: ingemui autem videns hominem in necessitatibus. Ego prestolatus sum bonis, ecce obuiauerunt dies malorum.* Postquam multa sua rectè facta narrauit, quemadmodum, inquam, variè calamitosi subuenerit: quemadmodum, necessariis rebus largiendis, egentium inopiam subleuarit; quemadmodum iis, qui per iniuriam oppugnabantur, fuerit opiculatus; quemadmodum ægotantibus curationem pro viribus adhibuerit: quoniam genus quoddam reliquum erat horum, quorum haud sanabile erat malum; cui nullum humanum reperiebatur remedium; huiusmodi etiam hominibus se id, quod suum erat, hoc est, communem sensum doloris, tribuisse testatur, dum ait, iis, quibus ipse auxiliari non poteram, quibus vnus Dei manus præsto esse poterat, communem sensum doloris præbui, lacrymas & gemitum. Atque ipse, *prestolatus sum bonis*, hoc est, cum essem beatus; tanquam si diceret, Non voluptatum illecebris delinitus, non deceptus diuitiis, de alienis calamitatibus oculos deiciebam; immo verò eas meas esse, ac proprias ducebam; atque iis, quæ in manibus habebam, bonis inteserebam. Nunc autem ipse miserè perditus parem doloris communionem nusquam reperio: nec enim quenquam habeo, qui necessaria atque calamitosa hæc mea tempora doleat. CHRYS. Nimirum, cum floxerem ipse diuitiis, nil feci cuiusmodi, non alienis ærumnis lætatus sum: contra quam mihi nunc accidit, eius ærumnæ multorum oblectant animum; contra potius ego in alienis malis fleui, atque ingemui. Atqui, ô amice, haud leue hoc est, mentem habere ad condolendum idoneam. Ego verò illud, *Ego prestolatus sum bonis; ecce obuiauerunt dies malorum*, sic interpretor, Ego quidē ob partem alieni mali sponte susceptam, bona expectabam: verum me spes longè fefellit. Symmachus autem sic extulit, Bona expectabam: venerunt autem mala.

*Venter meus efferbuit, & non tacebit.* Id est, mea vruntur præcordia, ac tacere non possum. Vis enim cruciamentorum incredibilis exclamare me, & eiulare cogit: nec vocem comprimere vt eumque permittit. Causam porro, cur suas tragicè exagitet miseras, & præclara enumeret facinora, eam esse docet, quod animum gerat malis confertum: animum enim ventrem appellauit. Efferuescere autem est, cum aqua igni concalesceta feruet atque ebullit. Sic mihi, inquit, cor feruet & ardet; nec fieri potest, vt sileam. Symmachus quidem pro eo, *Non tacebit*, cum dixit, Non cessauit, quandam aliam à nobis interpretationem requirit, nimirum perpetuum esse, nec vnquam intermittentem dolorem; quia enim verisimile erat efferuescentem animum iterum deferuescere, atque consistere, vt doceret, etiam nunc cordis æstum manere, addidit, Non cessauit.

*Præoccupauerunt me dies paupertatis: gemens ambulavi, sine freno steti in cœtu clamans.* Causam adfert, cur cordis eius æstus minimè cesser. Summa, me, inquit, oppressit inopia. Iccirco sine freno, inquit, ingemisco, hoc est, ipsa patientia quasi freno quodam ferus magnitudinem atque perpetuitatem nequeo cohibere. Verum intemperanter, effusè, ac denique effrenate ploro & gemo, nec cœtus interim frequentiam reuerens, & coram multis, qui circumstant, vociferans.

At 2 Fre

\* Ita etiam Aug. graec. ἡσπασσάμενος.

*Frater sum factus strenam, socius autem struthionum.* Sirenes aues quasdam, quæ canere soleant, appellat; alcyonas inquam aut vlulas: vtrumque enim genus est animantis luctuosum. Struthiones autem, strathiocamelos, quemadmodum interpretatus est Symmachus, animalia sunt, quæ solitudinem amant. Hæc igitur eò Iobus dicit, quia extra urbem ac sub dio commorabatur. C H R Y S O S T. In lugubrem auium cantum incidis; meam naturam dedidici; nihilò sum his auibus melior.

*Cutis mea obtenebrata est valde.* Cæteri, Denigrata est in profundo. Id autem non tam ei ex sole quam ex morbo ac plaga accidebat. Nam quæ extabescit caro, infuscatur, & nigra euadit.

*Ossa autem mea combusta sunt præ caumate.* Cum enim sub dio resideret in stercore, diei aestu exurebatur: sed multò magis ob immoderatum vlcis incendium atque feruorem.

*Abijt in luctum cithara mea, psalmus autem meus in planctum mihi.* Ea, quæ mihi iuuenta erant, ad luctum reciderunt omnia. Quæ quidem ait, vt ad miserendum Deum alliciat. Deinde rursus in suorum rectè factorum commemorationem ingreditur.

CAPVT  
XXXI.

*Actum posui oculis meis; & non intelligam super virgine.* C H R Y S O S T. Symmachus autem, Et nihil cogitavi de virgine, scilicet Euangelicæ disciplinæ absolutionem est Iobus complexus. Nam, quæ postea Christus sciuit, ac iussit, eadem re ipsa perficit. Et quoniam, qui viderit ad concupiscendum, iam mœcharus est; ideo oculum suum erudiebat, vt ne virginum formas, pulchritudinesque spectaret, curiosèque persequeretur. Quid hic dixerint illi, qui virgines habent adscitas? qui illarum conuictu atque societate nec se commoueri turpiter, nec lædi confirmant? Quamuis enim res ita sese haberet, offensionem tamen aliorum cauere oportebat. Sit ita sanè; integer ipse, & nullo improbo affectu commotus inter virgines versere. At eos, qui sunt infirmi, percelles. Et uerò beatus hic Iobus tantum in se roboris & philosophiæ inesse, testari haudquaquam est ausus: verùm is, qui omni virtute functus erat, qui retia Diaboli cuncta eluserat, qui primus, ac solus, tantam animi constantiam ac fortitudinem ostentarat; qui inuictò animi robore quoduis ferrum atque adamantina superarat, qui Diaboli neruos considerat; virginem sic tamen reformidabat, vt in corruptum, atque integrum cum virgine commorari, ex earum rerum genere, quæ fieri non possunt, esse statueret: nec tantum ab huiusmodi contubernio atque commercio longius se remouebat; sed ab ipso etiam ad spectu & occurratione sese planè abducebat; legemque hanc suis oculis sanxit, vt virginem ne videret omnino, *Actum*, inquiens; *posui oculis meis; & non intelligam super virgine*, id est, non contemplantur, non cernam. Nouerat enim, nouerat, non modò eum, qui cum virgine familiariter viuit; sed ne eum quidem, qui virginis formam intuetur, non dicam ægrè, sed prorsus nulla ratione vitare posse incommodum, ac detrimentum. Vtrum tibi Iobus ad certamen pusillus videtur? Atqui ne sterquilinio quidem eius digni ipsi sumus; & tamen hoc tu tantum exemplum animi tui altitudine inferius ducis. Beatum Paulum cogita, eum inquam; qui, posteaquam eximie philosophiæ partes omnes expleuerat, corpus vexabat suum, & in seruitutem redigebat; vitamque affuetam certamini traducebat. Quamobrem, cum rei difficultatem Christus testaretur, vel ipsos mulierum vetuit ad spectus. Quinetiam adulterorum supplicia iis, qui cernerent improbè, est minitatus. Neque verò de non duenda vxore legem quampiam tulit; verùm, vt rei naturam doceret, dixit, *Qui* potest capere, capiat.

*Et quid partitus est Deus desuper? & hereditas Sufficientis ex altissimis.* Quamobrem, inquit, post tantam disciplinæ absolutionem huiusmodi mihi partem, & hereditatem potens atque altissimus Deus diuinitus est elargitus? prorsus eius rei ignoræ sunt mihi rationes. C H R Y S O S T. Nec enim dicere cuiquam fas est, me pœnam hanc ideo luere, quòd diuitiis, & superioribus bonis sim ad fœcordiam atque molliem abusus; ad hunc autem statum me demigrasse, Deo mihi

salu

salutarem, idoneamque medicinam adhibente. Etenim hominem \* mulierosum, voluptatumque illecebris, ac deliciis diffluentem, rebusque ludicris studenter iure optimo quis in aduersam, atque contrariam vitæ condicionem coniecisset, vitæque acerbè & luctuosæ addiderit; eum verò, qui comestationes vitarit, qui homines ioculares & mouentes risus repudiarit, qua tandem ratione quis in hanc terram, mœstamque vitam præcipitauerit?

*Væ perditio iniusto; & abalienatio facientibus iniquitatem.* Non propter peccata perpeti illa se Iobus arbitrabatur: nec opinione fallebatur. Probatio enim erat illa virtutis, non malorum remuneratio. Eos verò, qui secus de illo existimabāt, non in numerum impiorum adscribit; sed væ, Deique dissidium illis ipsis denunciatis, deplorat. Fortasse etiam hic versus cum superiore ad hunc modum coheret: dixit enim, *Quid mihi partitus est Deus? vt planum faceret, haud se illo dignum esse supplicio, neque suæ virtutis cruciatus, dolores, gemitus atque egestatem pro mercede deberi. Quare atrexit, Væ perditio: longius à Deo amandari ac profligari, in homines iniustos conuenire. Nonne ipse videbit viam meam, & omnes gressus meos enumerabit?* Neque enim meas vitæ rationes Deus ignorat; leuissima quæque tener momenta; vt, quemadmodum me percussit, prorsus ignorem. C H R Y S. Nec quispiam dixerit, me quidem vitam fœcordem, effeminatam ac lubricam refugisse; postquam autem morbo, fameque contabui, vitæque acerbam, ac duram expertus sum, ad vitia vitæ prioris contraria demigrasse, ad improbitatem inquam & fraudem deflexisse. Quin ab vtriusque vitæ scelere peræque declinaui.

*Si autem ambulauit cum irrisoribus.* Symmachus autem, Cum vanitate, id est, neque hominum risum facientium sum consuetudinem, congressionemque sequutus. I V L I A N. Videtur hoc superiori orationi contrarium. Nam dixerat, *Eua* sic in luctum cithara mea. Verùm longè res se habet aliter; neque enim organorum vsu prohibitus erat; quando quidem hoc ipsum cum pietate fieri potest: in templis enim sunt illis ipsis vsi. Irrisores igitur dicit eos, qui comestationibus, atque ebrietatibus indulgent. O L Y M P. Et hoc quemadmodum culpa vacare nolit, eum scurris, atque irrisoribus congredi. Quamobrem diuinus Apostolus scurrilem iocum nobis abiiciendum esse suadet. Ita nec \* festiuitates sunt admittendæ.

*Si autem & festinauit pes meus ad dolium.* Pes, inquam, animæ meæ. Nempe hoc dicit, Nunquam aduersus quempiam fraude sum vsus.

*Steti enim in statera iusta.* Et Aquila, Appendit me in statera iusta, ac si dicat, In honesto atque in virtutis medio constiti, atque vtriusque vitiosæ partis diuerticula peræque vitauit, pariterque exuperantiam, defectionemque fugi, æqualitatem ipsam adamaui & colui. Quantum verò ex Aquilæ interpretatione intelligi potest, videtur quidem iustus Deo virtutem suam adscribere.

*Novit Dominus innocentiam meam.* C H R Y S. Harum ipse rerum testem non hominem, qui & gratificari potest, & multa ignorat, appello, sed nimirum eum, qui abdita, arcanaque perfecta quadam scientia comprehensa habet, qui & meam iustitiam æquis ponderibus examinavit, atque innocentiam meam perspexit. O L Y M P. Hæc ipsa de Iobo Scriptura testata est, cum eum innocentem, iustum, & erga Deum piū prædicauit.

*Si declinauit pes meus de via.* De via, inquam, pietatis atque virtutis; sicut dixerat, *Steti in statera iusta, nec de recta via deflexi.* C H R Y S. Quod nunc leue est, ad illorum temporum rationem videlicet magnum erat, fortasse etiam ad nostrorum non exiguum. Etenim non concupiscere, ipsum quidem magnum est; illud verò nihilo minus, conceptam cupiditatem re ipsa minimè explere. Quamquam longius progressus, maius etiam aliquid adfert, cum nil eiusmodi suos oculos passos esse dicit: ait enim;

*Si oculum sequutur est cor meum.* Hoc est, nequaquam earum rerum, quas oculis hauriebam, cupiditate inflammabar; neque vitiosè propterea in animo meo ciebantur affectus. Nec dixit, *Oculus meus;* sed, *Cor meum*, ne mentem quidem cor-

Aa ; rumpi

\* Exemplar  
habet, q. d. b.  
γ. ο. malleos  
φ. ι. γ. υ. β. ο. ο.

\* τὰ ἀγαθὰ.

rumpi sum passus, nedum corpus. O L Y M P. Diuinus ait Ioannes, Omne quod est in mundo, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Dicit igitur Iobus, Nil vaquam, aut cum animum adiecissem, aut cum laudassem, concupiui. Atqui ad affectus hoc pertinet vacuitatem, ea quidem, quæ digna sunt in hac rerum vniuersitate, laudare, vt corporum symmetriam atque proportionem, vt colorum varias temperationes, vt lapidum splendorem, ac nitorem; nec tamen rerum huiusmodi capi cupiditate.

*Si autem manibus meis tetigi donum, seram vti que, & alij comedant, absque radice sum super terram.* Symmachus autem apertius, Et progenies mea eradicetur. Nempe hæc Iobus dicere nequit, qui inops sit, liberisque orbatus. Quid igitur dicendum? aut ipsum hæc ante calamitatis tempus loquutum esse, aut tanquam iustum rursus vitæ lætæ spe niti. Quantum verò ad nostram pertinet institutionem ac disciplinam, hæc ipsa Dei permisso ideo dixit, vt, cum hæc ipsi legerimus, atque animos tumidos, sublatosque habuerimus, dicamus, Si munera accepimus, si tale quidpiam admisimus, hæc item perferamus.

*Si autem sequutum est cor meum mulierem alterius viri: scietiam insidiator factus sum in ianua eius.* Alij pro *ἐν τῇ θύρῃ*, Insidiatus sum, dixerunt.

*Placeat vti que & vxor mea alteri: & paruuli mei humiliantur.* Quoniã concupiscentia, vbi conceperit, parit peccatum. Ideo ipsum, inquit, peccatum ex corde radicatus euellendam, ne via sceleri pateret. Illud autem, *Placeat vti que & vxor mea alteri*, æqualitatis studio dixit. Etenim sic mihi ante ærumnas suafor eram, sic cui malum molitus essem, illis ipsis egomet implicarer; atque iis, qua gesseram, paria acciperem. Hæc verò ad ea pertinere, quæ morbi calamitati antecesserunt, vel illud non obscure declarat, *Paruuli autem mei humiliantur*. Iam enim illi erant morte erepti. Verùm quo pacto paruuli humiliantur? nempe quando adulteræ filij nuncupantur, atque ea re sese abduunt. Demittit enim filius animum, & libertate spoliatur, cum in matris scelera oculos conuertit.

*Furor enim ira est, qui retineri non potest, polluere viri vxorem.* Adulterium enim, inquit, Deum irrat, atque adultero supplicium irrogat, quod vitari non potest. Fortasse etiam non illud, quod illic futurum est, supplicium dicit; verùm eam, quæ in hanc vita contingere solet, viri zelotypiam, quam Salomon his verbis in Prouerbijs indicauit, Quoniam neque donis sustinet inimicitias vir dissoluere, qui in vxore fuit affectus iniuria; cuius torum alius maculauit. Rem hanc, quæ mox sequuntur, claram faciunt.

*Ignis ardens est super omnes partes.* Hoc scelus est, hæc est immanis iniquitas. Qui enim torum violat alienum, ingens hic incendium excitat malorum. Nam viro iniuriam facit; vxorem contaminat; suspectos liberos, incertosque reddit; cum Prouidentia certat; habitudinem diuidit; viro struit insidias. Tantum examen malorum ex intemperantia adulterij existit.

*Cuius autem superuenerit, à radicibus perij.* C H R Y S. Neque enim, inquit, iniuriæ magnitudinem nesciebam. Eam enim domum, quam ingressa fuerit, extirpat radicibus. Temperantiam vidisti; humilitatem nunc inuere; ac quanta ea sit, attende.

*Si contempsisti etiam iudicium famulæ, seu famulæ meæ, cum iudicaretur apud me. Quid animi faciam, cum inquisitionem mei fecerit Dominus? Si autem visitationem, quid respondebo? nunquid non, quemadmodum ego factus sum in vtero, & illi sunt facti? fuimus autem in eodem ventre.* Contritam mentem, quæ hominum naturam considerarit, & quid seruus, quid homo liber valeat, perspexerit, animaduertisti. Eam enim, quæ iactatur à multis, fugiens inæqualitatem de æqualitate, quæ à communi sumitur oratione, philosophia digna inducit orationem. Atque hoc in eo fuit admirabile; quod cum hæc ageret, non ideo indignum animo suo quidpiam se facere existimabat; verum necessario se muneri suo satisfacere arbitratur. Quocirca rationem attulit, qua cunctis hominibus persuaderet, cur nihilo de se quam de suis seruis magnificentius sentiant, quamuis millies sint domini; hæc enim nomina, Seruus, & Dominus, nuda sunt nomina, re carentia; seruitus enim in peccato, libertas in iustitia

iustitia sita est. Vide etiam quemadmodum suam vbi que laudationem concidat, atque egregia facinora remoueat. Haud quidpiam inquit, amplum feci; id enim natura ipsa exigit; communionem enim iudicium sumus vniuersi. Ipse enim ortus, ipse in vitam introitus, cuncta sunt denique communia. Ego illis haudquaquam sum natura præstantior. In eodem vtero procreati sumus, id est, simili modo, vt interpretatus est Symmachus. Ita nec liber nec seruus vlla est à me iniuria læsus.

O L Y M P. Immo verò seruis meis libera orationis atque suæ causæ tuenda potestatem faciebam; vt, si quid fortè à me per iniuriam in eos committi suspicarentur, audacter dicerent. Et non contempsisti, seu, vt Aquilæ est explanatio, abiecti, siue despezi iudicium eorum, id est, ius. Ideo autem, vt id facerem, animum inducebam; quoniam à mea ipse natura argumentabar homines, siue ij serui siue liberi sint, omnes esse vna quadam ratione generatos, vnumque in cælo Dominum obrinere; qui, cum omne discrimen respuat personarum, id ab vnoquoque flagitat, vt iuris æquitatem alteri tribuat. *Cum igitur inquisitionem fecerit, vel, vt Symmachus, si requirat, quid ei respondebo.* Inquisitionem enim, ipsam disquisitionem, visitationem autem diuinam castigationes ipsas dicit. Hac æqualitate commotus, Dei æquitatem condicionem, admirabilemque iustitiam vidisti. Nunc quo sensu commiserationis, quoue studio pauperes prosequatur, cognosce.

*Impotentes autem, quamcumque habuerunt necessitatem, non frustrati sunt.* C H R Y S. Vides quemadmodum nullius despiciens erat? vt erat modestus? vt communis omnium medicus? vt portus communis? vt calamitosorum atque egentium omnium commune perfrugium? *Quamcumque necessitatem, inquit, habebant, non illam quidem certè, hanc verò minimè. Sed quamcumque tandem, nulla excepta, quamuis ea periculis esset referta, quamuis sumptus exigeret, quamuis periculosa. Ac vide quemadmodum iis opitulabatur, à quibus parem beneficij gratiam minimè expectabat, viduis, inquam, pupillis, omnique ope destitutis hominibus.*

*Vidua autem oculum non tabefeci.* De Deo cum caneret Modulator, dixit, Patris orphanorum, & iudicis viduarum: ac rursus, Orphano tu fuisti adiutor. Ergo, cum imaginem quasi integram atque incorruptam Iobus seruaret, imitabatur exemplar. Illud autem, *Non tabefeci*, aut hoc valet; Non sum passus egestate, aut lacrymis, aut assiduo oculorum coniectu, intentioneque contabescere; quod ipsum accidisset, si nec rerum, quas optabant, compotes fuissent, nec non despecta fuissent.

*Si autem & buccellam meam comedi solus, & non orphanum eius participem feci; quia à inuentute enutriui, sicut pater: & ex ventre matris dux fui.* Vide, quanta hæc sit misericordia, qui vel per exiguum panis particulam partitur egentibus. Illud verò, *Ex ventre dux fui*, huic par est, Infantes admodum, orbatos parentibus suscipiebam ipse; & quoad corroborata essent ætate, alebam atque educabam, artiumque disciplinis erudiebam. Denique eos tandiu manu duxi, dum mea opera haud magno opere egerent. E V A G R I I. Hinc intelliges, ab eo adolescentes, priusquam ad eos vitium arreperet, ad virtutis disciplinam fuisse institutos. Sic enim verum erit, quempiam ex vtero recta via deduci. Hic autem iterandum est, quod antea diximus; iniuriam facere, ac beneficio non afficere, apud Iobum par esse. Atqui non solum à peccato abstinendum est, verùm etiam virtus est arctius complectenda. Nec enim hoc tantum dixit, Non contumelia affeci pupillos; id quod à malo est abstinere; verùm patris more illos curauit; id quod ad virtutis munus, & functionem iam pertinet.

*Si autem despezi nudum pereuntem, & non vestiu; impotentes autem si non benedixerunt me.* Non modò alui, inquit, egentes, sed etiam, cum nudi essent, indui; cum à frigore illorum vitæ periculum crearetur; ij vero, in quibus nil opis erat, de me prædicabant egregie, quòd sibi sedulo consulebam.

*De consuetudine autem agnoris meorum calefacti sunt humeri eorum.* Ab humeris corpus significauit vniuersum; tota enim vestis ex iis est apta. Videntur autem humeri ad frigo



frigoris accipiendas iniurias esse procliuiores; ideo ipforum fecit mentionem. Cum verò in proferendo beneficio acre studium, laboremque declararet, illudque nec perfunctoriè nec desidiosè à se collocatum esse, è suorum gregum lanis nudis vestes se fecisse confirmat.

*Si leuani orphano manum.* Symmachus autem, Contra orphanos.

*Fidens quia mihi adest adiutorium multum: abscedat humerus meus à clauicula; brachium autem meum à cubito meo confringatur.* Clauiculam, vinculum, quo cum collo humerus iungitur, appellauit. Theodotio autem, & Symmachus pro, *clauicula*, ille quidem, Cervice; hic autem, \* Scapularum summitate, interpretatus est. Si igitur irato animo, inquit, manum pupillo inieci; idque mea fretus potentia brachium, quod huiusmodi est ausum scelus, à cervicum vinculo iunctioneque auellatur.

\* ἀνταρμήν.

*Timor Domini continuit me, à comprehensione autem eius non sustinebo.* Hæc, inquit, idè feci, quia diuino metu coercer bar, dum illud cum animo meo cogitarem; si me Deus per iniuriam quidpiam agentem, aut non benè merentem deprehendisset, intolerabile illius mihi ferendum esse supplicium. Symmachus pro, *Comprehensione*, \* Pondus est interpretatus. C H R Y S. Atqui eiusmodi extitit iusti huius benignitas. Iam verò quis pecuniarum desipientiam verbis assequatur? Et in hoc enim eius excelluit virtus. Nec enim ab alieno tantum, quod his etiam temporibus plerique faciunt, cupiditatem abstraxit; sed etiam à rebus suis illam vehementer abduxit. Quam obrem aiebat;

\* ἀνεπαρτήτος.

*Si possis aurum robur meum.* Symmachus autem, \* Merus vacuitatem.

\* ἀφραδία μέρ.

*Aduersarius autem sperauit in multitudine diuitiarum suarum.*

*Quod si in lapide pretioso confisus sum: quod si etiam lætatus sum, cum multa mihi essent diuitia.* C H R Y S. Atque ob eam rem illarum amissionem valdè moderatè tulit: cum verò illi adessent, earum copiam in egentes confererebat. Nec enim virtutis partem vllam prætermisit. Is verò, qui vsque adè locuples erat, animo multò rectius affectus erat, quàm ipsi illi, qui nihil habebant in bonis: neque enim is, cui nullius rei possessio erat, sic in pecunia animum integrum seruabat, vt Iobus, qui tot rerum generibus abundabat. Etenim vbique animi propositum coronatum est. S E V E R. Sic Abraham omni fortunarum genere locuples erat: sed tamen animo paupertatem colebat, singulisque diebus materiem diuitiarum contemnens, diuitiis nihilominus, vt prodesset egentibus, auger batur. Et hic ipse Iobus ipsam externorum bonorum atque opum segetem aspernabatur: id quod ex iis, quos faciebat, sumptibus liquet, vt spiritu pauper esset. Illi verò hoc vnum studium & hanc contentionem fuisse in parandis diuitiis, vt eas ad beneficentiam conferret, ex iis, quæ iam sunt exposita, perspicuum est. Illud etiam audies deinceps loquentem.

*Quod si in innumerabilibus possi manum meam.* Idest, neque mearum opum vis exitit infinita. Fortasse igitur oues, camelis, omniaque ipsius certo fuerunt numero, vt, quæcunque superassent, in egentium vsum, ac sumptum conuerterentur. Quamuis enim diuino munere diues erat, immoderatam cupiditatem tamen amputabat. Ita bonorum illorum possessione, nec tanquam præcipuis bonis lætabatur. Si enim viris sanctis caduca hæc bona, quasi corollaria quædam & aditamenta tribuantur, vt diuitiæ, vt gloria: nihilominus isthæc illis haud præcipuam lætandi causam adferunt. Alio quodam præcipuo ipsi illi gaudio perfunduntur, cuius quidem diuinus spiritus est auctor. C H R Y S O S T. Non eum fuisse Iobum, qui præsentia hæc bona magnopere adamaret, vel ex eò, quod is loquitur, potes intelligere. Si & lætatus sum, inquit, cum multæ mihi essent diuitiæ. Quid, ò bone vir, ais? quando circumstuebas diuitiis, minimè lætare? Minimè verò, inquit. Quid ita? Quoniam, quàm incertæ, fluxæque essent, minimè ignorabam; haud stabilem ac fixam illarum esse possessionem videlicet tenebam.

*An non video solem quidam, qui splendescat, deficientem? lunam verò deficientem? non enim est in ipsis.* C H R Y S. Quod dicit, est huiusmodi, Si ea, quæ in cælo sunt astræ, vsque

vsque lucentia, vicissitudini tamen sunt obnoxia; sol enim deficit, & luna minuitur:annon extremæ hoc fuerit dementiæ, quæ terrena sunt, ea stabilia ac firma putare? Hæc nimirum caussa erat, cur illum humana hæc bona nec oblectarent præsentia, nec absentia angerent. Neque enim erat natura illorum ignarus. Hæc quæ splendescit lux, interit, obscuratur, nec vsquam apparet. Vidène, quam is causam esse dicat eius, quæ in luminaribus cernitur, mutationis? An non ipsa rerum condicio ac vis satis est nobis ad philosophandum? An non ad Dei aucupandam notitiam satis? Cum solis conspexeris magnitudinem, opificem admirare; cum deficere illum videris, mortalem rerum humanarum condicionem perdisce. Si enim, quod splendore rebus omnibus, quæ sunt in terris, antecellit, id tamen deficit, minuitur, & interit; multò magis cætera omnia. Si etiam id, quod vsque adeo vtile ac necessarium est, quo sublato, vita est crepta mortalibus, commutationem tamen admittit; multò magis ea admittent, quæ tum superacanea sunt; tum nullam nobis necessitatem adferentia. Enimverò hæc Iobus commentabatur. O L Y M P. Ratio cinabar, inquit, egomet ad hunc modum, Si magna hæc, illustraque elementa diuino imperio atque decreto deficient: ecquid ipse ex adeptis diuitiis assequar vtilitatis? Diuitiæ enim nobis discedent omnino, seu quod ex nos viuos deserent; seu quod mortuos relinquent. Vt enim sol deficit; & diem nox excipit; ac luna diuino iussu consenescit; ac denique magna hæc luminaria interitus atque mutationes vitare non possunt, opificisque nutui obsequuntur; (neque enim suo, sed eius, qui ordinis est princeps, arbitrio reguntur) sic ego quoque de diuitiis tanquam de re, quæ nusquam consistit, cogitabam: illudque didici, nequaquam esse mentis aciem in incertas opes intendendam, verum illas in sumptus necessarios erogandas.


\* Exemplar habet, καὶ ἀνεπαρτήτος ἵππων ἀνεπαρτήτων. Verum, rationem ipse secutus antitheses putauit legendum, καὶ ἀνεπαρτήτων.

*Et si deceptum est clam cor meum.* Symmachus autem, Si dilatum est. Sententia verò est huiusmodi, Neque cor meum, inquit, latitudinem vllam multitudinemque diuitiarum, neque aliquam, quæ ex ea re existere solet, finxit voluptatem: neque eiusmodi cupiditati mens mea spatiosas regiones concessit. Cum autem, *Clam* dicit, significare visus est, eiusmodi morbum ne furtiuis quidem itineribus ad illius animum obrepisset. Plerisque enim inuenias, qui palam contemptum præferant diuitiarum: in mentis autem latebris atque recessibus cupiditatem pecuniæ alunt atque occultant. Eam igitur ob rem dixit, Neque clam: scilicet hæc amore peperit.

*Quod si etiā manu meam imponens ori, osculatus sum.* Symmachus autem, Si adoraui manus mea circa os meum.

*Et hæc mihi igitur iniquitas maxima reputata est; quia mentitus sum coram Domino altissimo.* O L Y M P. Sæpè numero nonnulli cum sua facta tesserunt, manus osculantur suas. Dicit igitur, Si ego aliquando in mea potius dominatione, atque in meis egregiis facinoribus, quàm in Deo spem atque fiduciam collocaui, planè mentitus sum veritatem; cum non à nobis ipsis, sed à diuina gratia omne sit auxilium. Ergo, si deceptus tale quid passus sum, in scelere id mihi ponatur grauissimo. Alij verò ad hunc modum id, quod dictum est, interpretari sunt, Si solem ac lunam, eorum deceptus fulgoribus, adoraui; ac non potius illud mecum ipse reputaui, illa ipsa sidera deficere atque desinere, Domini que imperiis parere: si inquam, isthæc admiratus, manum sum osculatus, crimini id mihi scilicet detur maximo. C H R Y S. Ita hæc nonnulli in idolorum cultum dicta esse confirmant: quod iccirco mihi minimè sit verisimile, quoniam nunquam id in summis virtutis officiis posuisset. Verum hæc mihi ad amantium similitudinem sumpta videntur, qui, dum ipsos, quos diligunt, absunt, illorum diuitias ac regestas cum admiratione vsurpantes, manus suas suauiantur. N Y L T. Cur igitur spe à Deo se iuncti, caræ brachij sustentamur? diuinamque prouidentiam nostris manibus dimicimur? Et id ipsum, quod Iobus maximè criminofum sibi fore præcatus est, ori manum suam impositam osculari, facere ipsi haud quaquam veremur? Multorum enim hic mos est, manibus suis suauium dare, vt, quicquid in iis opis, facultatiue est, à seipsis habere testentur. Quos cum obscuris quibusdam Lex in-

B b dicaret.



dicaret, dixit, Qui ambulat in manibus immundus, & qui ambulat super quatuor semper, & qui multiplex est pedibus. Porro ingreditur manibus, qui manibus suis connixus, in illis omnem fiduciam habet: super quatuor autem incedit, qui erga ea, quæ sensum pellunt, ac cientes affecti sunt, atque ad illud ipsum rerum genus, animi studium, conatumque continenter deducit: multiplex autem est pedibus, qui res ad corpus pertinentes mordicus arripit, arctissimeque completitur.

Quod si & gauisus sum in ruina inimicorum meorum; & dixit, cor meum, Euge, euge, audiat utique auris mea maledictionem meam; sermone populis mei celebret, dicebat. Hoc ipsum alibi docemur, Si, inquit, ceciderit inimicus tuus, ne legeris super eos in superplantatione eius ne extollaris. Symmachus quidem, pro, Euge, Si insurrexi, quando eum afflictio comprehendit, est interpretatus. Illud verò, Euge, dictio est, ad voluptatem atque irrisionem pertinens. Huius simile illud item est, Euge, euge, viderunt oculi nostri. Sed nimirum inquit, si ego ex inimicorum meorum perniciose voluptate affectus sum, alios, qui me execrentur, sanè audiam, ærumaifque vexatus perinde celebret, ut ea, quæ gessi, meruerunt, ac mihi pro dignitate factorum reponatur.

Quod si etiam sepe dixerunt ancille meæ, Quis det carnibus eius saturari? cum satius bonum essem. Reliqui sic exulerunt, Si non sepe dixerunt viri tabernaculi mei, Quis det de carnibus eius? & saturabimur? Suprà etiam ancillarum meminit his verbis, Non contempsi iudicium famuli mei aurifamulæ; eiusque rei rationem exposuit, Quia hi perinde, ut ego, facti sunt; in quo suam incredibilem, eximiamque humilitatem testatam reliquit. CHRYS. Numquid ita erat humilis, ut non etiam cæterorum ad se desiderium, amoremque alliceret? hoc loco superlatam orationem attende. Quænam admodum enim ærumosa tempora omni mentis robore vilit; sic felicia quouis virtutis genere mirificè exornauit. Cum enim, non utcumque neque temerè, sed eximie ad summam virtutem peruenisset, non solum erga alios, verum etiam erga suos seruos clementia utebatur. Hæc enim omnis est facilitas, cum quis eos, quibus imperat, humanitate regit, nulla violentia moderatur. Ergo illud eius famuli in ore habebant, Quis largiatur nobis, ut eius carnibus saturemur? Quo loco insanam amorem, quo serui illum prosequerentur, ostendit; ardenti enim illius amore flagrabant iis significationibus, quæ ipsi ab illo dabantur, excitati. Sic, inquit, è me ipso apti erant, atque pendebant, sic me auidè complectebantur, ita mihi dediti erant & affixi, ita me in oculis ferebant; ut vel carnibus meis expleri cuperent, ipsos meos artus absorbere, ac deuorare, peroptarent; tanto erga me studio, atque amore erant incensus; adeo meis ancillis iucundus eram, & commodus; ut, si fieri poruisset, ut meis carnibus saturarentur, prorsus libenti id animo essent factura. OLYMP. Alij verò hanc interpretationem attulerunt, Neque ancillis, inquit, insensus fui; ita, ut ob crudelitatem meam efferatæ, meas carnes cuperent degustare. Contrà verò, haud eas vulgari benignitate tractaui. Mihi verò erit satis ex septuaginta expositione, qui dixerunt, Si dixerunt ancille meæ, secundam sequi interpretationem. Hæc enim aliorum fuit interpretatio, Si non dixerunt ancille meæ contra me furentes, Disperdiamur eum, & crudas carnes eius absumamus: Sed nimirum nil eiusmodi dixerunt, ut qui valde bonus & commodus essem. Immo verò, nisi ancillæ nimio studio, illiusque flagranti cupiditate incensæ, dixerunt, Deuoremus eum, illas aduersum se execrationes, firmas, certasque esse precatur.

Foris autem non morabatur peregrinus: ianua autem mea patuit omni venienti. CHRYSOST. Hominis hospitalis, & ex Abrahamæa nobilitate orti hoc est insigne. Domum, inquit, habui communem, meam communem; mea haud mea, sed Domini ratus; Dominus enim dedit; ergo cum conferuis partienda ciuitatis. Vidisti humilitatem, vidisti humanitatem, vidisti clementiam, vidisti liberalitatem. Cum enim bonum ipsum communionem amet, dextram omnibus porrigebat, domum cunctis patefaciebat. Non enim, quod plerique faciunt, ut eos, quos suscipiant hospitio, curiosius scrutentur, hoc idem Iob familiariter

erat:

erat; quin potius cunctis domus illius patebat, nec quisquam, ut ipse testatur, forte commemorabatur.

Si etiam \* inuoluntariè peccans, abscondi peccata mea; non enim veritas sum turba multitudinem, quò minus confiterer coram ipsis. OLYMP. Peccati voluntarij nullius sibi conscius erat; usque ad virtutem vitam exercebat. Verum, quia non id fieri humanæ naturæ condicio, ut, qui homo est, non aliqua noxa; quæ minimè voluntaria sit, teneatur; siccirco perispectam sibi prolapsionem penitentia, atque confessione carabat; nec eius rei, quæ non esset ad rectæ rationis legem expressa, confessionem reformidabat. CHRYS. Dic tu primus peccata tua, ut iustificeris Rectè factorum, inquit, nullum mihi testem quærebam; erratorum autem cunctos esse conscios optabam. Quamobrem ciuitatis turbam minimè sum veritus, quò minus apud illam de meis erratis confiterer.

Si autem & dimisi impotentem exire ianua mea sine rano, quis det auditorem mihi? Quod ait, est huiusmodi, Si egentem hominem despexi, nemo me audiat. CHRYSOST. Ac vide, quemadmodum non dixerit, Misericordiam quamptiam tribui; immò verò & recusanti sum impertitus. Planè cogebat eos, qui digredi ab illo volebant; amplum enim id esse patrimonium intelligebat. Quocirca, quam molesti pauperes iis solent esse, qui tendere manum possunt; tam iis molestus erat, quos à se beneficio, ac munere affectos esse oportere statuebat: ita eos inani sine domo egredi non sinebat. Nec enim eos duntaxat domum receptos curabat, verum etiam paupertatis viaticum largè atque hilariter iisdem suppeditabat. IULIAN. Ea verba nonnulli, Quis mihi auditorem det, interiecta esse, ac seorsim efferri, suamque ac propriam habere sententiam aiunt. Cum enim multitudinis rerum, quæ dictæ erant, iam pertæsum esset amicos, atque ea re minus libenter audiret; illorum item tergiuerfaretur conscientia: quòd ipsos illos, obiurgando momordisset: ideo ad illos dicit, Quis mihi auditorem det? Sed non cuiusmodi vos estis ipsi, qui, cum iudicetis iniuste, orationi meæ estis infestis. OLYMP. Fortasse autem prudentes auditores requirebat, ad ea, quæ ipse dicebat, percipienda, idoneos. Ex quo quam perfectam is viuendi rationem sequeretur, haud obscure apparet. Neque enim hæc dixit, de suis egregiis facinoribus insolenter glorians; verum ut nobis norma, ad quam vita nostra dirigeretur, extaret. Hæc enim caussa fuit, eum Spiritu sanctus hæc ad nos erudiendos mandari scriptis voluerit.

Manum autem Domini si non timui. CHRYS. Id est, ea, quæ ad Deum pertinent, religiosè colui; nec verò utcumque administraui, sed sic prorsus, ut vnum Deum intuerer; ac, siquid mihi fortasse esset admissum, formidarem.

Syngrapham autem, quam habebam contra aliquem, humeris circumponens coronam, legebam; & nisi dississam illam reddidi, nulla re accepta à debitore. CHRYS. Omne, inquit, iniustam syngrapham concepsi, neque sum ex ea re inanem gloriam aucupatus. Sed planè discidi. Illud autem, Humeris circumponens, significat esse quosdam ex alienis ærumnis sibi gloriam quærentes; neque verò utcumque reddidi: verum, cum antea scripti auctoritatem infirmassem: quod, conscindenda syngrapha, assequeretur: tum demum reddidi. OLYMP. Non, ut aliquis nominibus glorians, syngraphas utraque manu euoluerebam, publiceque legebam: verum illas concissas, condonatis nominibus, debitoribus reddebam.

Si supra me aliquando terra genuit: & sulci eius plorauerunt simul. Imperfecta oratio ac pendens. Id porro, quod sententiam absoluit, in iis, quæ deinceps ponuntur, reperies. Dicit ergo, Hæc mihi contingat, & hæc patiar mala, si caussa mea, terra à suo domino est aliquando gemitu debilitata; aut si sulci eius ab aratoribus atque ab iis, qui eam sciderunt, flere aliquando coacti sunt; neque enim ipse in cuiusquam possessione prædatus sum, ut illum cogere in gemiscere; neque sulcos alterius ad meos adiunxi, ut ij, à quibus essent erepti, ploratum ederent vilius. Sed neque meos agros, ac sulcos, neque terram meam quisquam coluit, qui non esset pretio atque mercede conductus; ne fortè eam gemitu, lacrymisque vexarem; nisi ipsius operam certa mercede spoliasset.

Bb 2

\* Aug. habet, Sponte.

*Si etiam robur eius comedi solus sine pretio.* Vis terræ ac robur est ipsa fructuum procreatio, ac tempestiua vberitas. Ergo docet, nunquam se terræ fructus percipisse, non antea persoluta pecunia; neque enim alieni soli fructus comesse audebat, non prius soluto pretio. Fortasse etiam duo quædam hoc loco significat, & quod fructus pretio coemebat, & quod non iis solus vesceretur; verum cum aliis, ut reliqua etiam cibaria, communicabat.

*Quod si et animam domini terræ captans contristavi.* Symmachus autem, Spe priuauit: re aliqua, quæ domini terræ esset, per vim ac potestatem abrepta.

*Pro tritico igitur egrediatur mihi vrtica, pro hordeo autem rubus.* Theodotio pro, *Vrtica*, Spina, interpretatus est; pro, Rubo, autem Symmachus, Imperfecta conuertit. Potro vrtica & rubus est sentium genere atque natura sunt. Hoc igitur dicit, Nisi in verbis meis veritas insit, si dominum suo solo priuauit, eaque re illius animum anxii; si sulcos abscessos ad meum agellum addidi, atque ex ea re gemitum, ac lacrymas domino commouit; si fructus gratis prædatus sum; atque, eorum pretio enumerato, solus consumpsi; non amplius annonæ videam vberitatem, ipsaque mihi terra spinas, & pro dulcibus, & ad vescendum idoneis fructibus, inuiles ferat. Symmachus quidem hanc fecit interpretationem, Pro frumento germinet acanus. Hanc ego stirpem in libris Regum aganoi sic prorsus appellatam. Si igitur quidpiam eorum, quæ ipse inlicitus sum me fecisse, quæque enumeravi, admisi; si terram alienam eripui; si pro fructibus non pretium pendi; siquid denique per iniuriam egi; non mihi terra, quos solita est fructus ac cibos, progignat; sed agrestes, & qui ad victum adhiberi non possunt, edat.

*Et cessauit Iob verbis.* OLYMP. Nō simpliciter cessauit, sed, *verbis*; cor enim eius in diuinarum rerū cogitatione atque noticia non cessauit. Norat enim, norat eun-ctis rebus, quæ sub cælo sunt, suū statum esse tempus, esseque tempus tacendi, & tempus esse loquendi. Quando igitur tempus fuit respondendi, sermonem habuit ad amicos; rursus, cum tempus fuit silentij, cum os iis obsepit, obmutuit. Quod verò dictum est, Iobum cessasse, in eius laude puto esse ponendum.

CAPVT  
XXXII.

*Cessauerunt autem tres amici eius adhibere contradicere Iob: erat enim Iob iustus coram eis.* CHRYS. Symmachus autem sic, Quia iustus videbatur præ ipsis. Siluit quidem Iobus, postquam illi vices dederat verba faciendi. Postquam autem & Deum testem appellauit, ac dira sibi ipse precatus est, silentij vinclis sunt amicorum ora constricta. OLYMP. Haud ipsi quidem sponte siluerunt; verum, vbi est illis omnis defensionis facultas erepta, nec quidquam iis reliqui factum erat ad repugandum iis, quæ à Iobo erant allata; Iobi enim præclara facta, non minus, quam ille, tenebant; illumque ipsum, verè & ex animo odisse vitium, atque incorrupto caritatis studio operam virtuti nauasse minime ignorabant. Iobus enim humana se iura atque officia coluisse, Deoque cultum summa religione semper adhibuisse, idque admirabili quadam mentis demissione, tum ex aliis multis docuit, tum ipsa peccatorum confessione testatus est.

### *Protheoria Capitis vigesimiprimi.*

ELIUS Buzites Barachielis filius ex provincia Aufside, qui cum Ram erat cognatione coniunctus, excanduerat, quod Iobi amici, qui adhibendæ consolationis causa commearant, ab aduētus proposito, & siue discessissent, verborumque acerbitate Iusti vulnera vehementius obtriuissent. Aiebant enim illum ob sua flagitia in cruciatu esse, nec aliam esse causam, cur Deus supplicio afficiat, nisi, ut fontibus reponat. Horū Iobus sermones cum infirmaret, dubitauit, quamobrem videmus quamultos iniustos homines vsque ad extremum vitæ spatium haudquaquam improbitatis suæ pœnas dare; contra iustos cruciatibus vgeri; Adhæc Iobus fallentia amicorum iudicia declinās, apud Deum optat causam dicere, ut tanta animaduersione nihil se dignum gessisse demonstrat. Quæ quidem dixit, non quod Deū vilius facti iniusti condemnaret; sed ut quam is diuini

ni iudicij æquitati fideret, declararet; simul etiam ut amicos coargueret, qui non ex iure aliquo in eum iudicium darent. Mens igitur Iobi, atque omne consilium suos peruellit amicos. Dum autem docere conatur, si apud Deum experiat, iustum se planè visum iri; quod is & à verò iudicet, & personarum discrimina ignoret. Item dum ostendit, ab amicis temerè accusationem factitari, neque ab iis recti ac iusti iudicia teneri; Elius, qui hæc omnia excipiebat, & qua mente illa Iobus loqueretur, haud exploratum habebat, nimirum tale quidpiam à Iobo dici purauit; Iniuste me Deus affligit. Ita zelo zelatus est Elius Domino, estque Iobo offensus, tamen nullius peccati eum accusare posset. Itemque aduersus tres Iobi amicos incensus est, idque non iniuria; quandoquidem impietatis hominem iustitia præstantem condemnasset, perinde quasi peccati pœnas sustineret. Existit autem hoc loco quæstio huiusmodi, Si propterea irascitur amicis Elius, quia Iobum iudicium iniustum, iustus igitur Iobus. Quonam ergo pacto hunc etiam obiurgat? Verumtamen ad hoc Elius respondebit, scilicet pietate ac iustitia Iobus præditus est, nec quisquam repugnarit; verum suam ipse causam læsit; cum ad Deum iudicem prouocauit. Ergo mens quidem Elij minime reprehendenda; nec enim re vlla graui Iobum percussit; quod tamen ipsum amici fecerunt cum illum impietatis nomine condemnarunt. Iusti duntaxat sententiam animi nō est Elius assequutus; nec, qua erga Deum caritate, quæue fiducia apud Deum causam dicere cuperet, intellexit. Ita perspicimus, nec à Deo Elium laudatum, esse, quod verborum Iobi sententiam, & scopum ignorarit; nec condemnatum, quandoquidem is Iobum nullo impietatis crimine damnarit; nec propter sua scelera Iobum vexari pronunciarit; id quod affirmare amici minime sunt veriti: quam quidem ob causam sunt illi à Deo obiurgati. Buzites autè dictus est Elius, seu quod Buzi, vnde orta est Ram, cognatione tenebatur; seu, quod id nomen ab quâpiam provincie Aufsidis vrbe inuenerit. Sanè illud nobis competere est, Nachor Abrahami fratrem, secundum è Melcha filium suscepisse, qui sit Buz appellatus. Fortasse igitur inde genus Elius ducit, atque ob id ipsum Buzites est nominatus.

*Iratus est autem aduersum Iob valde, quia pronunciauit seipsum iustum esse coram Domino.* OLYMP. & CHRYSOST. Probabilem sibi Elius causam esse ducebat; cur animo incitaretur. Neque ea re is erat animo irato, ac percito, quod de sua iustitia Iobus prædicasset; neque enim de eius iustitia Elius dubitabat; sed ideo, quod vel coram Deo iustitiam suam Iobus probare vellet, coramque illo iustum se esse diceret. Etenim Deum ipsum testem appellarat. Aut illa etiam causa suberat, cur Elius irasceret, quod Iobus, cum Deo de iure disceptans, suam causam defenditarit: seipsum enim iure tueri, haud magnum est. Hoc verò in Dei iudicio facere, indignum fuerit. Ne iustifices, inquit, teipsum coram Domino. Nec verò alia amicis, atque Elio causa fuit, Iob succensendis sic enim illi, Nunquid enim erit mortalis iustus coram Domino? Quid igitur Elius, amplius contra Iobum arripuit: id ipsum enim amici obiecerant; quod is Deo se iustiorē esse arbitraretur. Quanquam nunquam ea Iobi sententia fuit, quod Deo iustior foret; verum quod res suæ gesta essent huiusmodi: & quod à Deo iudicari de rebus suis, ac de seipso vellet: in quo nullum Deo iniustitiæ crimen obiecerat; etiam si Elius contra sentiret, qui religiosam ac piam Iobi cogitationem ignoraret. Amicos verò iure insimulabat: ut qui Dei causam prodidissent, atque abiessissent: namque audi;

*Et aduersus tres enim amicos iratus est valde: propterea quod non potuerunt respondere contraria Iob; & posuerunt eum esse impium.* Duplici nomine aduersus amicos ira accensus est Elius: primum, quod impietatis iustum damnarunt: deinde, quod, cum Dei causam suscepissent, victi essent, ac siluissent, in quo & Deum, cui patrocinabantur, propemodum prodidere; & Iobo ipso silentio victoriæ insigniā concessere. Dixerit etiam quispiam, illud potius in amicos Elium incitasse, quod illi Iobi sermonibus nequirit verisimilia respondere, nec hominis impietatem contra Deum arroganter sese effertentis coarguere.

*Elium autem suscipiuit dare responsum Iob, quia seniores sunt ipso diebus: & quia vidit Elius, quod non est responso in ore trium virorum, & excanduit iracundia sua.* O L Y M P. Laudabilis hic mos Elij extitit, qui & loco siluit; primas enim sermonis partes senioribus mandari oportebat; & loco respondit: posteaquam ij, quorum erat ætas antiquior, dubitatione æstuabant. Ergo illud, *Suscipiuit*, idem est quod, *Expectauit*. Illud verò, *Excanduit*, valet, Zelo commotus est. Rectè autem dixit, *Suscipiuit*. C H R Y S. Vt demoustrat illum quidem iratum fuisse, nihil tamen dicere ausum esse, donec Iobus suos omnes sermones exprompsisset. Illiusque prudentiam attende, quàm is aptum sit statim initium orationis, qua ratione ordinem conseruarit.

*Suscipiens autem Elius filius Barachiel Buzites dixit, Iunior quidem sum tempore; vos autem estis seniores: propterea filius timens ennuciare vobis scientiam meam.* O L Y M P. Rectè addidit, *Iunior sum tempore*. Accidit enim, vt, quamuis ætate sit iunior aliquis, canitiem tamen habeat illius prudentia: contra, vt, licet alius sit ætate prouectior, sit tamen intelligentia iunior. Illud verò considera, quemadmodum is non solum propter verecundiam, verum etiam propter metum ac pietatem seniorum disputationem expectauerit. Ac nisi illi priores desissent, nequaquam is, quæ rectè sese habere existimabat, dixisset. C H R Y S. Ergo illius prudentiam cõiectura vtriusque assequimur, ex silentio, inquam, atque ex disceptatione. Ac ne quispiam forasle diceret, Cur ergo à primo non vnâ nobiscum pro Deo decertasti? ad ætatem seipse recipit, dicitque, Ego quidem expectabam, dum à vobis egregium aliquid atque admirabile diceretur; atque interim mihi silendum putavi. Vide quàm is à studio ambitionis abhorrebat: quemadmodum illis primas tribuebat. O R I G E N. Quamobrem hominum vita afflicteretur, quamobrem non nulli iniusti vigeant: eius rei se scientiam; vel, vt alij, notitiam se tenere confirmat: & mei pæne moti sunt pedes, si in hanc tantum vitam intuear: quod si futuram cogitaro, stantes sunt pedes mei.

*Dixit autem, Non tempus est, quod loquitur, in multis enim est, non norunt sapientiam verum spiritus est in mortalibus.* Symmachus autem, Verè autem spiritus Dei est in hominibus.

*Inspiratio autem Omnipotentis est, quæ docet me. Non longevi sunt sapientes, neque senes norunt iudicium.* O L Y M P. Quondam, cum sederem, & quæ dicebantur, acciperem, sermonesque animaduertentem ætate esse indignos, mecum ipse ad hunc modum sermoeinabar: Haud necesse est, eos, qui graui iam sunt & affecta ætate, sapientia valere: Sancti spiritus gratia ad eam rem omnino est opus. Illa enim nec tempori præstolatur, & continuo hominis animum imbuit sapientia; neque verò tempore gratia erudit, sed tùm demùm, cum animum integrum offenderit. Non igitur necesse est sapientes tuos solius esse sermones, quia sunt seniores, cum & præclarum aliquid à iuuentute audire quis possit. Nam, si tempus gignit, efficitque sapientes, quantò magis Deus? sed nimirum tempus sine diuina ope per se ipsum haudquaquam impartiri potest sapientiam. Proinde nec partem vllam diuinorum iudiciorum solo tempore eruditus mente complecti quispiam possit, nisi diuina gratia accesserit.

*Ido dixi, Audite me, & annuntiabo vobis, quæ noni: auribus percipite verba mea; idem enim vobis audientibus, donec scrutati fueritis sermones & donec vobiscum intelligam.* Alij codices, post illud, *Dicam vobis audientibus*, hos item versus habent, *Ecce audiui sermones vestros, auribus percepi usque ad sapientiam vestram.* Alij verò interpretes sic extulerunt, *Ecce accepi sermones vestros, quanta vestra sit sapientia, audiui, & quantum sermones exquiratis, & quò ipsi perueneritis, intellexi.* Ex his igitur atque ex aliis codicibus hæc hauritur sententia, *Quemadmodum, inquit, ego silentio omnia quæcunque dixistis ipsi, audiui, atque expectaui, dum ad exitum orationem vestram adduceretis, & dum vestram omnem sapientiam exhauriretis, vos item mea verba vicissim percipite.* Attramen qui in nostris manibus sunt, libri, hanc aliam sententiam suggerunt, *Audite me, inquit, nihil enim arrogans, elatumue dicam; sed ea, quæ ipsi comprobare possitis,*

tis, & vobiscum intelligam, idest, haud verbis vtar nouatis; sed apud vos intelligenter loquar. Aut etiam quid dicit huiusmodi, Non prius loquendi finem faciam, quàm meos ipsi sermones approbaueritis. Si ergo & ipse intelligere possum vobiscum; idest, donec ipsi quoque intelligatis, etiam si animi vestri intelligentiam \*superato.

*Ecce non est, quò Iobum redarguat, & qui respondeat verbis eius ex vobis, vt me dicatis, inueniemes sapientiam Domino adiciens. Homini autem permissis loqui talia verba.* O L Y M P. Itcirco, inquit, ad dicendum adductus sum, quoniam nemo vestrum Iobi sermones confutare potuit; atque in ampliore vos genere dicendi exercitabamini, siquidem Dei vobis erat causa suscepta, quam tueremini; & quoniam Iobum refellere minime potuistis, illud vestro silètio quodammodo perfecistis, vt is, qui homo erat, talia arroganter iactaret, contraq; Deum eius generis verba vsurparet. C H R Y S O S T. Aut igitur hoc dicit, Neque tùm, cum refelleretis, quemadmodum opus erat, refellistis. Aut, Quia postea siluistis, sanè quidem nihil dici à vobis rectius fuisset; quandoquidem hanc constituimus sapientiam, Dei partes sequi, atque illius defensionem suscipere. Nihil igitur minus peccastis, cum confutaro Iobum nequiuistis, quàm cum eum eiusmodi sermonibus vti permisistis. Haud igitur obscura vestra est insipientia, neque illud dicere potestis, vos tãquam Dei patronos illius esse gratiam, sapientiamque adeptos. Victi enim estis à Iobo.

*Timuerunt, non responderunt: antiquauerunt ex se ipsos sermones: suscipiuit, non enim loquutus sum: quia steterunt, non responderunt, quia respondebo etiam ego partem.* Negant nonnulli duos hos versus esse Elij; sed scriptoris esse contendunt, dum silentij amicorum sermonem iniecit. Ego verò aio vtrumq; verum esse Elij, atque cum ea figura, que apostrophe dicitur, esse coniunctum. Ipse enim Elius tanquam eum aliis de Iobi amicis sermonem haberet, sic est de iis loquutus. Sic ergo ille; Equidem ob id ipsum loquor, quia ipsi sunt verbis Iobi perterrefacti; suosque sermones antiquatos, putridos, atque ipso silentio profus inuitiles esse testati sunt. Quocirca addit, Ego verò suscipiuit; & non sum loquutus; putabam enim iis contrariam orationem non defuturam. Sed, quando quidem constiterunt, nec longius progredi potuerunt, quòd eas sua Iobus oratione cõcidit, nimirum prodij ipse, ad ea, quæ dicta sunt, reprehendenda.

#### Protheoria Capitis Vigesimo secundi.

*Suscipiens autem Elius ait.* Postquam Elius causam exposuit, quæ se ad dicendum adducebat, magnum consequutum est silètium. Quare is suos sermones absoluit, Iobique verba reprehendit, quòd pro sua iustitia rationibus pugnaret, atque à Deo iudicium de se fieri vellent. Nec interim Elius, qua mente Iobus illa diceret, nec quòd crimina diluens amicorum illa diceret, animaduertit. Cùmque in ea esset Elius opinione, illud à Iobo iactari, iniuste se vexari à Deo, ac fortuito agitari humanas; de varia erga nos prouidentia multis differit; sed tamen nec Elius, cur Iobus afflicteretur, causam inuenit, ac nimirum à scopo contra Iobum disputans aberrauit. Hoc autem pacto orditur;

*Rursus loquar: plenus sum enim verborum.* O L Y M P. Verborum, inquit, sum plenus, videlicet eorum, quæ & pro Deo & contra Iobum mihi facienda sunt. Nam Iobus & pari cum Deo vult contentione decernere, & in illius iudicio sisti, atque experiri, necnon victoriz insignia assequi se posse confidit. O R I G E N. Rectè autem dictum est, *Plenus sum*, qui enim non plenus verbis ad loquendum accedit, nimirum inanis inania fundet. Illud enim scriptum est, *Stultus loquetur, & cor eius stulta cogitabit.*

*Discreuias enim mihi spiritus ventris mihi.* Symmachus autem, *Comburit.* Non ferro, inquit, silentium, neque obmutescere possum amplius, cum animo efferuescam, ac pæne suffocer, vt mihi sit omnino loquendum. Spiritum autem ventris aut periphrafi vsus animum dixit, aut eam partem animi, in qua ardor irarum existit,

\* In exempl. est, ἢ ἡ ὑπερβύλα: videndum num rectum sit, ἢ ἡ ὑπερβύλα.

existit, significavit, iure optimo Dei causa concitata. Illud verò, *Mihi*, ad maiorem quendam tropum orationis pertinere videtur. Discruciat enim me spiritus ventris; quemadmodum enim flatus conceptus visceribus, nisi reperiat exitum, hominem cruciat, ac doloribus torquet; sic & me, inquit, spiritus discruciat ventris; hoc est, verba, quæ in animo inclusa fero, nisi foras erumpant. **ORIGEN.** Et sicut mulier prægnans, formato puero, qui in ea natus est, cruciatibus tandem tentatur, dum conceptum, partumque ediderit: sic animo discruciat cupido euenire solet. Concipit enim, comprehenditque sermonem, quem dum dissimulat, format; atque ordine fingit: ubi verò illum format ac finxerit, & perfectum expromiserit, tum demum parit atque in labore, ac cruciatu haftenus est, quoad pepererit.

*Venter autem meus, sicut vter mulieris feruens ligatus.* Symmachus autem, Sicut venter non nouum, quod respirare nequit.

*Aut sicut follis feruoris ruptus.* Pænè, inquit, disrumpor, cogitationum, quæ me ad redarguendum urgent, turba compressus: non secus quàm vter aliquis recenti, feruidoque vino refertus, dum feruore atque æstu est disrumpendus. Huc illud Euangelij pertinet, Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres. *Follis*, autem dixit, ac, *Ruptus*, addidit, quia loqui prohibebatur, nec concepti spiritus effundendi dabatur potestas: follis enim fabri ærarij ruptus, spiritum efflat. **CHRYS.** Hinc apparet, Elium per diu suam orationem parturisse, diuque expectasse, patienterque tulisse: iamque pænè disrumpatur. Quare magna opus est patientia. Possit enim verba cohibere, in primis sapientiæ est opus.

*Loquar, vt requiescam, aperiens labia.* **ORIGEN.** Is, qui verbis abundat, ubi prudentem nactus est auditorem, illamque suam copiam exhauferit, atque effuderit, conquietur.

*Homines enim non veritus fuero: verumtamè neque mortalem venenitui fuero: non enim scio admirari personam. Si autem non, vermes me comedunt.* Omnia, inquit, verecundia, humanaque gratia abiecta, loquar. Quod si quidpiam loquar iniulti, ac non potius æquitatem, ac ius cuius humanæ verecundiæ antetulerò, me similiter, vt Iobum, vermes depascant. **CHRYS.** Aut, quemadmodum eos, qui personarum generibus, atque discrimibus fauent, præfertur, cum in medio est Deus, & præ illo homines honore afficiuntur. Ego sanè, inquit, haud scio personam mirari. Non eam scientiam didici, quæ me aut vereri, aut cuiquam gratificari doceret: immo verò & homines aspernor, & pudorem, merumne reprehensionis, quem ij possunt adferre, planè contemno. Quæ cum dicit, illos designat, quod Iobum veriti siluissent.

CAPVT  
XXIII.

*Veruntamen audi, Iob, verba mea, & loquelam meam auribus percipe.* Ecce enim aperis os meum, & loquuta est lingua mea. Mundum cor meum verbis, prudentia autem labiorum meorum mundum cogitabit. Audi ergo, Iob: iam enim instituo, qui mihi tecum futurus est, sermone, ad quem animo ingredior integro, omnisque perturbationis experte; seu, vt alij interpretati sunt, recto, ac simplici: nec quidquã præiudicati, inconsideratiue afferam. Næque mea cognitio prudens est, nec errans, nec illo modo corrupta. Incorruptam autem cognitionem dicit ipsam controuersiam, & causam apud Deum, pro Deo aduersus hominem æquitare iuris disceptandam. **CHRYSOST.** Id est, non inuidia vlla vel odio incensus verba facio.

*Spiritus diuinus, qui fecit me: inspiratio Omnipotentis, quæ docet me.* In ipso orationis exordio Elius Deo gratias agit, eumque laudibus ornat, cum illum suum dicit auctorem, & effectorem, suæque effectiõnis, sapientiæ, cognitionisque parentem; eaque cognitione frerum, se ad dicendum venire. Haud enim id me later, non à me ipso, sed à Deo hunc prudentiæ sensum accepisse. Nam, qui largitus est mihi vt essem, idem necessariarum, & quæ opus sunt, rerum scientiam est elargitus. **SERAP.** Ex iis, quæ dicta sunt, docemur, Deum esse ipsum spiritum, & siue est filius, opificem. Et si enim per filium pater cuncta fabricatus est: sanè certe in Spiritu sancto, qui secundum naturam proprius est vniuersi.

*Si autem potes, des mihi responsum: ad hæc sustine.* Expecta, inquit, & ubi me audieris, si tibi

si tibi oratio ad refellendum suppeditarit, contradices.

*Ita contra me, & ego contra te: de luto factus es tu, sicut & ego de eodem perfecti sumus.* Nihil est, inquit, quod respondere verearis; est enim æqua contentio. Eadem enim natura constamus ambo, & illa quidem è luto, ac terra concreta, nec quidquam elatum habent. Hæc verò dicit, vt Iobum pudore suffundat: quippe qui Dei iudicium subire voluerit, tanquam si diceret, Cur Dei iudicio tuam causam committis, in cuius conspectu nemo iustificatur? Tibi mecum in iudicio contendendum est, cum inter nos ambo nihil interfit.

*Non te metus meus commouebit: neque manus mea erit grauis super te.* Quoniam dixerat Iobus, Et timor eius non me commoueat: iccirco Elius inquit, Nihil à me tibi horribile potest accidere, sicut potest à Deo, qui & perturbare te facile potest, & mentem permouere, vt planè, quæ contra me habes, proferre non possis. Nec verò est, quod dicas, vereri te, ne graui te manu vrgeam mea: memini enim, cum diceres, nisi id formidares, te cum Deo certamen suscepturum. Hæc verò eò persequitur Elius, propterea quod Iobi mentem, quæ orationem eius formabat, haud fuerat assequutus.

*Veruntamen dixisti in auribus meis, verbatim audiui: propterea quod dixi, mundus sum, cum non peccauerim: irreprehensibilis autem fui: non enim iniquitatem contra me inuenit; reputauit autem me sicut contrarium: posuit autem in ligno pedem meum, obseruauit autem omnes vias meas.* Ego met, inquit, hisce auribus dicere te audiui, Mundus sum, & irreprehensibilis: Deus autem, sicut aliquis inimicus, diligenter est mea persecutus; si quid forte per imprudentiam, incitiamue deliqui. Inuenit contra me querelam, vt me supplicio afficiat, & omnes ingressus meos conclusit, perinde vt ij solent, qui perforato ligno fontium pedes constringunt. Inexplicabilem cruciatum his verbis ostendit.

*Quomodo enim dixi, iustus sum, & non exaudiuit me? CHRYS.* Hoc est, vnde tibi constat, non te à Deo fuisse auditum, cum tuam causam negasti à Deo auditam esse? cum dixisti, ab eo te pœna ac cruciatu afficit: nempe hoc illi curæ est, vt homines reddat meliores. Quæ igitur ratione es ausus dicere; iustus sum, Deus autem non me audit.

*Æternus enim est, qui supra mortales est.* Id est, Deus, qui cunctis est mortalibus superior, nequaquam in tua causa nunc primum probatur.

*Dixi autem, Cur iustitia mea non exaudiuit omne verbum? semel enim in loquendo Dominus.* Pro quibus Aquila, Quid igitur contra eum iudicio contendam? quia ad omnia verba eius non \* reprobabuntur. Symmachus autem, Quid igitur cum eo iudicio decertas? omnes enim eius sermones sunt eiusmodi, vt refelli non possint. **CHRYS.** Id est, non sigillatim audit, ac docet. Verum hoc Dei proprium est, semel quidpiam facere, non paulatim. Is sæpenumerò somniis admonuit, ac visis; tu verò eum in iudicium abstrahere statuisti. **OLYMP.** Atqui illud tibi cogitandum erat, ea, quæ Deus decreuit, non ideò iure sancita esse, quod eum aut more hominum pœniteat; aut verò, quod aliquid melius ratiocinando reperiat. Immo verò reprehensione vacant omnia, quæcumque is sciscit. Homines enim pœnitere eorum solet, quæ ipsi dicunt, faciuntque: quod vitium in Deum minime cadit; vt cui semel pronunciaisse sit satis.

\* ἀποκρίσει, non pmo aliter posse explanari: nam ἀποκρίσω εἰ multa alia, ἢ hoc item sonat, reuocare, reprobare.

*In secundo autem in somniis, vel in meditatione nocturna; vel sicut cum incidit grauis timor super homines in dormitionibus in cubili; tunc reuelat mentem hominum.* Semel, inquit, loquitur Deus, multa verò homines docet; cum iis visa offert nocturna, quibus & eos conuertit, cum eorum cogitata retegat. Hæc ideo Elius dicit, quia ad Deum dixerat Iobus, Terres me in somnis, & in visionibus.

*In speciebus terroris talibus istos exterruit, vt auerteret hominem ab iniustitia; corpus autem eius à ruina liberauit: pepercit autem anima eius à morte, & ne caderet in bello.* Semel, inquit, loquitur Deus, fertque legem: postquam autem legem tulit, si quempiam negligentem inuenit, nocturnis illum terroribus ad mentem reuocat, & monitis corrigit. Erucro vñ; eò est hic timor utilis, qui visis & simulachris vitur ad erudiendum, vt & futurum supplicium cohibeat, & hominis,

Cc quem

quem reddidit meliorem, corpus & animum quouis malo atque incommodo liberet, nec in hostium manus eum incidere sinat. Quod nisi hominem antè paratum supplicium ad saniora consilia traduceret, fortasse aut, diuinitus plaga accepta, aut incurstantibus hostibus peccatorum pœnas perfolueret. Verùm is, qui in irrogando supplicio cunctatur, & illatis terroribus, ad pœnitentiam reuocat, & imminet cruciatum minitendo auertit.

*Rursus autem arguit eum in infirmitate in cubiculo, & multitudo ossium eius emarcuit, omnem autem escam non possit sumere; & anima eius cibum desiderabit, quoad eius carnes computruerint, & ostendit ossa sua vacua. Appropinquauit autem anima eius ad mortem: vita autem eius in Inferno. Quod si is, qui culpæ est affinis, terroribus nocturnis nihilo sit melior, nec vult respicere; illud Deus efficit, vt ille & in lecto iaceat, & ægrotet, illiusque ossa horrore, atque torpore conficiat, adeoque miserè affligat, vt optet quidem cibum, sit autem inanis auditas, nec cibum possit adsciscere, vt eam ipsam rem illius carnes extabescant; atque robur ossium concidat; medulla propemodum exucta, vel siccata, vt iam reliquum sit, & animam propius à morte abesse, & quæ in Inferno sunt, cogitare.*

*Si fuerint mille angeli mortiferi, vnus ex ys non vincerat eum: si cogitauerit corde conuertere ad Dominum, annuntiauerit autem homini crimen suum, & iniquitatem suam ostenderit. Hic, inquit, qui extremis cruciatibus exercetur, si perpersionis suæ causam in peccato consistere intellexerit, atque ad Deum de errato suo confessus se conuerterit, impendentem mortem inhibebit: etiam si sexcenta quædam sint, quæ mortem accersant, atque laceffant. Pœnitentia enim peccatum delet, placatque Deum, vt sententiam reuocet, decretumque rescindat.*

*Resistet, ne cadat in mortem, renouabit autem corpus eius, sicut lituram super murum; ossa autem eius implebit medullas, teneras autem fuerit eius carnes sicut infantus; restituet autem eum hominem factum in hominibus. Cognosce pœnitentiæ fructus; nec enim illa tantum mortem prohibet, verum etiam integram valetudinem largitur. Deus, inquit, pœnitentem suscipit; ac tuetur, nec eum paritur in mortem incidere; sed, quemadmodum ij, qui vitium facientem, & labantem parietem vident, linienda calce, renouant atque restitunt; sic Deus, inquit, illius corruptum corpus renouabit, & ad pristinam dignitatem excitabit, ac feruè iterum conformabit; ossa verò medulla complebit, recentefque carnes agglutinabit. Denique vir factus, hoc est, posteaquam confirmatus diuinitus fuerit, virileque robur inter homines versans sumpserit, rursus eum restituet; vel, vt cæterorum est interpretatio, ad diem iuuentutis suæ reducet.*

*Cum deprecatus autem fuerit ad Dominum, accepta illi erunt. Theodotio autem, Obsecrabit Deum, & benedicet eum. Sententia autem est huiusmodi: aut, quod illius preces, & vota non repudiabuntur; sed Deo erit accepta; aut, quod cum preces Deo gratæ erunt, tum supernam ei adferent benedictionem.*

*Ingrederetur autem facie mundæ cum confessione. Cæteri autem, Hilari & pro, Cum confessione, Aquila,\* In alaci vociferatione; Symmachus autem, In hymnologia, interpretatus est. Tunc, inquit, morbo, metuque impendentis mortis liberatus, precationem & confessionem cum gratiarum actione cõiunctam, Deo, cui haud erit inuisa, adhibebit; nec quidquam trepidans, ad eum adibit. Id enim hilari seu mundus vultus ostendit: disciplina verò perpuratus, hymnis Deum celebrabit.*

*Reddet autem hominibus iustitiam. Aut, quia ipse homo à Deo beneficio affectus, vnicuique in posterum ius suum tribuet, illudque colet disciplina factus melior: aut quia Deus eos, qui ita sunt affecti, iustitia imbuet, vitæque antea cæcæ errata condonabit.*

*Tunc deinde seipsum accusabit homo dicens, Quall: feci neque me pro dignitate eorum, quæ peccavi, mult. mit. Iam verò liberatus, postquam sapientiæ emolumentum perpererit, gratias agens dicet, Quancò fiat peccatis meis animaduersio leuior? nimirum, quæ paria meis facinoribus, factiue essent, nequaquam sum passus.*

*Sana animam meam, ne eat in corruptionem, & vita mea lumen videbit. Atque hæc item*

item sunt verba ad supplicandum, laudandumque accommodata. Sic enim loquitur, Gratias ago, quòd me ab interitu atque corruptione hac, dissolutioneque liberaris. Nempe tu id mihi tribuisti, vt & viuerem atque vt lucem hæc intuerer: hoc ipsum vt mihi deinceps eueniat, obsecro. Verùm nonnulli ad hunc modum commentati sunt, Precibus à Deo contendet, vt, his corporis compagibus solutus, non ad iniquorum cœtum, ac partes, sed vt ad iustorum lumen demigret.

*Ece hæc omnia operatur fortis, vias tres cum viro. Verùm liberauit animam meam à morte, vt vita mea in lumine laudet eum. Symmachus autem, Bis tres ad vnquemque, vt reuocet animam meam. Verbis autem ipsis hæc est subiecta sententia, Hæc sapientis atque adeò robusti Dei sunt opera, vt tripartita quadam ratione peccantes conuertat: verbis, inquam, horribilibus, somniis, morbis. His viis tribus is, in cuius autu ac potestate cuncta vertuntur, cum vnoquoque agit homine, vt vna aliqua ex his is, qui noxa tenetur, eruditus, viret interitum, atque Deum in vita laudibus efferat. CHRYS. Is, qui sic hominum rationibus moderatur, vitam impartitur: rerum necessariorum disciplinam tradit, rectèque factis mercedem persoluit, atque supplicia flagitiis decernit: itaque cum hominis agit, vt coarguat, increpet, nocturnis terroribus minitetur, loquendo doceat, ægrotationibus, atque imbecillitatibus cruciet.*

*Auribus percipe, Iob, & audi me, obmutesce, & ego sum: loquar si tibi est sermo, responde mihi loquere: volo enim te iustificari. Si non, tu audi me, obmutesce: & docebo te sapientiam. Quid est, inquit, quòd Deum, qui videri nequit, in iudicium voces? En ego, qui similiter, vt tu, homo sum, coram adsum: si tacueris, tecum disceptabo, si quidquam habebis ad me refellendum, libenter audiam: quòd si nihil potes respondere, rursus sile, & ea, quæ à me dicentur, attende.*

### Prothœoria Capitis Vigefimitertij.

Cum rationem exposuisset Elius, quemadmodum Deus, qui curat humana, nos erusiat, tum secundum quietem visis terrendo, tum morbis ad meliorem disciplinam nos instituendo, ac reuocandos iterum ab alio quodam initio ducit orationem; nec non in ipso exordio auditores ad ea, quæ dicenda sunt, cognoscenda hortatur. Proponit autem se de supplicio, exitioque iniquorum dicendum. Cum verò Iobus se iustum esse dixit, nec iure affligi à Deo, rectè id dixerit, an secus, auditorum vult esse iudicium. Ad hæc flagitiosos à Deo, cum is pro dignitate vnicuique reponit, multari confirmat: cuiusque reirationem explanat, quòd Deus iniuste à se effectas naturas laedere nulla ratione possit. Ita de recto Dei iudicio præclare Elius disputauit. Sed ramen Iobo succenset, quòd æquo iure cum Deo velit in iudicio configere. In quo, nec quid Iobus diceret, Elius satis attendit; nec illud vidit, non quasi Deum Iustus criminaretur; sed vt amicos coargueret, apud Deum ipsum experiri voluisse.

*Suscipiens autem Elius, ait, Audite me sapientes, sapientes auribus percipite bonum, quia auris probat sermonem, & gustus gustet escam. Iudicium elegimus nobis ipsis: cognoscimus inter nos ipsos, quoniam bonum. Quia dixit Iob, Iustus sum: Dominus mutauit iudicium meum: mentitus est iudicio meo. Violenta sagitta mea sine iniustitia. Delinit auditores Elius, quos antea castigarat. Postquam igitur eos sapientes, rectique scientes appellauit: sermonum iudicem aurem esse confirmat; quæ verum, falsumque internoscant, & rectum à prauo secernat; non secus quam palatus, qui esculentorum, poculentorumque qualitates diiudicat, & amarum, dulceque discernit. Ergo communis sit veri disquisitio, & commune sit iudicium rectè, an secus Iobus dixerit, eum his verbis loquutus est, Iustus sum: Dominus mut. ut iudicium meum, siue, vt Aquila & Symmachus expresserunt, Peruertit, & alienauit à me iudicium. Et mentitus est in iudicio meo; quandoquidem non dignum factis meis iudicium fecit: verùm à me iustitiam suam abstraxit, & patientia magis quam iustitia vltus, insonti plagam inflavit. Sic igitur Iobi verba acceperat Elius. Verumenim Iobus*

CAPVT  
XXXIII.

hoc tantum dixit, De factis meis Deus iudicare cunctatur. Quod si is, qui iustus est, audire me vellet, ex his iam calamitatibus eripuisset; quod ipsum ex iis verbis planum fit, Vociferabor, & nunquam iudicium. Veruntamen Elius Iobi carpit verba, atque peracertit; quippe qui caritatis, qua illa Iobus fundebat, effect ignarus.

*Quis vir sicut Iob, bibens subsannationem sicut aquam? qui non peccavit? neque impiè egit? nec denique communicavit cum facientibus inique, ut ambularet cum impijs?* Et mihi, inquit, est Iobi spectata virtus, qui sua sponte, atque iudicio iniurias suscipit, ut qui aquam hauriunt; idque cum nec apud homines offenderit, nec Deum impietate vlla violarit; quin etiam se à facinorosorum, impiorumque consuetudine, atque conuictu abstraxerit. Hoc verò summæ est virtutis argumentum, haud moleste ferre iniuriam. C L E M E N T. Rerum enim omnium pretiosissimum est peculium, animi tranquillitas. Talem nobis hic liber Iobum describit; qui iniurias perinde, ut aquam exorbebat. Homines admiratione atque imitatione vere dignum. \* *ἐπεὶ πάλαι, ὁμοίως, ἑώρακεν Ἰὼβ.* Si tantum quis tolerantia fuerit assequutus, ut vehementem illam, quæ ex illata iniuria nascitur, nec re qualibet expugnari potest, animi tristitiam facile superarit.

\* *Locus mendosus.*

*Non enim dicas, quod non erit visitatio viri, & visitatio illi à Domino.* Cum de Iobo dixisset amicis; nunc ad eum orationem conuertit, dicitque, Hoc de te conqueror, non quod iniustus sis; sed quod res nostras à Dei contemplatione, prouidentiaque seponas. Estque per errorem rursus Elius lapsus, quoniam dixerat Iustus, Cur impij viuunt? & quare tempora laruerunt Dominum? quæ quidem illic, quasi quæstionem proponens amicis fuerat eloquutus. Attamen Theodotio superiorum verborum hanc attulit expositionem, Quia dixit, Non periclitabitur vir, cum se probauerit cum Deo; Symmachus verò, Non æquabitur vi? Illud autem Theodotio simplicem enunciationem habet; hoc vero Symmachi affectum quendam, atque interrogationem.

*Ideo, prudentes corde, audite me; ne mihi sit coram Domino esset impium, & coram Omnipotente turbare iustitiam. Sed reddet homini, quemadmodum facit vnusquisque eorum, & in semita viri inueniet eum.* Quandoquidem haud de rebus leuibus nobis futura est disputatio, nolite, amici, hæc perfunctorie audire: ea namque quæ dicuntur, vobis possunt esse percepta. Absit enim, ut ad impios ego sermones delabar, vel ut, dum de Deo, cui summa est omnium rerum potestas, verba facio, iniusti quidpiam loquar. Scio videlicet omnibus, quod cuique debetur, à Deo tribui: de vnoquoque ab eodem perinde iudicium fieri, ut viam quisque tenuerit. Symmachus verò, cum ita interpretatus est, Absit à Deo iniquitas, & à Sufficiente iniustitia, hanc sententiam suggerit, Haud ego dixerim, quidpiam à Deo, neglecto iudicio agi. Vnicuique enim illa euenient, quæ ea, quam ingressus fuerit, via digna fuerint; & vnumquemque facti ipsius minimè obscuri conscientia conuincet.

*Putas autem Dominum absurda facturum? aut Omnipotens turbabit iudicium, qui fecit terram? Quis enim est, qui faciet eam, quæ sub celo est, & quæ insunt omnia? Dominus est ipse Deus, in res omnes tenens imperium, omnium, quæ sunt opifex. Ipse enim cælum, terrasque condidit, atque ea, quæ media sunt interiecta. Haud quidpiam, inquit, indignum suscipiet Dominus aduersus eos, qui in ipsius sunt potestate, ac ditione. Neque is, qui præest omnibus, iura peruerteret: neque is, qui sua bonitate hanc rerum vniuersitatem excitauit, necessitate aliqua victus, aut adeo à quopiam coactus, contraque, quam oportet, opificium suum iniuria lædet. Neque enim ab ipso, quæ effecta sunt, aliena sunt, ut nos vexare debeat iniuria. Et enim sibi ipse parit.*

*Si enim voluerit colibere, & spiritum apud se retinere, simul interibit omnis caro: omnis autem homo in terram abibit, vnde etiam formatus est. Si spiritum duntaxat, inquit, ac vitam, quam viuentibus dilargitur, inhibere voluerit, cuncti mortales funditus interibunt, atque in terram, e qua sumpti sunt, dissoluentur.*

*Si autem non erudiri, audi hac, auribus percipe vocem verborum. Vide tu eum, quæ odit iniqua,*

*iniqua, & qui perdit improbos, quæ est æternus, iustus.* Cæteri, Si non intelligis, audi. Nunquid, qui odit iudicium, \* obstruet ad sanitatem? Hæc autem est sententia, Si hæc tibi persuadent, melioremque mentem iniiciunt, benè habet; sin autem, attende reliqua. Sic enim commentare, Deus, qui semper iustus est, odit iniqua, supplicioque afficit facinorosos. Syllogismo autem est vsus huiusmodi, Si punit ideo, quod improbitatem odit, ergo iustus est; nec quidquam non ex iure agit: neque enim iccirco quempiam aut vinxit, aut coercuit, quia iudicium, hoc est, iustitiam odisset, cum alicuius voluit corrigere improbitatem; neque enim sceleratis licentiam impunitatemque permisit, neque iis ad grauiora scelera, moribus, terroribus, ac rebus huiusmodi aditum non interclulit. Immo verò, cum vitium amputat, atque eum, qui morbo laborat eiusmodi, sanat, nimirum palam ostendit, non odio, sed cordi sibi esse iudicium.

*Impius est, qui dicit regi, in: quæ agis: impijssimus principibus.* Si is, qui dicit Regi, Iniquè agis, apud principes summæ improbitatis iudicium subit; propterea quod, in consilium humana adhibita ratione, eum existimant dominationis odio scelerata quædam machinari; quid illis fiet, qui Deo dicere audent, Agis iniquè? C H R Y S. Multa enim Deo atque eius decreto permittere debes, quamuis fiat tibi ignota, neque hæc tibi sumenda est cura, ut omnia discas. Rectè verò dixit, apud principes impium iudicari eum, qui terreno regi exprobrat iniustitiã. Neque enim apud Deum necesse est esse eiusmodi.

*Qui non erubuit faciem honorati.* Alj, Principum.

*Næque honoris de ferre robur, mirari vultum eorum: inania ipsi euenient, cum clamauerint, & rogauerint virum.* Impius, inquit, iudicatur is etiam, qui non afficit honore diuitem, quæ illius non suspicit dominationem. Atqui, qui hominam implorant auxilium, & qui principibus, fidunt, stulti sunt, neque ex ea re lucri quidpiam facturi sunt.

*Vsi enim sunt iniquè, exclusis impotentibus.* Hi flagitiosè, inquit, abusi sunt potestate, propterea quod humanæ gratiæ causa ius contempserunt, imbecillos autem & pauperes suo iure prohibuerunt.

*Ipsè enim inspector est operum hominum: latet autem eum, nihil eorum quæ faciunt: neque locus est, quò se abdant, qui faciunt iniqua.* Qui sceleratè agunt, neque vitare Dei possunt adspèctum, neque ipsum quoquo modo larere. C H R Y S O S T. Obserua mihi quemadmodum non similiter ut amici, Elius Iobum peruellat, quemadmodum eum increpet, non cum eo accusatorie agat. Nec enim illi dicit, Pupillos ac viduas prædatus es. Verùm quid is tandem? Deus iustus est.

*Quia non super hominem ponet amplius.* Hæc eius videtur esse oratio, Hoc quidem tempore bonum, ac malum in nostra est potestate: verùm in eo, quod consequitur æuo, eius rei nobis erit erepta facultas. Neque enim tunc erit agendi, faciendaque operis tempus opportunum, neque rei gerendæ optionem Deus hominibus daturus est amplius. Nonnulli sic existimant, Quod non \* singulas iuris partes spectabit. Symmachus verò quendam aliam sententiam sua interpretatione expressit: sic enim ille, Non enim supra positum est amplius. Quoniam enim dixit, nihil esse, quod à Dei oculum omnia contuentem fugiat, meritò adiunxit, nullum esse velum obductum, quod diuini oculi obstruat luminibus.

*Dominus enim cunctos videt, comprehendens inuestigabilia, gloriosa & stupenda, quorum non est numerus; manifestans eorum opera, & conuertet noctem, & humiliabuntur.* Quia Deus, inquit, cernit omnia, ideo, quæ aliis sunt incomprehensa, ipse comprehendit; & quæ maiora sunt hominum opinione, facit: nihil eorum planè ignorans, quæ ab hominibus geruntur. Iccirco lucem etiam impiorum, id est, illorum splendorem, atque lælicitatem, in noctem mæroremque conuertit, illorumque deprimit.

*Extinxit autem impios: visibiles autem sunt coram eo.* Noti sunt ei, inquit, operarij iniquitatis. Iccirco, postquam eorum parumper eluxit fœlicitas, extinguuntur. Neque verò Deus ita inspicit, contemplaturque impios, ut iis faueat; verùm ut in eos animaduertat, quemadmodum est in Psalmo, Vultus autem Domini su-

\* *ἐπεὶ ἕκαστος ἰσχυρῶς ἐπέλατι ἐστὶν ἐπεὶ ἐδύσει.*

\* *ἐκ τῆς ἰσχυρῆς ἐστὶν ἡ ἐπέλατις ἐστὶν ἐδύσει.*

per facientes mala, ut exterminet.

*Quia declinauerunt à lege Dei; iustificationes autem eius non cognouerunt, ut adducerent ad eum clamorem pauperis; & clamorem mendicorum exaudiet.* Suppliciorum, quæ perferunt impij, causas exponit; quia, inquit, Dei iussa, \* quod ad actionem, pertinet, non cognouerunt; verum à diuina lege recesserunt. *Et clamorem, inquit, pauperum adducere, qui affecti iniuria vociferantur; atque diuinam opem, benignitatemque prolestant.* Ij ergo, qui faciunt iniuriam, pauperis, qui passus est, clamorem ad Deum perferunt.

*Et ipse scientiam præbebit; & quis condemnabit?* Symmachus autem, Ipso quietem dante, quis condemnet? Vel igitur hoc dicit, Si Deus eorum, quibus iniuria fit, causam contemnat, quis præterea alius potentes atque iniustos queat condemnare? Vel, si Deus iniquorum animaduersionem prætermittat, quis eum clamare audeat; aut verò tanquam iniustum accusare?

*Et abscondet faciem, & quis videbit eum? & contra gentem & contra hominem simul.* Hoc dicit, Cum minime sit ad spectabilem Deus, iudicia quoque, quæ videri nequeant, promittit; nec vnum aliquem hominem sed vniuersam etiam quampiam gentem supplicio maclat, & ea quidem ratione, atque eas ob causas, quæ illi sunt vni explorata.

*Qui constituit regem hominem hypocritam super morositatem populi.* Et id quoque diuinæ est prouidentia, eum, qui ad spectu atque specie ementitur virtutem, permittere, ut rex declaretur, idque propter populi, cui animaduersione, & disciplina opus est, improbitatem; quemadmodum alibi dixit, Dedi eis regem in ira furoris mei.

*Quia ad fortem dices, Accepisti; non pignus sumpsisti: sine me videbo, tu ostende mihi.* Nonnullorum hæc fuit huius loci interpretatio, Nemo potentiori dicere audeat, Iniuste mea sustulisti, cum haud pignoris nomine tibi deberentur, & quidem nec me libente, abstulisti; id te iure fecisse doce. Quòd si ei, qui viribus, & potestate pollet, nemo eiusmodi quidpiam dicere audeat; qua tandem ipse ratione talia es contra Deum ausus? Symmachus autem sic expressit, Quia ad Deum loquutionem assumpsisti, non recuso interpellari, \* *ἐκ ἐμοῦ ἀπολύθης.* Tu verò ostende mihi. Ac fortasse hæc ipsa Symmachi interpretatio relabitur eòdem. Quandoquidem, inquit, Elius, pro Deo cœpi, nihil insitens, longius edicendo progrediar. Quòd si minus rectè quidquam à me dicitur, id ipsum tu docebis, atque coargues orationem. Verumenim mihi hæc videtur probabilior huius loci explanatio, Non quia ipse dicendo Dei sum causam complexus, iccirco abs te quasi nomen quoddam, & as alienum exigo; quin potius, quamuis nulla mea prorsus esset oratio, num quid ad me reprehendendū habeas, videre cupio. Nam ego sanè interim silebo. Tu verò, suscepto sermone, si potes, & si quidquam mihi erratum est, ostende.

*Si iniustitiam operatus sum, non adiciam.* Doce, Iobe, inquit, me contra ius loquutum esse, & ego definam.

*Numquid à te perfolues eam? quia repulisti? quia tu eliges & non ego? & quod nostri loquere.* Num meorum verborum inquit, tibi pœna est perfolueda? Ne igitur omitas; sed quæ mihi dicta sunt, reprehendas; tuū enim est deligere, atque diiudicare: rectene an secus fuerim loquutus; non meum, qui dixi. Ergo, si quid amplius intelligis, ipse responde.

*Ideo prudentes corde dicent hæc; vir autem sapiens audivit verbum meum.* Tanquam Iobus tacuisset, illius silentio suos Elius sermones confirmat, dicitque hæc ipsa, quæ egomet dixi, alij prudentes viri tibi dicturi sunt. Quòd si quis intelligentia præditus vir hæc mea audiat, nimirum eadem ipsa comprobabit.

*Iob autem non in sapientia est loquutus: verba autem eius non in scientia.* Ego quidem prudenter, inquit, sum loquutus. Tu autem, Iobe, qui es scientia clarus, haud scienter vsus es oratione, qui in iudicio cum Deo discipulare volueris. CHRYS. Tacitè hæc ad veniam referuntur; neque enim ob facta, sed propter verba eum docet esse in culpa. Quæ sanè criminatio nec ab amicis prætermissa est, quando dixit

\* Locus obscurus nec sine mendo.

dixerunt, Quousque spiritus multorum verborum os tuum?

*veruntamen disce, Iob, ne des amplius responsonem, quemadmodum insidiantes, ne adiciamus peccatis nostris.* Quæ cum ita sint, inquit, meo consilio vttere; neque velis amplius, ut stultus quispiam faceret, eosdem vsurpare sermones, ne priora peccata posterioribus cumulemas. Ego enim vereor, ut nudorum verbis nobis sit apud æquum iudicem ratio reddenda. Cum eo igitur, qui voces nimias fundit, sermone communicato, haud inuisam cohortationem adiungit.

*Iniquitas enim in nobis reputabitur, multa verba coram Deo loquentibus.* Nec flagitiosa, dixit, nec impia; sed simpliciter multa, ut doceat non esse Deo multis respondendum. Nam, si nemo apud regem verbosiore oratione audeat uti, quanto id minus apud Deum audendum est? Quandoquidem multa loqui hoc ipsum à Deo vitio datur, quemadmodum scriptum est, In multiloquio non fugies peccatum.

### Protheoria Capitis vigesimiquarti.

DE disciplina Dei adhuc disseruit Elius; nunc de eius patientia parat dicere. In quo Iob stomachatur, quia dixerat, Si ego peccaui, quid ego tibi facere possum? & quia apud Deum suam causam cognosci voluit.

*Vsapiens adhuc Elius ait, Quid hoc putasti in iudicio?* Aut hoc dicit, quam animo de diuinis iudiciis imbibiti opinionem? vtrū ad ea percipiēda nisi ipse potes? aut hoc alterum, Quid tibi venit in mentem, cum Deum iudicem poposcisti?

*Tu quis es, quia dixisti, Iustus sum coram Domino?* Quo pacto es, inquit, ausus te vel apud ipsum Deum iustum esse pronunciare? Nam illud quidem verè dicitur, esse Iobum iustum: illud alterum, esse coram Deo etiam iustum, mendacem habet accessionem. Hoc enim didicimus, iustitiam hominum vniuersam, si cum Dei iustitia cōferatur, haudquaquam esse iustitiam. Non enim iustificabitur in conspectu eius omnis viuens. Quare haud mediocris superbia est argumentum, se ipsum apud Deum iustum existimare.

*Dices, Quid faciam, cum peccauero?* Neque illud, inquit, dicere tibi fas est, Quid faciam, ubi peccauero? Neque enim quid agendum sit, ignoras. Peccato enim abstinentum est, Deoque supplicandum. Et quidem Elius ad suam ipse sententiam præclare suadebat. Verum Iobus meliore illud mēte extulit, Si peccaui, quid tibi possum facere? ut huic par illa Iobi sit oratio, Nil eiusmodi efficere, molirue possum, ut peccatum delere queam, nisi me tua benignitas complectatur. Alij verò quādam aliam interpretationem horum verborum excogitarunt, Si, postquam rectè factis operam nauauis, punior; quid ob prauè facta mihi enenisset? Symmachus quidem pro, *Dices, Quid faciam, cum peccauero?* sic conuertit, Dixisti, quia nihil proderit tibi.

*Ego autem dabo responsonem tibi, & tribus amicis.* Tanquam Iobus fuerit imprudenter loquutus, tanquam nullam idoneam responsonem inuenire amici potuerint, probabiliores ipse pollicetur se rationes allaturum. Iobumque cum amicis ideo coniungit, propterea quod iam victi eidem ipsi assentiebantur.

*Respice in cælum, & vide, contemplare nubes, quia alta sunt à te.* CHRYSOST. Non ex rationibus & argumentis, sed ex iis, quæ visuntur, quanto sit Deus à te intervallo disunctus, & quanto te sit excelsior, cognosce. OLYMP. Vide, aduersus quem defensionem compararis, nempe aduersus eum, qui te tantò est superior. ORIGEN. In cælum autem suspicit non is, qui corporis oculos sustulit, cælumque adspexerit; siquidem & canes, & asini oculos habent, qui tamē in cælum non suspiciunt: sed neque is suspicit, qui rerum humanarum flagrat cupiditate; verum qui nec mundum, nec ea, quæ in mundo sunt, diligit. Ad hæc non vsque eò sunt hæc nubes in altum editæ, atque à nobis abiunctæ, ut est vita Moyfis, atque eius Deo probata virtus, quoties & vitæ illius celsitudinem, & tenuitatem, humilitatemque meam fuero contemplatus. Id enim si fecero, tum demum quàm à me longè nubes absint, videro. Quòd si ad Iesum Naue peruenero, &

CAPVT  
XXV.

ad



ad prophetarum vitas accessero, illorumque res gestas diligenter perquisituro; tunc, quod hic scriptum est, perfecero: & quam à me sublata nubes fuit, perdidicero.

*Si peccasti, quid facies? si autem multa iniquè egisti, quod potes facere? Quoniam igitur iustus es, quid dabis ei? aut quid de manu tua accipiet? Viro simili cui impietas tua, & filio hominis iustitia tua.* CHRYS. Haud quidquam cum peccando lauderis, sed nec iustitia tua eundem quidquam iuueris. Quæ enim hinc ad eum utilitas damnumue dimanat? siue tu ipse prauè egeris, siue iustitiam colueris? Hominem alium quispiam eiusdem naturæ societate coniunctum iniuria, beneficioue affecerit; at neutram harum rerum Deo feceris. Ne igitur tuam vèdites iustitiam. Quod enim dixerat Iobus, Si peccaui, quid tibi possum facere? Ideò nunc Elius, Quamobrem hoc tibi excidit? Neque de te Deus, quasi iniuria violatus anxie laborat: quasi damno aliquo affectus. Vel aliter, Vtrum nosti, si te verbis noris peccasse? verbis item tibi mederi, melioribus? ac, si prauè factis apud Deum offendisti, rectè factis te ipsum curare? Quòd si multæ atque adeo insanabiles sunt iniquitates nostræ, vt nullam nobis ipsi nostra sponte curationem adhibere possimus; iccirco è cælis Iesus Christus aduenit, vt, quæ sanari non poterant, sanaret, illudque efficeretur, Beati quorum remissæ sunt iniquitates.

*A multitudine calumniæ passi vociferabuntur: clamabunt à brachio multorum: & non dicent, Vbi est Deus, qui fecit me, qui constituit custodias nocturnas?* Homines, inquit, qui peruntur calumniis, calumniarum turba oppressi, clamorem ad Deum tollunt, cum violentiam brachij & dominationis iniustorum ferre non possint, eorum, inquam hominum, qui Deum effectorem suum minime agnoscunt: nec illud intelligunt, eundem noctem esse dimensum. Ea enim in quatuor est vigilias distributa. CHRYS. An non vides veluti in exercitu atque adeò præstantiore disciplina, ac ratione, cuncta esse disposita? atque adeò nullam rem esse, quæ non suum certum ordinem teneatur? nihil rei cum omnium etiam, quod suas lineas, metâque transiliat: nihil, quod alienam regionem inuadat? Ita quo tempore somnum capiunt homines, nemo intruit insidias. Cum enim immanes feræ iter faciunt, tunc hi dormiunt. ORIGEN. Ac vide, quemadmodum Dei laudes atque præconia Elius narret, cum de eo his verbis prædicat, Qui constituit custodias nocturnas. Visne videre, quo pacto Deus designarit nocturnas excubias? Omne vitæ huius tempus nox est, lux ipsa seruat tibi. Ita nunc vides per speculum: erit autem aliquando, cum lucem intueberis. Vniuersum igitur huius temporis spatium nox est, & quidem custodias atque excubias opus fuit, quæ hanc ipsam noctem tuerentur. Vt illi, inquam, qui sunt in custodia collocari, nocturnasque vigilias agunt, eos, qui versantur in nocte, à latronibus, à belluis, ab hostibus defendant. Sed quinam custodes sunt? Nempe qui castrametantur angeli.

*Qui discernit me à quadrupedibus terræ, à volucribus cæli.* ORIGEN. Vt alij, Qui docet nos super iumenta terræ, & erudit nos super volucres per aëra volantes. Etenim vauis homo est rationis dignitatem adeptus. Ergo ipsi ad opificij quidem rationem ab omnibus sumus animantibus seiuncti; verum, si peccandi libidine, si meretricio commercio, seu conuictu te ipsum ad terram prosteras, haud à terræ quadrupedibus eris seiunctus: immo verò, comparaberis iumentis, erisque sicut equus, & mulus, in quibus non est intellectus. Et sane vt equus, effrenata furens libidine.

*Illic, vociferabuntur, & non exaudies? & ab iniuria improborum? Illic, pro, Tunc, possum est. Tunc, inquit, clamore cum te appellabunt ij, qui fuerint iniuriam & calumniam passi, an tu ipsos illos non audies? neque eorundem iniurias illatas ab improbis minime vlciſceris? Sanè quidem vlciſceris.*

*Abſurda enim videre non vult Dominus. Ipse enim Omnipotens inspector est facientium iniqua: & saluabit me.* Illud mihi intellectum, ac persuasum est, nihil esse, quòd non in Dei incurrat oculum, resque illi absurdas odiosas esse, atque detestabiles, atque eum qui patitur iniuste, prorsus liberatum iri diuinis. CHRYS. Nec enim,

enim, quæ iniqua sunt, tantum non probat; sed, cum odium habeat in ea quæ flagitiosa sunt, nec videre etiam vult.

*Iudicare autem coram eo, si potes eum laudare, sicut est, & nunc.* OLYMP. Ad Dei, inquit, præstantiam excogita, ac vide, num intelligentia tua ipsius laudem capere possit. Quid ergo est, quòd apud eum, qui talis est ac tantus, iure velis, iudicioque disceptare? quandoquidem nec eum de ista ipsa pœna, quam nunc ei perfoluis, pro dignitate potes laudare. CHRYS. Si enim pro tribunali, inquit, sederit, tuaque ipse iura fueris persequutus, haud illius laudem & gloriam pro dignitate prosequi tibi licebit, neque dignam ei laudationem ob ea comparaueris, quæ ab eo ipso tibi hoc tempore acciderunt: tamen si putas ipse per iniuriam ab eo tractari atque multari. Atque Deum non posse à nobis dignis laudibus ornari, haud magnum fuerit: verum ea velle, quæ vitæ nostræ rationes attingunt, aduersus eum iure defendere, quem non possis digna prædicatione efferre; hoc verò permagnum est.

*Quia non est considerans iram suam, & non cognouit delicta vult.* Aut hoc dicit, Dei laudes iccirco nõ posse à nobis, qua dignitate decet, celebrari, quia, dum is inter nos iudicia exercet, iræ suæ rationem minime ducit, neque illa culpas nostras metitur, nec peccata nostra admodum obseruat. Aut ad lobi hæc ipsa personam referuntur, Ignorat Iobus videlicet diuinæ iræ magnitudinem, ac pondus, nec peccatorum nostrorum assequitur numerum: si enim assequeretur, illud item assequeretur, haudquaquam Deum in eos, qui sceleratè agunt, stomachum suum omnem erumpere.

*Et Iob stultè aperit os suum in ignorantia verba aggrauat.* OLYMP. Symmachus autem sic, Insipienter sermones graues fecit. Quia Iobus, inquit, nec Dei præstantem vim ac tolerantiam, nec illius incomprehensa iudicia satis attendit; nec illud videt ad Dei laudes non posse hominem quempiam parem facultatem adferre, nedum illius iudicia sustinere, iccirco aspera & absurda verba vsurpauit.

### Protheoria Capituli vigesimi quinti.

DE iustitia Dei suum cuique ius, suamque dignitatem tribuente, itemque de illius potestate eximia, atque de sapientia incomprehensa hic differit Elius. Ex iis autem, quæ gignuntur in aëre, procellis, tonitruis, necnon ex belluis, atque iumentis suæ fidem facit orationi. Ex animantium porro genere quædam esse docet, quæ de die opus faciunt, nocte verò ad quietem reuocentur: nonnullis autem diurnum datum esse laxamentum, ne in homines incurrant infestæ: de nocte autem cibi causa circumscribendi iis esse laborem. Additque Elius aquis Deum interdum ad hominum disciplinam, nonnumquam ad beneficium & gratiam vri solere: atque è tenebris quidem lucem, è lucis autem secessione noctem efficere, atque moliri: nec verò illius posse sapientiam cogitatione informari. Vbi autem de ea magnificentius orationem pertexuit, ea clausula vitur, Deum timendum esse omnino. Quod eo facit consilio, vt & Iobus designat aliquando verbis Deo aduersari, & vt illius iudiciis, quæ mens potest nulla complecti, libens concedat. Ergò mirificè Elius, maxime non longè ab extremo, de diuina præstantia ac sapientia disputauit. Et Iobus quidem nil planè contradixit. Deus autem, id quod ex huius ipsius diuinæ scripturæ auctoritate perspicere potest, Iobi sermones suo suffragio comprobauit.

*Dicens autem Elius adhuc, ait; Sustine me paululum etiam, vt doceam te: adhuc enim in me est sermo suscipiens scientiam meam longe.* Quoniam etiam nunc habeo de Deo dicere, volo, paulo altius repetita oratione, scienter sapienterque differere. Itaque ea complectere, ac discere, quæ mihi nunc dicenda sunt.

*Operibus autem meis iusta dicam, in veritate & non iniuste verba, iniuste intelligens.* Orationis meæ, quam nunc instruo, æquitatem, Dei factis confirmo. Illud nimirum intelligo, quæ ipse cognosco, verè me cognoscere, nec me iniusti quidpiam cogitantem loqui. CHRYS. Ipsa rerum iusta euenta commemoro; haud tibi

D d verba

verba dabuntur. Illud tibi prouidendum est, ne quid iniuste suscipias, sint tibi notitiæ incorruptæ; nunc enim, ut tute cogitas, iniuste cogitas; haud dixit, Iniuste fecisti; sed, Iniuste cogitasti. Veruntamen audi me: nam nec mendaces, nec iniqui mei sunt sermones.

*Cognosce autem, quod Dominus non respellet innocentem. Potens robore corda impiorum non rursificabit, & iudicia pauperum dabit.* Sic igitur habeto, nunquam de eo, cuius est innocens vita, oculos Deum deicere, nunquam a se ablegatum dimittere; tamen iustum in ærumnis, quas illi bono esse vult, interdum relinquere videatur. Cum verò is, qui viribus ac potestate pollet, coercet impios; pauperibus, qui sunt iniuriam passi, ut eius postulant iudicia, opitularur.

*Non auferet à iusto oculos suos.* Oculi enim Domini super iustos.

*Et cum regibus in throno collocabit eos in victoriam, & exultabuntur.* Ita fit, inquit, nonnunquam, ut tanto apud homines, dignetur Deus iustos honore, ut & eos in regum sella, ac folio collocet, & tandem trophæis nobilitatos amplifcet.

*Et vincli compedibus continebuntur in funiculo paupertatis, & annuntiabit ipse opera eorum, & peccata eorum, quia robusti erunt.* Symmachus autem, Quia vi coegerunt. Deus, inquit, cui etiam curæ sunt improbi, vinclis eos constringit, vexatque inopia; ut, postquam sua scelera recognouerint, ab iniustitia atque tyrannide discedant.

*Veruntamen iustum exaudiet.* Id cum eo, quod antè dictum est, cohæret: ut sit ita; Non auferet à iusto oculos suos, suam, inquit, insipientem prouidentemque potestatem; verum illum ipsum audiet.

*Et dixit quia conuertentur ab iniustitia, si audierint, & seruiert, consummabunt dies suos in bonis, & annos suos in felicitatibus.* Diuinæ disciplinæ rationem, qua Deus ex ipsis factis salutem hominibus querit, moniti cuiusdam, quod aurium sensum percellat, & quo homines frugi erudiantur, similem esse confirmat. Si igitur, inquit, dicto audientes Deo seruiert, beatam & bonis cumulatam vitam traducant, necnon cum gloria ad senectutem peruenient.

*Impios autem non saluat, eo quod ipsi nolunt scire Dominum, & quia admoniti inobedientes fuerunt.* Impios, inquit, non saluat, non ideò, quod is illis exitij sit auctor; sed eam ob rem, quod ipsi illi insita, naturalique ratione Deum cognoscere minime voluerunt, Deique suadenti disciplinæ, eiusque cohortationi parere recusarunt.

*Et hypocrita corde ordinabunt furorem. Qui corde sunt, inquit, hypocritæ, id est, qui speciem dumtaxat pietatis ostentant, ij contra se ipsos diuinam iram opponunt atque constituunt.*

*Non clamabunt, quia rinxit eos.* Neque oculos, neque clamorem ad Deum tollunt, à quo tamē calamitate eripi possent: propterea quod, inquit, eos Deus astrinxit: ac nimirum is etiam vnus illos potest vinclis expedire.

*Moriatur igitur in inuentute anima eorum; vita autem ipsorum vulnerata ab angelis, eò quod attriuit debilem & impotentem.* Iecirco, inquit, immaturè decedunt, ab angelis mortem inferentibus fauciati, propterea quod per iniuriam vexarunt eos, quorum humilior erat condicio.

*Iudicium autem mansuetorum exponet.* Mansuetorum iudicium, atque vindictam Deus decernet. Hæc enim voci illi, *Exponet*; vis subiecta est. Mansuetos autem aut eos, qui sponte sua, certoque consilio iusti sunt, intelliges; aut eos, qui affecti iniuria, ob infirmitatem tacent.

*Et præterea quia decepit te ex ore inimici.* Cum verba illa, iudicium autem mansuetorum exponet, interposuisset, rursus ad hypocritarum personam reuocat orationem. Plectitur, inquit, hypocrita, non ob eas solum, quas iam exposui, causas; verum etiam, quod hostili ore mansuetum fefellit.

*Abyssus effusio sub ea, & descendit mensa eius plena pinguedine.* Vbi hinc excesserit hypocrita, abyssus ei, & quæ abyssò subiecta est, effusio referuatur, tenebræ, inquam ipse exteriores: tibi verò mensa dabitur adipis plena. Fortasse etiam hypocrita comparatur abyssò, propter clandestina, altaque consilia, & quia simulatio-

nis

nis velo regit insidias. Ex quo qui fidem illi adiungunt, naufragium faciunt: atque hæc ipsa est causa, cur compareretur effusioni aquarum, sub quibus saxa latent, & scopuli, qui nauigantibus, atque vectoribus periculum creant. Quod si ad diuini operis admirabilitatem interiecta verba illa referantur, hoc ait, effusionem illam, quæ subter est abyssum, esse nihilum. Nam illam, profusione subnixam esse, prorsus fuerit admirabile.

*Non deficiet autem à iustis iudicium: furor autem super impios erit propter impietatem donorum, quæ acceperunt in iniustitijs.* Iustorum iniuriæ had relinquuntur inultæ: Quis enim? cum iis opipara, & adipata mensa paratur? Impiis autem diuinæ animaduersionis vitandæ nulla erit potestas ideo, quod & ius pecunia violarunt, & impiè, sceleratèque agendi rationem delegerunt. Ergo de iis, qui iudicantur iniuste, iuste iudicabitur.

*Ne te inclinet voluntaria mens obsecrationis, quando in necessitatibus sunt impotentes, & omnes validos robore.* Id est, eorum qui ad vlciscendum, opitulandumque valent, ne te prudens consilium à recto abducatur, quando homines imbecillitæ indiguerint opis; quin etiam eorum necessariis temporibus succurre, quantum pars tua virilis patietur.

*Ne extrahas noctem, ut ascendant populi pro eis: sed observa ne facias indecentia; ab his enim liberatus es à paupertate.* Symmachus autem, Ne studiosè cures, ut noctu ascendant populi in locum eorum. Hæc autem horum verborum vis est, Neque illos, qui viribus valent, afficere debes iniuria, ne forte noctu, & clam irrumpentes, hos quidem suis extrudant sedibus, pro illis autem alios substituant. Ita docet, iuris æquitate erga omnes vtendum esse, & quamuis indignitatem vitari oportere. *Ab his enim liberatus es à paupertate,* id est, ab ea consuetudine, quæ indigna sunt, faciendi; paupertate liberabere, hoc est, haud te paupertatis attinget ærumna. Quare illa, quæ minimè decent, nec eligere, nec præferre debes inopia.

*Ecce fortis corroborat in fortitudine. Quis enim est contra eum dynasta?* Ab hominum iustitia ad Dei fortitudinem, iustitiamque traducit orationem. Ac vide, inquit, quanto robore sit Deus, qui magno robore, diuinaque vi efficiat vniuersas; & qui ex collatione quapiam ad illius queat potestatem adspirare, prorsus sit nemo.

*Quis autem est, qui exquirat opera eius? Quis verò, qui dixerit, Fecit iniusta?* Nemo, inquit, prouidentia diuinæ consilia exquirere audet, nec fas est cuiquam dicere, iniusti quidpiam ab eo gestum esse.

*Recordare, quia magna sunt Dei opera, quorum dominati sunt viri.* Mente, inquit, pertracta, & quæ Deus, cum ad res creandas ingressus est, effecerit, tecum ipse reputa: sunt enim admirabilia, quamuis cōsuetudinis vitio videantur minora: opera Dei loquor, quorum iam inde à principio est à Deo hominibus mandatum imperium. Dominentur, inquit, piscibus maris, & volatilibus cæli; & Psalmorum Cantor, Omnia subiecisti sub pedibus eius.

*Omnis homo vidit in seipso.* Id est, cunctis hominibus est insita Dei cognitio. *Quicumque vulnerati sunt mortales.* Illud, *Quicumque*, est, pro, Omnes. Est enim omnium vulnerari, id est, patibili, & mortali natura constare. Symmachus verò, qui locum hunc sic conuertit, Vnusquisque adspiciens longè, \* indicauit vulnus hoc dici ipsam mentis stimulantem, excitantemque motionem. Ij enim, qui stimulo concitantur, excitantur vehementius, animumque magis intendunt.

*Ecce fortis multus, & non cognoscemus.* Verbū hoc, *Multus*, & ad id, quod nec certis est finibus circumscriptum, & ad numerum, qui comprehendi nequeat, solita est Scriptura transferre. Quando igitur Dei magnitudo ac vis quantitati subiici nequit, iecirco dixit, eum, qui fortitudine præditus est, multum esse, esseque nostra scientia superiorem.

*Numerus annorum ipsius etiam infinitus.* Hoc est, æternus. Est autem in nonnullis codicibus, *Numerus viarum*, tanquam diceret, Viæ illius, & iudiciorum, quæ inter nos exercet, itinera inuestigari non possunt.

D d 2

Nunus

\* Exemplar  
habet τῆς  
ἐν τῷ Δα ἡ  
ψις ἐλέγχθη  
crediderim,  
non νίψις, sed  
νύψις legendū  
esse.

*Numerabiles autem sunt ei guttæ pluuia.* CHRYSOST. Hic scientiam, & prouidentiam narrat, nec immoderatum, sed certa numeri ratione temperatum imbrem è nubibus ab eo demitti.

*Et infundentur imbrés, in nubem fluent vetustates.* Guttæ, inquit, fluunt ex ipsiis, has enim vetustates nominauit. Quoniam à p̄fciis id fit temporibus: pro quo Symmachus, Fluunt ex æthere.

*Obumbravit autem nubes in tonitruis ineffabilibus.* Merito quispiam illud miratus fuerit, si cum animo suo diligenter considerarit, qui fieri possit, vt vsque eò rarus aer ita concreseat in nubes, vt cælum ipsum opacet hominibus.

*Et si intellexerit extensiones nubi, equalitatem tabernaculi eius.* Necnon illud admirabilitatem cuiuspiam faciat, cum cognitum intellectumque ei fuerit, quemadmodum post puillam nubem conspectam, concretionem nubium, cælum contegatur vniuersum. Tabernaculi verò nomine cælum significauit.

*Super ipsum autem extendit lætitiã.* Symmachus autem, Extendit super illum lucem suam. Alia verò exemplaria pro *Lætitiã*, Arcum, habent. Ergo, si homini perspecta ratio fuerit, quemadmodum, eoagmentata iam nube, solis radij, ipsarum nubium tenuitatem, raritatemque complexi, efficiat arcum, quæ Iris à pleuris que nuncupatur; nempe is Opificis mirabitur sapientiam, qui in nubis crassitudine, pluuia vtilitatem mortalibus præbuerit; in gracilitate autem, atque raritate cum arcum visendum proposuit, voluptatem terræ incolis excitari: quòd non amplius sint homines perdendi eluue, sed aquarum à Deo impetus reprimendus, vt ne sui ipse fidem fallat promissi.

*Et firmamenta maris abscondit; in ipsas enim iudicabit populos.* Aut hoc dicit, ipsum cælestem arcum vsque ad mare pertinere: aut verò, a Deo ipsas radices ac fundamenta maris occultata fuisse, cum nemo intelligat à quonam mare portetur. His autem rebus Deus animaduertit in homines; cum aut mare aut grandinam, aut eiusdem generis rem quampiam aliam in terras immittit.

*Dabit autem cibum potenti.* Symmachus autem, Præbebit cibum omnino multum, est interpretatus, id est, imbrium opportunitas, frugum vbertatem solet adferre.

*In manibus abscondit lucem.* Ipse, inquit, dominus est, & effector splendescens lucis. Neque enim vllus est locus, qui lucem tegere possit, nec potest quisquam ipsam prorsus oculere.

*Et annunciat de ea in obuiante.* Symmachus, Et præcepit ei, vt occurrat, est interpretatus. Cum nocte, inquit, lucem contegat, vt noctem efficiat, rursus ei præcipit, vt obuiam procedat: ac si diceret, Dies ac noctes illius nutu ac voluntate sibi vicissim succedunt. Illud autem, *De ea*, ad lucem. Illud alterum, *In obuiante*, ad solem retulit.

*Annunciabit de ea amicis suam.* Symmachus, Annunciabit de hac amico suo, id est, nunquid de huius rei effectione aut cum altero deliberat? aut verò communicat? vt lectio cum interrogatione fit. Possunt etiam ad hanc sententiam illa eadem verba traduci, Harum Deus cognitionem rerum amicis suis impartitur.

*Possessio etiam de iniustitia.* Alij codices, *Domini possessio*, habent; Symmachus autem, Zelus de iniustitia, conuertit. Est autem sententia huiusmodi, Numquid Deus de sua possessione cum aliquo consilium communicauit? aut verò de ratione, quemadmodum exardescat, & animaduertat in facinorosos? Aut etiam ita, Deus suis nunciabit amicis, vt illius sapientiæ possessionem, non item, quæ iniusta sunt, consequantur.

**E**T ab hac per turbatum est cor meum. Ex hac, inquit, contēplatione cum non possit mea mens in Dei sapientiam aciem intendere, commota est, atque extra se posita, propterque admirationem exiliens. In eadem fermè \* animi constitutione positus Paulus, plenam admirationis vocem illam misit, O profunditatem diuitiarum, & sapientiæ & cognitionis Dei! Symmachus autem, Et de his metu trepidat cor meum.

Et de

*Et defluxit de loco suo.* Hoc est, sedem suam propemodum deseruit.

*Audi, audi in ira furoris Domini, & meditatio de ore eius egredietur.* Aquila autem, Et sonus. Vim, inquit, audiendi animi tui aperi, & quæ à Deo sint importata horribilibus, contemplare, vt damna ob grandinem, vt vim imbrum nimiam, vt terræ squalores, vt frugum exitium: fermè enim his rebus loquitur Deus; ac nobis sapientiæ potestati que suæ scientiam tradit, terroremque infert. Hæc igitur commentatio ac disciplina, vt eum, qui isthæc effecit, metuamus, nobis suadet.

*Sub omni cælo principatus eius.* Ij quoque, qui infernas incolunt regiones, in Dei sunt imperio, ac ditione, nec nostras res patitur imperante prouidenteque potestate carere.

*Et lux eius super alas terra.* Id est, ad vltimas terras illius manat prouidentia; vel etiam, quòd vbi primùm diluxit, orbis terræ termini ab eo illuminantur.

*Post se clamabit voces tonabit in voce iniuria sua.* Pro, *Iniuria sua*, Aquila, Excellentia suæ; est interpretatus, id est, præstantia, & comminationis. Cum diuinæ naturæ præstantiam veller ponere in conspectu, magnos atque horribiles tonitrus, sonitus quasi cuidam tonitrus duci ac regi comites addidit. Quando, inquit, voluerit Deus suis mandare affectatoribus, continuo tonitruum scinduntur voces, diuinæ comminationis atque excellentiæ indices. Illud autem, *Post se*, huic par est, Cum is voluerit. Nam simulatque is voluerit, voluntati factum obsequitur, cunctaque illi morigerantur.

*Et non commutabit eos, quia audiet vocem \* eius.* Symmachus autem, Non inuestigabitur, audito sono eius, id est, nemo potest inuestigare, aut percipere rationem, quemadmodum vox efficiatur tonitruum. Verùm ad Septuaginta interpretationem sic, Vbi iusserit Deus, haud fas est tonitrus sonos commutare: quoniam illi parent, nec possunt non obtemperare.

*Tonabit Fortis voce in sua admirabilis.* Id est, tanquam vocem quampiam Deus mittat, sic tonitruum ad eos, qui audiunt, perterrendos edit. Tonitruum autem ipsum vocem ideo dixit, quia Dei efficitur imperio.

*Tempus posuit iumentis; cognouerunt autem cubili ordinem.* Tempus pro mensuris, terminisque posuit, vt quædam inseruiant hominibus, alia verò vt non eorum ferant imperium; sint etiam nonnulla, quæ de die, quædam quæ de nocte Prouidentia lege quiescant, vt ne in hominum salutem incurserint.

*In his omnibus non obstupescit mens tua? neque recedit cor tuum à corpore?* Annon sunt hæc, inquit, eiusmodi, vt & mortem tuam à seipsa, & animam à corpore quodammodo discedere cogant? CHRYS. Qua tandem ratione animalia carentia ratione norunt ordinem, tum cubilis, tum congressionis? Ac vide quemadmodum non hoc dixerit, Admiratur mens tua; verùm, Non *ὀλιγωρεῖ* obstupescit, atque extrâ se rapitur. Nam reipsa stuporem atque horrorem affert tantus ordo, quem animalia rationis expertia tuentur. Vt intelligas, haud tua te ratione, sed ab eo, qui tibi rationem concessit, gubernari.

*Fecit enim magna, quæ non nouimus.* Id est, admirabilia sunt opera Dei, neque eorum rationem ipsi consequi possumus.

*Qui constituit niui. Sis in terra: & tempestas pluuia potentia eius.* Constituit, pro, Præcipit, dictum est. Dicit enim niui, Descende in terram, & descendet. Tempestas autem, atque imbrum effusio potestatis eius est opus, non secus, quàm niuis immissio. Planius est hæc Symmachus interpretatus, cum dixit, Et procella pluuis fluctuabit, imber fortitudinis eius.

*In manu omnis hominis obfigurat.* Tempestas, inquit, obsignat atque hominum manus penè vinculis astringit, atque ab opere auocat.

*Vt cognoscat omnis homo imbecillitatem suam.* Ob id ipsum, inquit, sunt Dei opera admirabilia; ideo frigus existit & æstus; ideo minimè æquabiles cæli tempestationes. \* Nec enim dignitatis pleno licuit vti vocabulo. Verùm, vt mentis claritatem, & contumaciam vsquequaue Deus coerceret; vt cuilibet homini sua perspecta foret imbecillitas, secus est omnia molitus, tum creationem, tum corporis apparatus, atque structuram, tum viuendi rationem, vt nostræ infirmitatis

D d 3 conficij

conscij, modestè de nobis sentire discamus.

Ingressæ autem sunt fira sub tutamentum ab aeris frigiditate. In silvas atque speluncas feræ sese abdunt.

Qui fuerunt autem in cubili. Summa enim hiems prodire non finit; verum intra illas cogit se continere.

De penetrabilibus veniunt dolores; à summitatibus autem frigus; & à spiritu Fortis dabitur glaciem. Symmachus autem, A flatu Dei dabitur glacies. Anceps sententia. Aut enim hoc dicit, A frigore, veluti ab obruto quopiam thesauro cieri dolores, & à summitatibus atque verticibus procellam, atque eluuiem in reliquos mitti. Aut, quod videtur probabilius, A penetrabilibus, idest, ex visceribus, iis, qui obriguerunt, oriri dolores. Summitates autem, hoc est, summas corporis partes, magis quam reliqua membra frigore tentari. Spiritum autem Dei ventum ipsum appellavit; quippe qui divino imperio excitetur.

Gubernat autem aquam, sicut visus. Ex suæ sapientiæ præscripto Deus vitur aqua non secus quam peritus gubernator, qui sedet ad clauum.

Et electus obstupescit nubes. Alij codices pro κενεπλάσσει, obstupescit, κενεπλάσει habent. Hoc igitur dicit, Ut electus, hoc est, homo sapiens in tenebris versetur, & harum rerum admiratione percellatur; aeris inquam, conuersio, atque coneratio, nubiumque constitutio efficit. Symmachus autem, interpretatus est, Sed & fructu ingruet nubes: quare illud κενεπλάσει ἀπὸ τῆ ἐπιτολαζεί dictum est: nomine autem electi, fructus declaratur. Ingruet igitur nubes fructu, idest, prodibit, effundetur.

Sparget nubes lumen suum. Aliter, Dissipabit lumen eius. Aut hoc dicit, ab aere, qui completus est nubibus, dissipari atque occultari lucem. Aut illud potius, solis luce, quæ resplenderat, aeris, quæ à nubibus oritur, tristitiam profigari. Aut etiam illud indicat, è nubium collisione atque conflictu lumen existere, atque emitti: ac si diceret, fulgurum causam in nubibus consistere.

Et ipse circuitus transfertur. Deus, inquit, ipse vndique nobis cogit atque accersit, iubetque tempore adesse; seu, quemadmodum exponit Symmachus, ipse versat orbem, \* omnia permeat, omnibus adest.

\* κενεπλάσει ἀπὸ τῆ ἐπιτολαζεί.

In thebulathoth in opera eius. Symmachus autem, In gubernatione eius ad operandum ea: vt si diceret, Ut fert eius voluntas, sic aqua gubernatur, atque hæc omnia is nostris commodis metitur. Alij vero codices sic habent, In infimis ponens opera sua. Nostrum, qui in terris versamur, causa hæc ille molitur.

Omnia quacumque præceperit eis, hæc constituta sunt ab eo super terram. Quæ gignuntur, inquit, in aere, atque ad terras demittuntur, Dei iussis imperiisque eueniunt.

Sive ad disciplinam, sive ad terram, sive ad misericordiam inueniet eum. Et hæc fiunt, inquit, siue ad nocentes corrigendos, siue ad terræ fertilitatem, fructuumque vbertatem, siue alias ob causas haud nobis perspectas. Illud certum est, vt misericordiam mortalibus tribuat, isthæc administrari. Illud ergo quis inueniat, à Deo his de causis illa fieri? Hinc vt intelligas, ideò hæc euenire, vt aut disciplinam complexi ad frugem se bonam homines recipiant, vel propter terræ fructus, ac fetus; modò Deum illa sit nacta ad benignitatem procliuem.

Auribus percipe hæc, Iob, sta: commone potentiam Domini. Hoc est, iis, quæ dicta sunt, mente assentire, & quanta Dei sit vis, considera. Sic Aquila, Theodorio, Symmachus, Contemplare, intellige, cogita.

Scimus quia Dominus posuit opera sua. Symmachus, Nunquid cognosces quando constituit Deus de ipsis?

Qui fecit lucem de tenebris; scit autem differentiam nubium. Nempe harum rerum, inquit, auctorem Deum esse intelligimus. Cuius illa prima vox fuit, Fiat lux, nempe ea, quæ prius non erat: hoc enim valet illud, E tenebris; qui etiam inter nubes discrimen constituit; vt quædam in maiorem imbrem, partim in pluuiam existem, alia in niuem vertantur. Symmachus autem sic, Nunquid aderas Deo fabricanti mundum? quando tenebris erant aquæ obductæ? quando cuncta sua opera suo arbitratu descripsit, ac designauit? Ergo Dei potestati concede, illiusque

que incomprehensibilis cede iudiciis. Hæc autem eò dicit, vt, quantum perspicere potest, terrorem Iob iniiciat; ei scilicet homini, qui Dei timorem \* castitatis auctorem nunquam deferuit. Illius enim ea sunt verba, Manum autem Domini si non formidauit.

\* ἀγνοοῖσθαι.

Ingentes autem ruine improborum: tua autem vestis calida. CHRYSOST. Hoc ait, Nunc versaris quidem ipse in doloribus; sed tamen postea respirabis. Est enim id sapientiæ diuinæ, vt laxamentum quoddam, atque exitum malis quærat humanis. Tu, inquit, vestis etiam nunc est corporis concalescens doloribus; quam quam probabile est, etiam refrigeratum iri.

Quiescit in terra ab Austro. Austri flatibus cessat, & profligatur hiems. Cùm enim hic sit ventus calidus, glaciem, frigusque dissoluit.

Soliditates cum ipso in vetustates: valida sicut aspectus effusionis. Pro quibus Aquila, Ipse firmavit cælum in conueriones: validæ sicut aspectus suffusionis: vt eiusmodi sit sententia, Olim ipse firmum ac solidum firmamentum est fabricatus, & illud quidem è fluxa, ac fluente aquarum natura, & solidæ quidem concretiones, & quasi in crystallum redactæ aquæ cum eo sunt: hoc enim interdum, illud nonnunquam facit. Verum, licet ex aquæ concretionem crystallum existat; eius nihilominus aspectus atque species, effusionis est species, idest, aquæ, labentisque naturæ.

Quamobrem doce me, & cessabimus multa dicentes. CHRYSOST. Cur hæc, inquit, contingant, haud possumus ab eo causam sciscitari. Hæc si potuerimus tantum discere, nihil ego præterea dixero.

Nunquid liber aut scriba mihi assistit, vt hominem stans flere faciam? Nunquid è tabulis, aut è codice hæc apud eum dicimus? Quisquamne reperiat homo, qui dicat, Vincla ei silentij iniiciemus? An non perspicis pro literis hanc esse rerum omnium vniuersitatem vocibus vndique personantem?

Cunctis autem non est visibile? lumen eius splendidum est in antiquitatibus: sicut quod ab eo est supra nubes, à borea nubes aurei fulgoris. Non est cunctis lux eius proposita ad contemplandum? Annon ex innumerabilibus temporis interuallis resplendet? similiter, vt ipsum illud lumen, quod effectum à Deo nubes illustrat? Namque illius imperio Boreas nitidas, & fulgorem auri imitantes nubes adducit.

In his magna gloria. Theodorio autem, In Deo magna gloria. De Deo autem firmidolosa laudatio, & honor ab Omnipotente, & non inuenimus alium similem fortitudini eius. Ex his, inquit, colligi potest, magnam à nobis Deo laudem & gloriam deferri oportere; præsertim, cùm is nostri generis sator ac princeps fuerit, cuius summa est sapientia, summa potestas.

Iusta iudicans non putas exaudire eum? Propterea quòd antea dixerat Iobus, Clamabo, & nunquam iudicium; nunc Elius pæne illo arrepto sermone, inquit, Noli putare ab eo, qui iustus est iudex, & curat omnia, nostra contemni. Etenim is omnia audit, ac suum cuique ius, suamque tribuit dignitatem.

Ideo timebunt eum homines, timebunt eum & sapientes corde. Ergo, cùm Deus, inquit, tanta sit magnitudine, tanta sapientia, tanta potestate, nimirum ab homine imperito, ac vili, eum fas est pertimeri: tantò etiam magis à sapiente metui, quanto scientia ampliore fuerit exornatus.

Protheoria Capitis Vigesimo sexti.

Postquam autem cessauit Elius à sermone, dixit Dominus Iob per procellam & nubes. Diuitiæ & paupertas, valetudo, & morbus, honos atque ignominia, omnis denique hominum vita, tentationum locus, & piratarum cuneus est; vt Iobus, qui per arma iustitiæ à dextris & à sinistris in omni se contentionis genere exercuit, nos docuit. Is enim, quandiu locuples fuit, communis egentium thesaurus fuit, quandiu gloria ac potestate viguit, imbecillis suppetias tulit. Non eum diuitiæ futiliter extulerunt, non splendor superbiam peperit. Ita, cùm primas caueas strenuè transilisset, secunda, difficilioraque sunt ei certamina diuino permissa

missu instituta, cum aduersus Diaboli improbam calliditatem vniuersam instructus in aciem venit. Nam, qui rex erat, qui multa sobole, qui gloria florebat, qui opibus circumfluebat, abiectus iacebat in stercore, opibus nudatus & gloria, per irrisionem delusus, affectus viceribus, manans sanie, cunctis hominibus siue qui antea, siue qui in calamitate postea fuerunt, ærumosior. Amicorum autem colloquutio ac disputatio acerbiorum illi fuit additamentum; cum ei pro consolatione ægritudinem, acerbiorumque cruciatum adhibuerunt. Verum enim magnus athleta, cunctis iam certaminibus legitime exantlatis, diuinam audit vocem, de præclaris ipsius contentionibus prædicantem. Iccirco enim, inquit, sum passus te cum ista bellua decertare, vt tua iustitia enitesceret, essetque hoc patientiæ simulachrum vniuerso hominum generi ad animi solatium propositum. Siue enim quis è diuitum choro ad egentium gregem defluxit, Iobum is pro solatio habet. Siue alterius claritatem obscuritas oppresserit; dummodo is Iobum spectet, molestiam suam obruderit. Siue à copiosa & præclara sobole ad orbitatem deductus sit, sermonem illum vsurpare docetur. Dominus dedit, Dominus abstulit. Quod si vxor etiam lacerauerit, obiurgatione repellitur. Vt iam hæc Iobi historia ad omnem solandam ægritudinem idoneum sit medicamentum; vt nec iam quisquam, qui in grauissimam ærumnam incidit, illam tanquam insolentem miretur, nec admirabile admodum videatur, si in eum insultent atque conuicia iaciant amicissimi. Sed nimirum diuinam vocem attendamus, & quamobrem Deus eiusmodi verbis apud Iobum vsus sit, breuiter consideremus. Ergo, cum amici de Deo, deque eius sapientia, vi atque magnificentia rectè existimassent; cum item homines ob peccata tantummodo malis vgeri pronunciasent; & quoniam, cur tentationibus homines exerceantur, ignorabant; cum nec opportunam, nec commodam orationem de tali viro vsurpassent. Iustus ipse quoque optimam, absolutissimamque de sapientia Dei orationem expromit. Cumque nullius rei, quæ tanta plaga digna esset, sibi foret conscius; amicis, peccatorum eum suorum penas dare confirmantibus, haud assensus est; quamuis nec ei foret sui certaminis causa explorata. Itaque prodit Elius, nec iustum tamen condemnat, neque illud statuit, propter culpas, eidem calamitates importatas esse; in quo ipso melior videtur, quam amici. Attamen Iobi sententiam, vnde manabant sermones illi, quibus accusari Deus videbatur, cum minimè esset Elius assequutus, Iobum tanquam imprudenti oratione vtentem insimulat. Elius quoque ipse de sapientia & potestate Dei præclare; atque adeo mirificè disseruit. Postquam igitur omnes rectè mente diuinam prouidentiam admirati fuere; iis, cuiusmodi Iobi causa esset, ignorantibus, nec plagam illam non ad Iobum pro peccatis reponendum, sed ad virtutis exercitationem valere minimè animaduertentibus, de omnibus, quæ dicta erant, Deus facturus iudicium, ea quidem, quæ de diuina prouidentia rectè dicta fuerunt, amplectitur, atque ob id ipsum hæc de rebus ille disputat copiosius. Blanda autem Iobum oratione compellat, vt nos illius iudicia incomprehensa esse doceat. Amicos verò obiurgat, quod de rebus, quarum essent ignari, pronunciasent. At verò Elium nec laudat, qui Iobi sensum, quo verba promebantur, minimè perspectum haberet, nec causam contentionis teneret; nec verò eundem vituperat, quando quidem haud sanctum condemnauit. Iustum autem tum corona, tum præconio ornat, effertque verbis. Arcanum item enumerat, ac tætionis causam exponit. Non enim, inquit, quasi iniustus aliquis esset, sic iustus passus est Iobus; verum, quod illius iustitia appareret. Iam verò, dum eum verbis demulcet, atque confirmat, Incarnationis mysterium aperit, & communis Hostis humanæ naturæ, quem ipsum Cetum appellat, robur ac crudelitatem narrat. Tandem post multa certamina, post diuinæ vocis adhibitam consolationem, protinus est valetudo consequuta; statimque is, qui sanie disfluebat, qui vermium imbres mittebat, in statum est pristinum restitutus. Vndique ergo eorum, quibus ille notus erat, concursus factus est; qui eum sunt muneribus prosequuti. Et id quidem omne, quod ad copiam spectabat diuitiarum, altero tanto maius fuit. Tantum liberi eodem, quo antea,

antea, numero existerunt. Neque enim ij, qui corporibus iam excefferant, penitus fuerunt extincti. Et quoniam Iobus ad eam orationem, qua est vsus obsecratorius, eam mentem, quam Dei religio imbuerat, adferbat; nec dubitari potest eum de Deo rectè sensisse, etiam si iis, quibus haud illius erat percepta sententia, desipientiæ verba fundere videretur; quia etiam Elij de Deo rectè differentis orationem comprobauit: (ob eam enim ipsam rem tacuit, & non respondit) iccirco cum eo Dominus tacente, nec consilium suum indicante, sermonem orditur. Ac per aëra ad nostras aures vox diuina perfertur, non secus quam Dei eam rem molita fuerit sapientia. Neque enim more hominum loquitur Deus; sed, simulatque is voluerit, sermo foras erumpit, ac diuinas ipsi voces accipimus. Per turbem autem, nubesque loquitur. Turbo est ventorum conuersio atque contorsio. Existimo igitur turbem atque procellam ad loquendum adscisci, vt, qui circumfistebant, perterrerentur; nubes autem ideo sumi, vt cum Iobo similiter, ac cum Moysè & Aarone colloqueretur. Nam in columna nubis loquebatur ad eos, vt diuini concentus Imperator est auctor. CHRYS. Præsertim cum cæli symbolum ac nota sit nubes. Quando igitur cælum ipsum vult Iobi vertici imminere, fermè solum suum prope Iobum admouet, quod mentem eius erigat, nec vocem ferri supernè ambigat; quemadmodum etiam in arcæ propitiatoris; Hoc ipsum in monte, cum nubes illa consistit, factum mihi videtur: vt cælus, atque è superiore regione vocem mitti intelligerent. МЕТНО. Illud animaduerte, haud à primo Deum loqui hominibus; verum, vbi rebus pluribus præcursus fuerit animus, atque exercitatione corroboratus, atque in locum editum, quantum humanæ naturæ fert condicio, peruenerit; tunc demum hominibus loquitur Deus, atque iis, qui tantum superarunt ad cælum, suos retegat sermones; & quoniam turbo tempestatis est auctor, nec Iobi fides in tempestate malorum vllum naufragium fecit; sed multo magis eluxit; iccirco, qui ei oracula edit, ad superioris ærumæ procellam significandam, procellam item, dum loquitur, sumit. Atque, vt Iobi res à tempestate ad serenam tranquillitatem ostenderet demigrasse, non solum per procellam, sed per nubes etiam loquitur.

*Quis est hic cælus me consilium?* Symmachus, \* obscura sententia.

*Continens autem verba in corde? me autem putat cælum?* CHRYS. Quid faciat, attende. Mihi quidem certè videtur, coniecturam è verbis capienti, aliquid etiam Iobum mente peruoluere. Nam sanè multa in eius animo versabantur, quæ palam efferre minimè audebat. Hinc ergo primum illum excitat, docetque ad omnia humana suam prouidentiam, scientiamque pertinere. Ac primo loco ea, quæ minus digna venia videbantur, attingit. Etenim, si illa, quæ dicere est ausus, vique eò grauiora, acerbiora que erant; cuiusmodi ea fuerint, quæ in animo latebant inclusa? Ergo prioribus medicinam adhibet. Quisnam iste est, inquit, qui simul vt orsus est dicere, quemadmodum Deo sit agendum, præfinit? Ac Dei huiusmodi fermè est oratio, Cedo, ecquis se à meo subduxerit ad spectu, mira solertia, quæ arcana, atque abdita sunt, contuente? Nec enim, quia ea, quæ animo conceperat, minimè exulit, iccirco verba non sunt; nempe simul & partus & conceptus est sermo. Stultè igitur occultare ea conaris, quæ latere non possunt. Viden quam bladam, quam ad corrigendum & arguendum aptam vsurpet orationem? OLYMP. Nemo ab oculis meis remouere quidpiam potest, nec ipsas mentis agitationes; etiam si in voces sese haudquaquam induerint. IULIAN. Fortasse, quia ad ea, quæ Elius disputarat, Iobus obmutuit; nec erat Elio silentij causa nota; (neque enim is sciebat, vtrum quasi contemneret; an, quia quid responderet, non habebat, siluisset) sese nunc Deus ostendit, hæcque Iobum familiari colloquutione dignatur, dubitationemque eorum tollit; nequaquam Iobum per contemptrum; sed ideo, quod sermo ipsi minimè displicuisset, tacuisse.

*A cinge sicut vir lumbum tuum. Interrogabo te; tu verò responde.* CHRYS. Quoniam ægritudine prostratus Iobus iacebat, verbis hominem excitat, vt ad ea, quæ dicuntur, animum attendat. Interrogando autem inducit sermonem; id quod ad eoarguendum maxime valet; docetque sapienter, prudenterque à se cuncta ad-

Ec ministra

\* Symmachus videtur desiderari interpretatio.

ministrari. Neque verò id eius esse, qui sapienter hæc molitur, hominem, cuius causa est omnia architectatus, despiciere, ac malis sortitis consistere. O L Y M P. Confirmans igitur illum, ait, *Accingere*, hoc est, vir esto; animi maiorem abiice. Quoniam ad meum congressum adspirare cupiebas, en tecum disputo, en tua satisfactio postulationi tuæ verò responsum dato.

*Vbi oras, cum fundarem terram?* C H R Y S. Ain tandem? Ego tua causa tam præstanti absolutæque ratione terræ fundamenta constituente autem, cuius causa illam sum fabricatus, contemniam? Nec verò eius meminit sapientiæ, quæ vel in conformatione, vel in mundi eminet apparatu: verum, ut aliquid amplius Iobo tribuat, à terra, ac cælo huiusmodi quandam argumentationem ducit, Si propter te mundus tanta fruatur providentia, quanto magis ipse? Neque verò dixit, Cum facerem; sed, *Cum fundarem*. Nam vel hoc vnum, quod terra consistat, nullo vel fundamento, vel erepidine, subsellione subnixæ; quod tanta moies corporis adeo coagmentata, adeo constantè fixa hæreat, ut tanto temporum intervallo nunquam sit suis consilia sedibus; id verò singularis, atque eximij cuiusdam est artificij. B A S I L. Hinc discimus terræ fundamenta esse hominum naturæ ignorata. Ut autem est externorum philosophorum opinio, fundavit Dominus terram in sphaeræ, quæ mundum complectitur, centro: quippe quæ propter suum æquilibrium ex omni parte tantundem distat à cælo, ut ob id ipsum & firmam sedem obtinuerit, & immota nitatur, & fixam sit noctæ basim. O L Y M P. Sciendum est nunc primum de creatæ naturæ opificio diuinæ voce induci sermonem, ac declarari rerum omnium Deum effectorem esse, nec posse quempiam in altos illius sapientiæ sinus penetrare, nec sua pugna tantæ causam, sed etiam sexcenta quædam alia, quorum arcana sunt rationes, à Iobo ignorari. Itcirco ait;

*Visita autem mihi, si nosse intelligam.* Id est, si in vniuersitatis opificio atque effectione factis intelligis, responde mihi.

*Quis posuit mensuras eius? si nosse: aut quis adduxit finem super eam?* O L Y M P. Aquila, Canonem; Symmachus, Funiculum mensuræ, conuertit. Mensuras autem dixit, à nostrorum ædificiorum artificibus transferens; hoc item fecit, tum in funiculo, ad quod ædificij exigitur æqualitas, & in lapide angulari, vtrumque murum copulante. Dic, inquit, Num terrarum mensuras nosse? vtrum quod eius sit scabellum? quare tam graue, & grande innitatur elementum, ipse tenes? C H R Y S. Videlicet arcana rationes, quæ verbis exprimi nequeunt, intelligimus. Id porro, quod Iobo dictum est, *Accinge lumbum tuum, sicut vir, non ad eum magis quam ad nos pertinet*. Etenim nobis etiam eodem alacri studio atque erecta mente est opus.

*In quibus circuitus eius sunt fixi?* O L Y M P. Alij verò, Bases, Defixi palisulera enim ac firmamenta ipsa circulos nuncupavit. C H R Y S. Imprimis est ea, inquit, suspensa, ac pendens, quinam illam circuli sustinet; nec enim illi sunt vsquam: sed tamen terra ita fixa, stabilisque manet; ut si impositis, infixisque ea circulis gestaretur. Nam, quia circulus, quod suspensum est, minimè firmat, itcirco dixit, *Fixi sunt?*

*Quis autem est, qui posuit lapidem angularem in ea?* Quandoquidem sic firmiter coheret, diuinæ voluntatis fundamento innixa, quasi tuta ædificij structura nitetur. In manu enim eius fines terræ. Potest item angularis lapis in vniuersum accommodari, qui duos populos sic secum conglutinavit, ut bini parietes vno angulari lapide connectantur. C H R Y S. Ergo nec fortuito, nec temerè tanta extitit terra. Quinetiam mihi videtur, siquid ei addatur, futurum inane; siquid detrahatur, euersum, corruptumue iri vniuersam, & nimirum hinc funis & mensuræ spectant.

*Quando facta sunt cæstra, laudauerunt me voce magna omnes angeli mei.* C H R Y S. Alij verò, Simul filij Dei. Hinc planum est, primos ante mundum angelos effectos esse; & voce, inquit, magna laudauerunt, hoc est, ipso adpectu obstupuerunt, cum multitudine, pulchritudinem, dispositionem, vtilitatem, varietatem, ornatum, splendorem, concentum, cæteraque omnia, quæ multo illi, quam nos, melius vident, intuerentur.

*Circunde*

*Circundedi mare portis.* Id est, certis finibus ipso imperio circumscripti.

*Quando fluctuabat de ventre matris egrediens.* Illud, *Fluctuabat*, pro eo est, *Constitabatur*, impetu ferebatur, & *ipsum mare* dicitur, quod est, futuriis quibusdam impellebatur; quâdo veluti infans in lucè ab ipsa edi abyssu prope- rans appellauit, prohibitum esset. Matrem aut ipsam dicit abyssum, aut certè Dei potentiam, quæ perfectum est, ut mare existeret. C H R Y S. Quædam exempla- ria pro illis verbis, *Quando fluctuabat*, habent, *Quando obstetricabatur*, *ut ipse*; hoc est, tum demum, cum gigneretur, illud moribus sepsi. Sed cur dicit, *Quando obstetricabatur?* Vt significet non statim omne, sed paulatim productum fuisse, tanquam ab obstetrice curarum. Primum enim diffusum est, deinde conformatum atque collectum.

*Posui autem ipsi nubem vestimentum; caligine autem ipsum infantia panni involui.* Symmachus autem, *Quasi nubem* circumuolui illud: siquidem ab eo nubes, & nebula oriuntur. *Quasi verò de infante loqueretur*, dixit, *Posui, & Panni involui*, id est, obuolui. Quia enim vteri matris meminerat, in translatione perseueravit. Illud igitur, *Quasi recentem partum caligine nubibusque involui*, id est, vndi- que texit. Nec verò id in naturam tantum vaporum, qui eliciuntur ex aquis, referas: & id enim meo agitur imperio. Verum cur dicit, *Panni infantia involui?* Vtrum, quemadmodum infanti panni sunt perquam commodi, sic etiam mari nubes, ac nebula? An quia id à principio factum est? an quia his illud continetur? an verò id quod admirabile est, ostendit his loco, nimirum fluxam se aeri impartiri esse naturam? & mare quidem non solum terra, verum etiam aere contineri? ut neque sublime, neque in latus vllum, extra mensuram ac lineam se queat efferre?

*Posui autem ipsi terminos, circumponens claustra & portas.* Illi, quod supra dictum est, hoc est simile. Circundedi mare portis. Nunc autem claustra & portas vocat imperij sui circumscriptionem ac firmitatem; certis, inquit, maris fluctus regionibus definitiui; ne, si forte lineas transilirent, finitima terræ, & continenti exitio essent, atque calamitati. C H R Y S. Hinc docet, quasi vinclis constructum sit, mare consistere. Ergo his verbis rei firmitatem; illis, quæ consequuntur, etiam facilitatem ostendit; subiungit enim;

*Dixi autem ipsi, Hucusque venies, & non transgredieris: verum in te ipso comminuetur fluctus tui.* C H R Y S. Symmachus autem, Hucusque autem constituta sit elatio fluctuum tuorum; sic enim illud tutò continet, tanquam esset vetricibus obfirmatum; ita autem facile, quasi imperasset. Dicit enim, *Nec est qui contradicat*; & illud ipsum sit, quod dicit, *parerque mare*, non modo, cum nulla ipsum impellit necessitas; sed etiam, cum magnis viribus atque impetu caditur. Hac enim de causa Deus illud nec transgredieris, nec mite esse passus est; ut, cum diuino imperio pugnaute natura, diuinoque iussu semper vincente, esset Dei potestas prædicabilis. Etenim, si foret aqua pacata, ordinis concinnitatem, atque moderationem, naturæ aquæ plerique adscriberent. Nunc verò conturbata, verberata, intrinsecus protusa, cum suis finibus excedere nequeat, nimirum ipsa turbulentæ agitatione Dei prædicat potestatem.

*Ait \* tecum ordinavi splendorem matutinum?* C H R Y S. Rursus hinc ad cælum deduxit orationem, cum antea de rebus inferioribus differuerit. Aderasne, inquit, quando dixi, *Fiat lux?* Et verbo protinus comitatum est opus.

*Lucifer enim vidit suum ordinem.* Alij verò, Ostendisti Auroræ locum suum, ut apprehenderet alas terræ. C H R Y S. Siderum princeps est Lucifer. Ordinis venustatem in aquis didicisti, in cælo nunc eandem intueri, illicque etiam cognosce, non natura sed Dei providentia res gubernari. Si enim tantus est ordo, tantusque rhythmus in ea, quæ fluxa est, & inconstans natura; cum id ipsum in cælo spectaueris, harum rerum auctoris tibi veniat in mentem. Quid autem sibi vult, apprehendere alas terræ? id est, circumire. Nam, simulatque Lucifer extiterit, lumen in omnes terras diffundit, sineque orbis terræ attingit. Ut iam

Le 2 idiplum

\* Aug. frem-  
bat ex ve-  
ro matris sue  
volè progred-  
di.

\* in 18. adu.  
Teci consisti.

idipsum in sole minime mirandum sit, cum idem contingat in stellis, vltimasque terras Lucifer sua luce collustrer, quas vna nocte complecti dicit?

Excitare impios ex ea. CHRYSOST. De latronibus, de iis, qui sepulchra effodiunt, ceterisque omnibus, qui ad scelera socii vultur nocte, loquitur. Namque hoc hominum genus post lucis exortum non amplius licet ter auder in terris; sed potius exterminatur, & compescitur. Lucem enim, a qua illi arguantur, odere.

\* 2. αλυσίον, id est, predicandū, sumo sumo. August. \* 2. τὸ κέρμεν ἐστὶν ὁ κόσμος. ὁ δὲ κόσμος οὐκ ἐστὶν ὁ κόσμος. CLEMENS IN EUCHARISTIA.

Aut tu sumens terra lutum, formasti animal? & ad loquendum aptum posuisti illud super terram? OLYMP. SEVERI, ISIDORI, & CHRYSOST. Num ipse, o sobe, terram sumpstisti madidam ad fingendum hominem? aut illum, uti egomet feci, ratione exornasti, & a mundo mundum extraxisti? Quando reliquæ res omnes ratione caruerunt, ut ea tanquam præcipua, ac summi insignis homini traderetur? Prædicandum autem dicit animal ipsum, compositionis, quod collocatum fuit in terra. Ego quidem certe vtroque nomine Deum admiror, vel quod corruptioni obnoxium humanum corpus consistat; vel quod in ipsa corruptione vim ac sapientiam suam expresserit: substantiæ enim abiecta condicio artificij copiam, facilitatemque cum primis ostendit; si quidem in luto ac cineribus tantum harmoniæ infuserit, ac tales sensus ad oculos, ad oculos cuiusvis generis, & in quibus tanta vis ad philosophandum inesset, ex ea terræ materia conformaret, è qua fictilia vasa ac lateres fabricantur; scilicet ex hoc ipso materiæ genere potuit oculum fabricare, atque vim in eo tantam desigere, ut vnus per exigua pupillæ præsidio tam multa videre corpora, atque percipere possit.

Abstulisti autem ab impijs lumen? brachium autem superiorum contrulisti? Punire impios, eorumque potentiam obtinere, nepe diuina id dicitur est, atque operationis.

Venisti autem ad fontem maris? in vestigijs autem abyssi ambulasti? CHRYSOST. & OLYMP. Ad mare rursus orationem traducit, ac dicit, Vtrum vnde sit maris ductum initium nosti? aut vestigia, hoc est, extrema abyssi comprehensa habes? nec enim fontis meminit, quasi fontem habeat mare. METROD. Multi descenderunt in abyssum, non ideo, ut in ea ambularent; sed ut tanquam victi tenerentur: Iesus duntaxat tanquam liber ambulauit in abyssu, vbi nulla ambulantium extabant vestigia. Morti enim haud obnoxius, mortem delegit, ut morti obnoxios redimeret; quando iis, qui erant in vinculis dixit, Egreddimini; & iis, qui erant in tenebris, Regimini; cui rei ea, quæ sequuntur, consentanea sunt.

Aperiuntur autem tibi mero porte Mortu? ianitores autem Inferni vident te, intraverunt? IULIAN. & CHRYS. Gesta hæc sunt, quando in infernum Dominus descendit, ut, qui illic erant, spiritibus prædicaret. Hæc autem, quæ non videntur, ex iis, quæ apparent, perspicua fiunt; nempe mortis ac vitæ penes me potestatem esse. Infernus mihi est pro carcere. THEOPHILI ALEXANDRINI. Hoc loco admirabilem eius temporis splendorem, quo iis, qui in tenebris, & in umbra mortis sedebant, sese ostendit, commemorat. Quando autem dicit, Intraverunt, admirationem declarat. Nam & animarum, quæ illuc delapsæ erant, domesticum diuinitatis suæ luce compleuit.

Admonitus autem es latitudinem eius, quæ sub celo? Hoc est, nosti? cogitatione complexus es? terræ latitudinem tenes perfectè? dic eius diametrum.

Nuncia mihi quanta est. CHRYS. Non hoc aio, inquit, eorum, quæ ipse perfecti, nihil te posse perficere; sed illud nego, nec, quemadmodum perfecta sint illa, te rationem tenere; neque ad eorum notitiam, absolutamque scientiam te posse accedere. \* Ex quo tunc ipse, nūm Iobus, quatenus progredi posset, ostendit.

In qua autem terra commoratur lux? Alij, Habitat, Quiescit. Tenebrarum autem quis locus? Si duxeris me in fines eorum? si autem scis semitas eorum? Symmachus autem, Semitas habitationis.

\* Nunquid nosti, quando factus es? numerus annorum tuorum multus? OLYMP. & CHRYS. De luce, inquit, ac tenebris, dic mihi, vbinam clauduntur? vndenam erumpunt? quod lux & tenebræ abeant, indica mihi. Quod si harum rerum vias nosse te dixeris, item dic te tunc extitisse, cum his ipsis rebus fines assignarentur. Quod

\* 2. τὸ κέρμεν ἐστὶν ὁ κόσμος. ὁ δὲ κόσμος οὐκ ἐστὶν ὁ κόσμος. CLEMENS IN EUCHARISTIA. \* Idem abq; interrogatio-ne legi potest.

Quod si hæc nosti, illud item cognosce, multos te annos natum esse, qui ex eo tempore extiteris. Ex quo docet humanæ vitæ breuitatem haud multarum rerum notitiam homini permittere. CHRYS. Sed quid ego? Ea, quæ tibi propinquiora sunt, primordia profer. Quando natus es ipse? neque enim nosti quandoquidem ab alijs didicisti, quantum tuum est vitæ spatium? Quæ igitur cognata, & propinqua tibi sunt, ignotas; eorum, quæ ab initio fuerunt, tibi scientiam arrogaris? Termini autem lucis ac tenebrarum, Dei est imperium, quod ipsum est ius pro consilio.

Venisti autem ad thesauros niuem? thesauros autem grandinis viliisti? CHRYS. Thesaurus dicit, non, perinde quasi harum rerum sint apothecæ; sed, quia illas ipsas quasi è thesauris depromens, ut ipsius vulerit voluntas, palam facit. OLYMP. Nostin, inquit, qua ratione, à mortaliu conspectu remotam niuem, & grandinem, in eorum conspectum dem? Aut verò hisce rebus potes ipse, quemadmodum ego, contra aduersarios vti?

Reposita autem tibi sunt in tempus inimicorum? in diem belli & pugna? Vide quemadmodum velit harum rerum ostendere opportunitatem, quemadmodum non temerè eas comparet. Etenim niuem & grandinem, tunc aduersus hostes, cum in nonnullos vult animaduerrere, solitus est adhibere. Deinceps de alijs omnibus differit, de pluuia, inquam, pruina ac ventis.

Vnde auem egreditur pruina? aut dispergitur Austro in sam quæ sub celo? qui autem præparauit large pluuiam fluxum Alij verò, Quis præparauit diluuium aqueductum?

Vtrum autem terrorum? Aquila & Symmachus secus; nam ille, In fragorem vocum; hic verò, Sonitus tonitrus, quæ s. p. v. interpretatus est. Vnde ergo pruina existat, qua ratione Austro regionem omnem, quæ celo subiecta est, perficit, quo pacto copiosus imber defluat, vnde erumpant tonitrua (terroris enim nomine tonitruum significauit) tenebræ hæc ipse? An isthæc humanæ sunt artis? annon reconditæ sapientiæ sunt opera? in quibus & illud est, quod Austri calore nix, quæ iam obdatur, tepescit soluitur: ut verissimè illud dictum sit, Sicut torrentes in Austro. Ventus autem est aeris flatio; locorum vnde fluit, commutationibus nomina commutans.

Vi pinat super terram, vbi non est vis, fertam, vbi non est homo in ea; ut fatiet inuiam & inhabitabilem; & gemit egrestionem herba. CHRYS. & OLYMP. Vides, non in vna re quapiam, sed in omnibus Deum vi ac potestate pollere? Effunditur, inquit, imber in eas etiam terras, quæ non incoluntur. Ex quo planè perspicitur Deum feris etiam prouidere. Nulla enim humana adhibita industria, ipsa solitudo herbescit, herbasque progignit.

Quis est pluuia pater? quis est, qui peperit glebas rotis? de cuius vtero procedet glacies? pruina autem in celo quis peperit? quæ descendit sicut aqua fluens. OLYMP. Vtrum pluuiæ patrem habes dicere? Vtrum rotis glebas, hoc est, concretiones? Vtrum quemadmodum glacies, pruinae cõcreseat, dicere queas? quæ quidem cum cogatur in firmamento, (cælum enim, quod est elatius, nunc aerem appellat,) veluti aqua decidit, & quidem cadens non secus quam coagulium lac, cogit fluuios atque congelat. Annon Dei sapientiæ hæc sunt opera. CHRYS. De ventre dixit, non ideo quod ex eius ventre pruina, & glacies egrediat, abât. Quid ergo sibi vult hoc loco partus & venter? Sicut, cum de mari loquitur, à matre illud pari cõfirmat, quamuis nullam esse maris matrem dicat; sic & hic non illud significare vult, ventrem vllum esse, vnde res huiusmodi excludantur, verum earum duntaxat confirmationem & causam indicat. Sed quid tandem fuit, cur tã sæpè in his vocabulum partus vsurparet? Nimirum, quantum ipse opinione assequi possum, ut harum rerum primus ac solus auctor declararetur, rerumque opificia, antequam ipsæ secernerentur, extitisse demonstraret. Quamuis autem hæc ipsa nomina de Filio dicantur; inaniter nihilominus atque superuacane ad suam causam nonnulli transferunt. Quandoquidem, cum illa in Filium accommodentur, & nomen Filij additur, & genui, & vnginitus, & quæ in eodem genere reperiuntur, quorum hic quidem certè nihil apparet. SEVER. Vt dubitationem Iob adferret, illius-

\* 2. 2. τὸ κέρμεν ἐστὶν ὁ κόσμος. ὁ δὲ κόσμος οὐκ ἐστὶν ὁ κόσμος. CLEMENS IN EUCHARISTIA.

\* *Ex Arist. categoriis, quae nomine tenus inter se communiunt, diuersam tamen se tamen naturam seruata sunt. Idem hic obscurius dicitur.*

\* *Ex Arist. categoriis, quae nomine tenus inter se communiunt, diuersam tamen se tamen naturam seruata sunt. Idem hic obscurius dicitur.*

que multarum rerum inscitiam coargueret, hoc dixit, non tanquam haec Dei esset oratio, Hæc egomet genui aut gignens ea re maxime, quod, cum mortales soleant certis temporum intervallis, & aliquo suscepto labore gignere, is abique vlla membrorum diuisione, statim atque collibitum ei fuerit, illa profert in lucem. Quanquam & nominum notitia ad rerum substantiarum naturam est dirigenda; nec veritatem decet ad vocabuli minimam propriam normam dirigere. Aliiter enim Deum pluviam patrem appellavit, atque Filij, & huius quidem vulgentis; id quod filium à patre generatum esse persuadet: *ἡ γὰρ βροχὴ ἡ ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ κατακλύζει τὸν γῆν.*

*Facienti autem impij quis tabescit?* Si verba spectes, de quolibet impio intelligentia hæc sunt; si vero intelligentiam, ad Diabolum, quem Vnigenitus exterminavit, referenda hæc sunt.

*Intelligisti autem nexum Pleiadae?* CHRYS. Symmachus autem, Si coniunges partes Pleiadis: id est, quæ necessitas, qui nexus astra illa perpetua societate coniunxit? OLYMP. Illud quasi vinculum, illaque stellarum, quæ Pleiades efficiunt, coagmentatio an ruz sapientia atque intelligentia est opus? An verò causam tenes, cur eadem stellæ sic inter se aptæ coherant?

*Et septem Orionis aperuisti?* Cum stasis temporibus sese Orion ostendat, vtrum tua perfectum est opera, vt is quodam quasi sepro occultaretur? rursusque appareret? BASILIUS in Esaia. Certe illud, Orionem à diuina scriptura vocari duarum & viginti stellarum coitionem, cui Bootes est nomen. Sic enim harum sapientes artifices partiuntur. Ex his enim stellis quatuor tertiae magnitudinis, nouem quarta, nouem reliquis quinta esse confirmant. Et quidem in Aquilonari parte est illa siderum sita congeries, quæ à diuina scriptura, quasi corpus esset vnum, Orion est nuncupata. Hæc verò non stellæ sed astra nominat; quod astra stellarum multitudine indicent, stella autem vnaquæque & sigillatim dicatur.

*An aperies mazuroth in tempore suo?* Siderum cœtus atque complexiones, quæ signa Zodiaci vocare soliti sunt, nuncupantur. Quo igitur hæc, inquit, pacto, cum sint obstructa, suis temporibus ostendentur? Alij verò, *mazuroth*, hebraicam vocem esse contendunt, quæ canis cœlestis significatur. Ergo tunc, inquit, singula, quæ occulta sunt astra, suis temporibus retegges?

*Et Hesperum in coma sua ducet eum?* Comam, in signem claritatem, ac venustatem dicit. Tu igitur, inquit, Hesperii stellam lucidissimam atque clarissimam, tantoque splendore micantem deduces, illique iueneris dux eris?

*Scis autem conuersiones cæli?* aut quæ sub cælo simul fiunt? vocabis autem nubem voce? *Et timore aqua valida obediens tibi?* Nunquid cæli conuersiones, aerisque commutationes, aut omnia, quæcumque sub cælo contingunt, quemadmodum fiant, ipse nosti? vel etiam potes nubibus imperare? aut illæ imburae aquæ quasi tremore percussa, dicto audientes erunt: aut verò aquarum impetus ac pluuia, quasi animata res essent, tibi obtemperabunt?

*Mittes autem fulmina, & ibunt?* dicent autem tibi, *Quid est?* Vtrum quasi seruis quibusdam sic fulminibus mandata ipse dederis? vt hos illosue inuadant: aut tu præstolabuntur imperio, hanc ferme vocem mittentia, En ipsa præstò sumus: quidnam est, quod optas facere? Nempe hoc ipsum nos iubes. CHRYS. Vide quemadmodum fulmina quoque respondeant, non quod sic loquantur fulmina, *Quid est?* sed, quia tanquam animo prædita essent, ita Deo parent vniuersa.

*Quis autem dedit mulieribus texture sapientiam, aut variegatricem scientiam?* SEVERUS OLYMP. CHRYS. GREGORII THEOLOG. Dum quæ in cælo terrisque fiunt, dum maris repagula, siderumque dispositionem & fluxionem imbris atque alia, quibus hominum vita gubernatur, enumerat, at texuit; Ecquis mulieres, genus cætero qui infirmum, texendi artificio instruxit? atque ad opificij varietatem, infectas lanas, coloresque vt adhiberent, ostendit? Miscet autem parua magnis diuina scriptura, mulierumque sapientiam in texendo admiratur, dum ait, *Quis dedit mulieribus texture sapientiam? variegatricem scientiam?* Id enim eius animalis

animalis est, quod ratione & sapientia præstat, ipsaque cœlestia æmulari. Hoc enim variandi artificium neque vulgare est, neque illius exiguus vltus. Ac vide, cuiam generi concessum sit. Ergo textricis artis studium, neque contemptum, neque superuacaneum est, in quo diuinæ item sapientia: extant impressa vestigia, quam ipsam artem nec Deum puduit, vt sibi propriam, ac suam adfiscere; cum non alium ac seipsum, eius auctorem esse confirmauit.

*Quis autem est, qui inuertet nubes sapientia?* OLYMP. Symmachus autem; *Quis dedit futurorum intelligentiam?* Quis, inquit, in numerum & non in mensuram incertam nubes redegit? verum ad mortalium utilitates earum coitionem molitur?

*Cælum autem in terram declinauit?* Vides enim, vt terram ipsam contingat. Hoc enim est, *Declinauit.*

*Diffusum autem est sicut terra, cinis.* OLYMP. Illius tenuitatem declarat, quod etiam ipsum Isaia sum esse simile, dixit. Circa enim terram, inquit, quæ nigrore quodam infesta est, cælum affusum est, quod propter splendorem, pulueris instat esse.

*Agglutinari autem illud, sicut lapidis cubum.* CHRYS. Firmitatem, constantiam, figuramque posuit in conspectu, cum dixit, *Sicut cubum.* OLYMP. Cubus quadrati habet basim. Is verò \* definit in acutis. Tenuissimam igitur cæli naturam, sic inquit solidam ipse effecit, tãquam cum lapide quis cubum coaptasset. *Quamquam scyphi in cælum figuram nonnulli conferant.*

*Captes autem leonibus esciam? animas autem draconum reptilibus? timent enim in cubilibus suis, sedent autem in fluxu insidiantes.* OLYMP. Quis leoni captandæ prædæ naturalem vim tribuit? quis escia dracones explet? quis insidandi rationem, & in quædam inuadendi cibi causa belluas docuit? CHRYS. Quamobrem hæc dicit: nempe eam ob causam; quia, si eorum, inquit, quæ superuacanea sunt, tantam prouidentia rationem ducit, quæ nec vobis ad seruitutem vllam præstant utilitatem; (quid enim commodi ab his animantibus ad hominum genus dimanet?) quanto magis vestris consulam rationibus?

*Quis autem præparauit coruo esciam? pulli enim eius ad Dominum eleuauerunt errantes, cibos querentes.* Sed volucris etiam Deus, inquit, prouidet. Erenim à parte totum significauit. CHRYS. Dicitur coruus propter ingluniam suos non alere filios; verum illorum curam, educationemque deserere. Illos verò penuria cibi oppressos, naturali quadam apud Deum voce uti, & paruis quibusdam, quæ intrinsecum procreantur, bestiolis nutrir. Quis igitur illis suppeditat alimentum? an non Dei verbum? Pulli coruorum post magnam errationem querentes cibum vociferati sunt apud Deum. Is verò non pullis duntaxat coruorum; sed iis, quæ non verbo, sed necessitate, naturalique conatu illum inclamant, quod necessarium est, elargitur.

*Si cognouisti tempus partus tragelaphorum petras? obseruasti autem dolores ceruarum? numerasti autem menses plures partus earum? dolores autem soluidisti? inuicisti autem earum filios extra metum: dolores ipsarum distantes?* OLYMP. Sed nimirum nec ea, quæ sunt minutissima, tibi cognita sunt. Quæ, inquam; ratione ceruæ & tragelaphus, hoc est, capra siluestris in petris atque speluncis sua sponte contactis concipiant; qua ratione solutis doloribus, conceptum edant ac pariant. Quæ ratione recentibus natis lac præbeant. Quæ ratione sine metu alantur? CHRYS. Rectè videlicet dixit, *Vtrum ceruarum dolores obseruasti?* Quandoquidem ea semper sunt in metu, ac fuga, semper imbecillæ, perpetuo circumfiliunt. Quoniam igitur pacto non partum abigunt? sed integram edunt? Illud verò; *Dolores earum soluidisti?* ad rem magis demonstrandam valet; siquidem sua sponte pariunt, nec opera obstetricis egent vlla. Illud quoque, *Filios earum inuicisti absque metu,* planius Theodotio his verbis expressit, *Si dederint filios suos, seruabis eos?* Illud autem, *Dimittes dolores,* duplicem sententiam adfert. Nam, si *Dolores*, cruciatum ipsum interpretare, *Dimittes*, pro sedabis, ac profligabis, vt non semper in dolore sine, usurpatum fuerit. Quod si pro doloribus, ea, quæ cum dolore edita sunt atque susce

\* *Idest, extrema habet acuta.*



suscepta fumantur, Illud, *Dimittes*, hoc alterum sonat, *Emittes*. Idquod sua interpretatione Symmachus indicauit; sic enim ille, Quæ dolore pepererunt, dimittunt. Nam, postquam recentem prolem educauerint, quò maluerit, abire permittunt. Sententiam hanc is, qui mox sequitur, versus persuadet.

*Auulent filios suos ab se multiplicabuntur in geminis, egredientur, & non reuertentur eis.* OLYMPIOD. Quomodo matres, inquit, naturalis caritatis immemores, filios suos, ubi se corroborauerunt, relinquunt. Hi verò, postquam à matribus digressi fuerint, pascuntur in agris & propagantur, nec ad matres amplius reuertuntur.

*Quis autem est, qui dimisit asinum agrestem liberum? vincula autem eius quis soluit? postquam autem commorationem eius desertum & tabernacula eius falsuginem? irridens multitudinem civitatis? querelam autem exactoris non audiens?* CHRYS. Quis hoc, inquit, constituit? quis naturæ leges fanciuit? quæ tùm perpetuæ sunt; tum etiam nunquam oblitescunt? quibus animal hoc etiam parere cogitur, quod robustum est, & intractatum, quod nec, si millies conatus fueris, condoceretur poteres in potestatem redigere. OLYMP. Si, quid sonent voces, spectemus, hoc ait, Cur onager liberrate viuendi, suisque vitur legibus? Cur hominum iussis nequam obtemperat? cur in solitudine degit, atque in desertis, falsisque locis commoratur? Verum, si ad intelligentiam, hæc ipsa traducamus, solitaria hic vita describitur, quæ ab rebus mundanis, sensusque permulcentibus sit segregata. Eiusmodi verò inductam esse orationem, quæ ad allegoriam nos ipsos reuocet, hinc perspicitur. Neque tam onager, quam qui spiritu viuunt homo, querelam non audit exactoris. Hic enim eius exactoris, qui animo duntaxat videri potest, qui quasi quoddam vestigium exigit, qui illos, qui in eius sunt imperio, ferre cogit onera, quos flagitij iugo premit, & voluptatum seruitio addicit; huius, inquam exactoris audire vocem omnino recusat.

*Considerabit montes, pasuum unum, & post omne viride querit.* Si historiarum tantummodo ratio habeatur; agrestis asinus montes errando obit, atque herbas ad pastum peruestigat. Quod si theoria spectetur; qui spiritu viuunt homo, cælestes politias perquirat, & in diuinis oraculis, in floridis, virentibusque scripturis, atque in egregio pabulo conuiescit. Atque hinc ad vitam omni errore & culpa vacuum, cibum, voluptatemque eodem tempore percepturum deducitur. N. L. I. Mihi illud quærendum videtur, quo pacto agrestis asinus in solitudine relictus, cui est in solitudine commoratio, & in falsugine tabernaculum, omnem vindictam persequatur; præsertim cum ad herbas gignendas ferme haud apta sit solitudo. Nisi quispiam dixerit, eum, qui in solitudine degit, perturbationum ex parte, ad diuinarum colloquutionum cõtemplationem idoneum esse, postquam affectuum humorem \* sale condiderit.

*Vollet autem tibi monoceros seruire? aut dormire in præsepis tuo? ligabis autem in loris iugum eius? aut trahet sulcos tuos in campo? confidis autem in eo, quia multum est robur illi? dimittes autem ei opera tua? credes autem quod reddet tibi sementem? inferet autem tibi in aream?* B. A. S. I. L. I. I. Monoceros animal est viribus inexpugnabile, hominum recusans imperium: Nec enim eum, inquit, loris alligabis: neque in præsepis dormiet: nec tibi obsequens, altiore terram æquabit: neque rem illi rusticam credes: nec tibi sementem reddet: nec ea, quæ elaborata sunt, in area colliget, & comportabit. At pleraque alia de huius bestię licentia & contumacia, quòd humanum contemnit imperium, in hac ipsa vaticinij parte dicta sunt. Illud autem est animaduersum, huius animantis similitudinem à diuina scriptura in utramque partem vsurpari: & nonnunquam ad laudem, interdum ad vitium vituperationemque transferri. Huius ergo vis animalis vltix atque concertatoria in earum rerum, quæ deteriores sunt, significationem sæpenumero accommodatur. Eiusdem verò erectum cornu atque libertas ad rerum meliorum traducitur similitudinem. Itaque monoceros, quem Aquila (quòd in medio capite cornu gerit) rhinoceros appellauit, si ad vnam historiam intendas animum, animal cum sit valentissimum, cornu ipsius mucrone atque acie frerum subigi haudqua-

\* ἀλάτρωσις  
ἄλας.

haudquaquam potest; neque enim patitur, inquit, ad præsepe se alligari, neque aur glebas scindere, aut arare, aut in agro exerceri, aut in aream vult terere fruges comportare. Attamen, si intelligentia spectetur, monoceros homo est sanctus, qui Deum vnum intuetur, eique soli fidit, cunctarum rerum, quæ humi iacent, cupiditate contempta.

*Penna oblectantium, neclassa.* Symmachus, Penna nitore adnascitur.

*Si conceperit asida, & ne essu: quia dimittet in terram oua sua, & in pinere fossabit, & oblita est, quod pes dissipabit, & bestia agri conculcabunt.* OLYMP. Quarundã auium vult persequi differentias, ac docere esse qualdam, docente ac magistro Deo, prudentes, alias imprudentes. Dicit igitur neclassam pulchram esse ad adpectum; asidam autem, atque neclassam, ea, quæ nullum habent cum sapientia commercium, fascipere: si quidem, ubi conceperint, atque pepererint, in terram oua abdunt, illicque fouent; haud eius rei excitata memoria, fore, vt vel hominum pedibus dispargantur, vel à bestiis ac feris proculcentur. Asida erodius est, vt Aquilæ placuit, seu ciconia, vt aiunt nonnulli: in quo tamen ipso opinione falluntur; neque enim fetum ciconia edit in terra, verum in arboribus, quæ sint in altum editæ, parit. Atque testes sunt ij, qui auium historiam scriptis tradiderunt, non idem genus esse auium, asidam, atque ciconiam. Sed & illud rationem habet, cur Domini prouidentia sensum, atque prudentiam asidæ ademerit: cum enim adeò immani robustoque sit corpore, vt equitem etiam facile despiciat; sanè decebat, vt robori sapientiam parem minimè haberet; ne, si eius cuncti essent pulli seruati, nimia illorum esset multitudo. Sed idem versus hanc quoque admittit interpretationem, In auium genere, quæ oblectare animum possint, cum primis est neclassa, quæ speciosum præbet adpectum: est item asida auis maxima, sed tamen plena stultitiæ, quam ipsam est Aquila, erodium, accipitremque interpretatus; cum hæc item animalia in terra positus incubent ouis. Cui sanè sententiæ aduersari Dauid videtur, qui de passeribus canit, in altissimis arboribus nidos eos construere; & quam mox idem vates atterxit, Erodij domus dux est eorum; tãquam hæc item auis in altissimarum arborum frondibus domiciliũ collocarit. Alij asidam autem esse dixerunt, quæ in Mesopotamia reperitur.

*Obdurus contra filios suos, quasi non sit ipsa.* Hæc auis, inquit, postquam ouum elaborauit, labore pullos suos confici sinit, vt ne à se ipsa alantur, contra susceptæ prolis educationem naturali caritate obdurecente.

*In vanum laborauit absque timore.* Dum pullorum suorum amissionem non timet, nec curam vilam suscipit, operam perdit, quanquam non omnem; præsertim cum salutem filij fuerint adepti. Sed nimirum illa sic agit; quia sapientiam illi ipsi Deus occultauit.

*Et non distribuit ipsi in intelligentia.* Hoc verò ideò huic accidit aui, quia Deus eam sapientia spoliavit, illamque cohibuit, nec illi mensus est, nec iniecit prudentiam. Sic enim Symmachus, Et non distribuit ei prudentiam.

*Cum tempus fuerit, in altum se tollet, & irridebit equum, & adscensorem.* Asida, inquit, positam spem habens in volatu, volans equum, equitemque contemnit; ideò quòd, vt ferunt, robusto sit, grandique corpore.

*Aut tu circumdediti virtutem equo? inferisti autem collo eius metum?* Theodotio autem, Hinnitum; Symmachus verò, Clamorem, interpretatus est. CHRYS. Ad ea, quæ summam præbent vtilitatem, orationem deducit: dum nec equi mentionem intermittit, illiusque alacritatem, gestientemque audaciam narrat, ac multa de hoc animali disputat; id quod in agresti asino fecit. Verum hic homini nequam se subiici sinit; equus autem hominem rectorem suum minimè aspernatur. Scilicet tu equum, inquit, robore præstantem, & erectis ceruicibus progredientem, projectioneque ceruicum terrorem inferentem, aut etiam hinnitu è ceruicibus erumpente terrorem effecisti?

*Imposuisti autem ei omnem armaturam; gloria autem pectoris eius audacia.* Quasi abs te sit armis instructus, exultat audacia. Cor enim fiducia plenum sub pectore gerit.

*Effodiens pede superbit. Qui pede, inquit, terram feriens, superbit, ac fremit. Progreditur autem in campum in fortitudine, occurrens autem sagitta irridet, nec auertetur à ferro.* Per campum incedit ad bellum, vel, vt aliis placet, ad armorum occursum, armorumque militum, nec sagittæ nec ferri quidquam aciem reformidans. Vt autem est quorundam aliorum codicum lectio, *Cum regi occurrit, illudit.* Neque enim dignitatis atque splendoris rationem ducit.

*Super ipsam autem gloriatur arcus, & gladius, & iracundia euertet terram.* Symmachus autem, In ira, & astu, quasi absorbens. Eo, inquit, affectus est animo, vt terram sit euerurus: nempe insidentis opera, arcum gestantis, & ensem; atque iracundiæ æstu hostilem regionem depopulantis. Deinceps, quàm nihil sine ordine molitur, docet.

*Et non crederet, quousque signum dederit tuba: signum autem dante tuba, dicit, Euge. P. locum autem odoratur bellum salu & clamore.* C H R Y S. Audit, inquit, tubæ vocem ac pugnæ committendæ signum nouit, atque è longinquo clamore ad pugnam incitatur. O L Y M P. Quamdiu, inquit, non fuerit pugnandi signum datum, hoc quidem animal totum commouetur, haud tamen salu se proripit. Huc enim pertinet illud, *Non credit*, ab iis sumpta translatione, qui ob nimiam cupiditatem non credunt. Buccina verò terribilius personante, instare prælium sentit, datoque signo, letatur. Id enim significat illud, *Dicit, Euge*: nec non exercitus clamore excitatus exilit, atque in medios hostes irruit. Quod si quispiam dicat, haud isthæc in natura inesse equi, verum in hominis disciplina: hic ipse intelligat, haud ista homines docere potuisse, nisi ad percipiendam disciplinam huius animantis esset ingenium accommodatum. Quando nec ipsi, qui homines sumus, haurire ab aliis doctrine rationem possumus, nisi ad eam rem idonei, aptique fuerimus. Doceat igitur Deus ex his paruis, exhibusque rebus suam inenodabilem sapientiam, vt ea, quæ magna sunt, atque recordita discamus haud curiosus peruestigare.

*Ex tua autem scientia stetit accipiter, expandens alas immotas, respiciens, que sunt ad Austrum?* O L Y M P. Vtrum tua, inquit, sapientia atque scientia explicare alas accipitrem docuit: vt, iis immotis, per aëra ferretur: Dicitur autem accipiter versus Austrum explicatis alis, fermè erectum in aëre consistere, prædamque cõtemplari, atque hac demum ratione in illam ipsam inuolare. C H R Y S. Qua tandem ratione factum est, vt suspensus in aëre accipiter teneretur? quo pacto alimenta sunt eidem subministrata? vide, quàm paucis multa complectatur. Cur nec bouis, nec reliqui pecoris mentionem fecit? verum eorum, quæ nullum fructum adferunt utilitatis, frustra que videntur esse, meminit? Nempe, vt doceat, si tanta erga hoc animantium genus sapientia vtitur, atque prouidentia, multò maiore erga illud genus, quod vtilius est hominibus, vti.

*In tuo autem præcepto exaltatur aquila? Scilicet tu eam iussisti sublimem volatum habere?*

*Vultur autem in nidu suo sedens moratur in celsitudine petra & in abscondito? Illic manens quærit escas: à longinquo oculi eius speculantur? pulli autem eius miscentur in sanguine? Vbiunque fuerint mortui, consistim reperiantur?* A communi, In tuo autem præcepto, in rupibus vultur fedet? Cum integris sit sensibus præditus, vbi nam cadauera iaceant, vt sibi paret victum, sensu cognoscit. An verò tu vulturum pullos docuisti, vt paruuli vescerentur carnibus? & sanguinem adamarent? & in locis, vbi fauciorum, confectorumque cadauera essent, versarentur? nec non cruorem lamberent, atque exorberent? Hoc igitur indicant verba. Vultur homo est impurus, & carnis illecebris mancipatus, in virtutis studio segnus. In petra, inquit, quiescens habitabit. Qui, instantis temporis ratione neglecta, ad ea, quæ longius distant, intenta acie, sic secum loquitur ipse, Nunc sanè voluptatibus fruar, postea respicam. Cuius consilia atque cogitationes in mortuis operibus, & rebus vsque resident.

*Et respondit Dominus Iob, & dixit: Nūquid iudicium cum Sufficiente iudicabit? redargues Deum respondebit illud?* Symmachus autem, Nunquid, qui iudicio cum Sufficiente contendit, superior erit? redarguens, Deo aliquid cõtrà respondebit? Superiores quidem

quidem sermones Dei potestatem & vim Iobo posuerunt in conspectu. Nunc autem ad eundem orationem conuertit, ei que spatium respondendi concedit. Verum, cum nullum à Iobo responsum auferat; iterum Deus sermonem vsurpat, qui quidem sermo est huiusmodi, Itane verò isthæc mecum ipse ex iure diceceptabis? Eorumne, quemadmodum effecta sint, tenes rationem? eorumne habes causas explicatas? An me, quasi minus idoneam, atque probabilem orationem attulerim, à te refelli posse arbitraris? Iudicio, quod de te antea feci, responde, id est, quid iudicij, quid rationis adferas, ipse expecto. Neque verò hæc eò dicit, quod de Iobi religiosa mente quicquam dubitet; verum, vt amici ex iis, quæ responderit, cuiusmodi Iobus sit, intelligant.

*Protheoria Capitis Vigesimo septimi.*

I O B V S, qui Deo carus esset, ac suæ facultatis neruos minime ignoraret, cum diuinam vocem cum ad loquendum atque ad ea, quæ disputata erant, reprehendenda lacescentem de repente audiuisset, gaudio, vt par erat, exiliit: sed tamen initio suam fateretur imbecillitatem; Deoque ipsi victoriæ largitur insignia. Nec enim Dei sapientiæ aliud quidpiam conuenit respondere, nisi illius admirabilitatem silentio præferre; atque id, quod nostram præteruolat intelligentiam, arcanò suspicere.

*Suscipiens autem Iob dicit Domino, Quid ego adhuc iudicor communitus, redarguens Dominum, audiens talia, cum nihil sim?* C H R Y S. Statim ab initio Deo tribuit principatum; nimirum, Abs te victus sum: quid ergo longius animaduersionem producis? Ecquid ego tibi tandem respondeam? quæ ratio demum fuerit in huiusmodi Domino desigendi obtutus? Scilicet ego acceptæ plagæ rationem exquirebam, opificium ipsum nullo pacto sum criminatus. Quamobrem igitur, Domine, iudicor? quamobrem isthæc audio & admoneor, perinde quasi à me Deum redargui, rectum sit, qui nullius pretij, ac planè nihil sim?

*Ego autem quam responsonem dederò ad hæc? manum ponam super os meum. Semel loquutus sum; secundo autem non adiciam.* O L Y M P. Quid ego, inquit, ad ea, quæ dicta sunt, adferam? Satius esse duco tuam, quæ nobis haud percepta potest esse, sapientiam silentio admirari. Non mihi verba deerant, quando cum hominibus sermo habebatur, quando quasi peccatorum meorum pœnas luerem, condemnabar. Verum hæc prima fuerunt. Ad hæc autem, quæ secunda sunt, hoc est, ad ea, quæ tuam potestatem atque sapientiam attingunt, quidquam vel addere, vel loqui, vel contradicere, nefas est. Præclara autem, atque ad disciplinam vtilia nobis hæc esse debent, vt, quæ à Deo dicuntur, curiosè à nobis ne inuestigentur.

*Protheoria Capitis vigesimo octauo.*

A Dhuc suscipiens Dominus dixit Iob de nube, Minime: sed accinge sicut vir lumbum tuum. Interrogabo te; tu autem mihi responde. O L Y M P. Et incredibilis hoc loco Dei erga homines perspicitur beneuolentia. Quia enim Iobus ea, quæ se digna erat, sanctitate, disputare cum Deo recusarat, ac se nihil esse confessus erat, ideo illum rursus Deus blandè, amicèque compellat; Noli, inquit, silentio vti; loquere; te ipse collige; vir esto; ægritudinem pelle; animoque complexus, quid te respondere oporteat, viro dignam da responsonem. C H R Y S. Qui causæ suæ bonitati magno opere confidunt, nec tergiuersantur, licentiam videlicet aduersariis permittunt, vt sua ipsorum sit maior victoria. O R I G E N. Nimirum iis, quorum in summis certaminibus probata est, & spectata virtus, post hanc vitam sunt præmia reserua. \* Sed tamen, quæ Dei est beneficentia, in hac etiam vitam Deus mercedem suis athleticis, postea persoluendam arrhabone confirmat. Ita, postquam pugnas acerrimas Iobus pugnavit, posteaquam fortunis euerfus, Deo, qui illas fuerat dilargitus, gloriam detulit; posteaquam orbatus liberis Deo, à quo

CAPVT XXX.

\* ἀδὲν δὲ ἤρ-  
τοι καὶ ἰδὴ ἡ  
καρπὸς τοῦ θεοῦ  
ἀρραβωνίαν  
τοῦ ἀθλητῆ.

ff a à quo

à quo illos acceperat, gratias egit; postquam scēda corporis lue confectus, ut iam vermium imbres ēē corporis artibus distulerēt, manus minimē dedit, neque est doloribus superatus; primordium illi quoddam Deus, & consequentium prēmiorum pignus elargitur. Nam diuina illi oracula edit ē nube ac turbine. Quanquam, vbi priores Dei sermones Iobus acceperat, eūque respondere oportuisset, silentium sibi esse statuit; quōd apud Deum haud tantopere auderet; necdum illud esset ei cognitum, Moysen esse cum Deo loquutum, Deumque Moyse responsa dedisse. Ergo Deus Iobum ad fidenter loquēdam erigit. Etenim tanta Dei est benignitas, ut non iudicis sed eius, qui in iudicium vocatur, personam suscipiat; quōd ipsum diuini testimonij multifariam confirmat auctoritas. Nam ex hoc genere est illud, Venite, & discipremus: necnon illud alterum, Popule mi, quid feci tibi? Ecce tibi, Deus Iobum prēmio afficit, eū interrogat hominem, eū audit, eū ei potestatem facit respondendi. Ac nisi victor extitisset Iobus, nequaquam illum Deus complexus esset. Nisi constanter tolerasset, nunquam videlicet, audisset, *Accinge sicut vir lumbos tuos: & ne file, sed in responsionibus vir esto.* Nec enim quisquam, quā par est dignitate, cum Deo loquatur, nisi lumbis cinctis, atque compressis. Non igitur Deo quisquam prius respondeat, quā vir absolutus extiterit, hoc est, ad spiritalem aetatem peruenerit, lumbosque constringerit.

*An repellis iudicium meum?* O L Y M P. Duplex est huius loci sententia. Aut enim, quia Iobus, diuini iudicii æquitate confusus, causam suam integram Deo referuabat, (siquidem amicis dixerat, Scio me, Deo iudicium instituentem, iustum visum iri) hoc nunc ei Deus in mentem reuocat, dum ait, Ne meum iudicium recuses; apud me experire. M E T H O D. Aut etiam sic, quādo res huiusmodi ipse es passus, noli existimare, earum me haud rectum informasse iudicium. O R I G E N. Horum verborum ipsi memoriam vsurpemus, cum suo iudicio stauerit Deus, quidquam nobis esse mali perferendum, siue amittendi sint liberi, siue dominatus, principatusque abiiciendus; siue corpore agrotandum; siue quoduis aliud mali deuorandum; eū certum sit, iudicium faciente Deo; cuncta nobis mala euenire. Itaque, cum nihil horum absque Dei contingat arbitrio, atque iudicio; ei, qui ærumnis consistatur, dicitur, Ne meum repelle iudicium, id est, quā de te egomet iudicando statui, a noli repudiare.

*ne exprobrasset  
aliter, decre-  
uisset, vel re-  
spondisset.*

*Putas autem, me aliter tibi \*respondisse, quā ut appareas iustus?* C H R Y S. Præsens hoc respōsum indicatur, Non, quō te condemnem, hæc loquor, inquit, verū, ut iustum esse palam doceam. Seu etiam ad ipsammet tentationem decretum hoc, ac respōsum refert, ut suum illum promissum respōsum appelleret. Noli putare, inquit, aliam ob rem mihi constitutum esse, ut illa tibi acciderent, nisi, ut cunctis mortalibus tua iustitia promulgaretur, & tibi quidem ornamento, ac gloriæ, orbi autem terræ esset emolumento. Ac vide quemadmodum non dixerit, Ut iustus euaderes; (iam enim se ad virtutem perfectē exercuerat) verū, Ut id, quod eras, viderere, ut alios erudires; mea te respōsione tueor. Iustus tu, quidem eras; sed tamen in operto eras. Patientia eras instructus; verū seges præbenda erat, vbi patientia illa tua eniteret. Animi virtute, ac robore præstabas; sed nimirum tanta virtus iacuisset, nisi illam, quā in te incurfarunt ærumnæ, insignem fecissent. G R E G O R I I T H E O L. Vides, quemadmodum post certaminum exitus, illustri Deus præconio athletam declaret, & plagæ quoque arcanam rationem aperiat, eū ait, Putas me aliter tibi respondisse, nisi ut iustus appareres? Hæc videlicet vulnere est medicina; hæc patientiæ remuneratio. Nam illa, deinceps duplicata recuperabat, quamuis ampla nonnullis videri possint, parua tamen fuerint, leuioribus de causis procurata. O R I G E N. Horum nobis veniat in mentem, eū in calamitosa tempora inciderimus, eaque præsentis, loquentisque Dei vox nobis occurrat, Putasne aliter te tibi respondisse, nisi ut ignaris tua esset insignis, minimeque ignorata iustitia?

*An brachium tibi est contra Dominum?* C H R Y S O S T. Esse mihi curæ homines, hinc planum est, atque perspicuum; quōd Deus interrogatione earum rerum Iobum

Iobum vrisit, quā ad temporum, ad eorum quæ gignuntur in aere, ad animantium rationem providentiamque referuntur. Nunc ipse, cur tentatio à me tibi sit importata, causam perspexisti. Dilectionis enim fuit, virtutis tuæ declaratio; ut illius cæteris daretur documentum. Hic verò tu meam vim discere. Nec enim bellum inferens te sanciri permisi. Quæ enim tua fortitudo est ac robor, ut præliosis mihi ipse lacessendus? Num tibi brachium est aduersus Domini brachium? aut verò parem habes virtutem?

*Aut voca, sicut ipse, tonabis?* Non igitur tonitrus, reliquæque omnia ad offensionem, sed ad Dei notitiam valent. Ac vide, quā variè natura, quæ is constabat, abiectam condicionem coarguat. Nec illud dicit, Humilis es ipse; verum quid? Magnus ego nec ea potes ipse, quæ egomet possum.

*Assume iam sublimitatem, & potestatem; gloriam & honorem indueres, mitte autem angelos cum ira: omsem autem contumeliosum humilia: superbum autem extinguat; impios autem statim absconde; putrefac autem in terram extrā: facies autem eorum ignominia imple; absconde autem in terram extrā. Simul confitebor utique, quōd potest dextera tua saluare.*

O L Y M P. Hæc, inquit, tibi sume, quæ natura Deo conueniunt. Indue gloriam: indue honorem: vtere, si potes, angelis ad vlciscendum contumeliosos, atque superbos: dele impios: dele longè amanda: atque in eos animaduertens, tæbe atque putredine consume; idque subito, id est, omni remoto impedimento, ac tibi quotiescumque collibitum fuerit. Hæc si tu viribus amplecti volueris, facile me tuæ potestatis testem, & comprobatores habebis. O R I G E N. Hūc item ducere nos possunt hi versus, Aduersarias potestates bestiarum nomine significari dixerunt, ut hoc appositè dicatur ad illud, Ne tradas bestiis animam contendentem tibi. Apud te igitur, inquit, & apud omnem, qui est patientia instructus, ha belluæ mansuefiunt atque subiiciuntur. Affectus quidem ipsi, si comprimantur disciplina, mites fiunt, & boum more sano vescuntur. Contrā, domitoris & condocfacientis socordia, agrestes euadunt, & belluarum immanitate vtuntur. C H R Y S O S T. Licet etiam eundem versus ad eas bestias, quæ sub sensu subiectæ sunt, referre. Eæ namque sæpenumerò diuino consilio, cum sanguine minime pascantur, boum alimentis contentæ sunt. Quoniam igitur est hoc ipsum admirabile, à Iobo percōratur Deus, vtrum huius rei sit ipse auctor, ut bestia pascantur feno, non carnibus. De duplici animalium genere pergit deinceps dicere, de terreno, inquam, & de eo, quod degit in aquis & mari. Nec illud nos fugit in Diabolum dicta hæc esse, nonnullos existimasse. Verumenim primū historia danda est opera, deinde vtilitati succurrendum auditoris, nec contemnenda anagogia.

*Sed iam ecce bestia apud te fenum sicut boues comedunt.* I V L I A N. Quidam bestias hoc loco, ipsos vermes è putredine procreatos, Iobique artus depascentes intellexerunt. O L Y M P. Manum, inquit, meam à te amou, & ecce caro tua quasi fenum absumitur. Alij verò aduersarias potestates bestiarum nomine significari dixerunt, ut hoc appositè dicatur ad illud, Ne tradas bestiis animam contendentem tibi. Apud te igitur, inquit, & apud omnem, qui est patientia instructus, ha belluæ mansuefiunt atque subiiciuntur. Affectus quidem ipsi, si comprimantur disciplina, mites fiunt, & boum more sano vescuntur. Contrā, domitoris & condocfacientis socordia, agrestes euadunt, & belluarum immanitate vtuntur. C H R Y S O S T. Licet etiam eundem versus ad eas bestias, quæ sub sensu subiectæ sunt, referre. Eæ namque sæpenumerò diuino consilio, cum sanguine minime pascantur, boum alimentis contentæ sunt. Quoniam igitur est hoc ipsum admirabile, à Iobo percōratur Deus, vtrum huius rei sit ipse auctor, ut bestia pascantur feno, non carnibus. De duplici animalium genere pergit deinceps dicere, de terreno, inquam, & de eo, quod degit in aquis & mari. Nec illud nos fugit in Diabolum dicta hæc esse, nonnullos existimasse. Verumenim primū historia danda est opera, deinde vtilitati succurrendum auditoris, nec contemnenda anagogia.

*Ecce robor eius in lumbis, virtus autem eius in vmbilico ventris.* O L Y M P. Si de bestia, quæ obiecta est sensibus, hæc interpretari velimus, sanè diuinus sermo tūm bestia robor testatur, tūm locum, in quo resideat robor, ostendit. Locus autem est lumbus; siue, ut Aquila conuertit, dorsum; siue, ut Symmachus, venter. Verū, cum Satanæ diuina scriptura corpus affingat, illum ex suis actionibus describit: & quoniam in lumbis vasa seminis continentur, vim illius in lumbis sitam esse confirmat; id est, hæc eius prima vis, primusque conatus, ut libidini hominem dedat. Ab hoc enim initio huius belluæ vis proficitur; longius autem progressa, ad vmbilicum arripit. Virtus, inquit, eius in vmbilico ventris. Quod ipsum huc pertinet, aut quia ventris luxu, atque intemperantia inciratus bacchatur, cum ventris vitio atque cupiditate, affectus, qui ventri parent, comitentur.

tentur. Ventris enim fatieras obscenæ libidinis radix est, & fons. Atque ob id ipsum, obscena libido, & quævis fœda voluptas est vmbilici nomine modestè, & grauius declarata, vel, quia est vmbilico in corpore locus medius attributus, dixit, robur esse ipsi bestię infixum, nec vsquequaque posse moueri, & inclinari, quandoquidem tantummodo est improba, nec ferri potest aliquando in bonum. Re autem ipsa è dorso spina ducti nerui vmbilicum deuinciant; vt merito huius animantis vis posita sit in vmbilico, perinde quasi in dorso collocata esset. Fortasse etiam eadem pars corporis in viro lumbi nomen obtinuit. Verùm, ne diuinus sermo feminam in præteritis relinqueret, vmbilici nomen attulit, qui doceret infesto exercitu Satanam non solum adoriti eos, qui semina gerūt, verùm etiam mulierum genus. Summa autem cum dignitate verborum, & in mare lumbi, & in femina vmbilici nomine est vsa diuina scriptura; siquidem & parem dignitatem atque modestiam ad mulieres a dferrio portebat.

*Statuit caudam, sicut cyparissum.* Cauda est snis. Cypressus autem arbor robusta ac rigida. Mentem, inquit, obfirmatam, atque inexorabilem, vsque ad extremum seruat. Et quoniam cypresso iustus comparatur, quod & iucunda sit ea arbor, & suauem exhalet odorem, & firma consistat: ministri autem Satanæ transfigurant se in angelos lucis: iccirco hoc loco diuinus sermo confirmat, huius belluæ caudam, hoc est, eius comites atque affectatores, cyparissos, id est, iustos se esse solitos simulare. Ex hoc genere existit Antichristus, qui cauda est Diaboli, in fine seculi venturus.

*Nerui autem eius impliciti sunt.* Nerui eius, hoc est, calliditas eius inuolucris est plena, ac nodis, qui dissolui non possunt. Et uerò genus quoddam est hominum, qui propè membra sunt Satanæ, atque horum impliciti nerui; quorum qui potuit nodos dissoluere, illud Maiz perfecit, Solue omnem nexum iniustitiæ.

*Latere eius latere aeneæ.* Costæ sunt doli, callida artificia, machinæ, & illæ quidem prauæ, atq; distortæ. Eiusmodi enim cõmunis aduersarij sunt cogitationes. Ideo autem æneæ, vel quod is veritati obstinatè resistit, vel quia, sicut æs fulgens aurum imitatur, sic & Satanæ transfiguratur se in angelum lucis. Vel aliter, quemadmodum ex Adæ latere conformata est mulier, eamque rem ille sacrorum Antistes ad Christum, atque Ecclesiam pertinere animaduertit; sic Satanæ latere conuenticula hæreticorum intelliguntur, quæ nec Christi sententiam habent, & fallaci, eumentique nominis doctrina decipiunt. G R E G O R. T H E O L. Vide, quænam de hoste improbo narret, quàm terribilia, quàmque horrida. Cuius & latere æneæ sunt, ac reliqua omnia talia, qualia diuinus sermo describit.

*Dorsum eius ferrum fissum.* O L Y M P. Symmachus autem, Sicut pessuli ferri. E ferro expolito arma fabricantur inuicta. Est autem dorsum membrorū omnium nexus. Hinc ergo id, quod caput, & fons est affectionum, perturbationumque omnium, intelligitur. Vel aliter, quoniam animalia dorso imposita gestant onera, eo nomine illius robur significauit. D I D Y M I. Sanè quoddam est ferrum, quandoquidem nec obedientia flectitur, & incus est quædam indomita ἀκρω ἀνήλατ. O L Y M P. Quemadmodum qui membra suat Christi, varia in ecclesia nomina inuenerunt, nam alius oculus est, alius pes, alij cætera; sic qui Satanæ studia atque facinora imitantur; propter suam ipsorum improbitatem. Draconis membra proportionem quadam intelliguntur.

*Hoc est principatus formationis Domini.* Alij uerò, Caput viarum Fortis. Quidam aiunt hunc primū à Deo creatum esse. Alij uerò, cum dicere reformident primam à Deo conditam naturam, mutationem passam esse; illum primū ortum esse negant. Eidem tamen angelorum principatum delatum esse concedunt, qui vnus è primis principibus esset, à quo nec illud diffidet, Et sicut vnus de principibus, cadit. Verum tamen est principatu deiectus, quod manus contra Deum sustulerit. Quidam alij formationem Dei hominem esse interpretantur. Luciferum autem à Deo in homines obtinuisse imperium. Illum autem potestate abusu fuisse, quandoquidem & à Deo discessit ipse, & vt idem faceret, homini persuasit. Apostolumque suæ sententiæ comitem adseiscunt his verbis loquentem,

Secun-

Secundem Principem seculi huius. Sed nimirum alij inficiantur fuisse aliquando, cum ille diuina uoluntate imperio præflet hominibus; uerum homines sua sponte, atque iudicio, cum suis perturbationibus, voluptatibusque morigerantur, sub iugum mitti Diaboli. Imperariquit, inquit, formationi Domini, id est, hominibus, hanc iis seruitutem uoluntate sua deligentibus. Qui uerò hæc ipsa ad historię leges exigunt, animal hoc draconem esse affirmant, cuius ortus cæteris omnibus marinis belluis antecesserit, atque ea re principatum formationis Domini dici, quod ante ea animalia, quæ degunt in mari, fuerit procreatus.

*Factus, vt illudatur ab angelis eius.* Symmachus, Factus, vt eius gladio adigatur. Quoniam à Deo dicebat, illud consequutum est, vt & sanctis Dei angelis, & qui cum angelis æquantur, hominibus ludibrio sit atque despectui. E v s t b i r. Dabitationem hoc loco diuinus sermo remouet, dum docet, ideo vitam illi concessam esse, vt sanctis Dei, qui cum eo pugnas exercent, esset ludificationi, hamos ei nonnunquam, interdum uerò naribus eius fibulam iniicientibus.

*Accedens autem ad montem præruptum, scit latitiam quadrupedum in Tartaro.* Præruptum montem cum dicit, incarnati Verbi potestatem enunciat; quando ad illud accessit Diabolus, eiusque perfectum est opera, vt illud cruci suffigeretur. Etenim ex ea re tam Dæmones, tum homines digni Tartaro, lætitiæ uoluptatem ceperunt; ideo, quod hominum ratione carentium, & pecudum more crucis rationem ignorarent. Fortasse etiam iis, qui Inferni custodia capti tenebantur, lætitiæ facta est, cum eos Saluatoris illuc descensus exhilarauit. Quod si iis, qui vitam à ratione seiunctam traduxerunt, ea res uoluptati fuit; quanto magis sanctis?

*Sub qualibet arbore dormit.* In iis, qui non in eadem sententia persistunt, acquiescit; in quos scriptum est illud, Arbores autumnales infructuosæ.

*Iuxta papyrus, & calamum & butomon.* Hæc omnia materies sunt atque pabulum ignis. Itaque Dæmon in fluidis, effeminatis, & fructum non ferentibus animis, qui igni materiem præbent, commoratur: fluidis inquam, atque humore redundantibus animis delectatur, qui suauitate conditam, & uoluptariam, & fluxam vitam persequuntur. Quare in aquas descendit Dominus, vt illic contenteret aduersarium. A T H A N. Sed forsitan papyrus, & calamum usurpauit Scriptura ad Dæmonis egestatem, humilemque condicionem declarandam.

*Obumbrabant autem ei arbores magna cum furculis.* Symmachus autem, \* Cum adnatis. Aut hoc dicit, Illius frui conuictu ac consuetudine magnos quosdam Dæmones, qui pari improbitati succubere. Aut illud significat, tam in paruorum, quàm in magnorum hominum sese familiaritatem insinuare; atque id conari, vt in suam ipsos illos redigat potestatem.

*Et rami amerine.* Aquila, Salices torrentis. Sæpè enim, qui uirginitatem coluerunt, sunt illius partes sequuti, uti fatuæ uirgines, uti ij, qui nuptias criminati sunt. Sed forsitan hoc loco Scriptura amerinam, seu salicem torrentis non ad symbolum uirginitatis vllum transtulit; sed tantummodo ad superfluentem humorem significandum adhibuit.

*Si facta fuerit inundatio, non sentiet.* Id est, quamuis colluuiouis instar, maria omnia contegentis, notitia compleatur Vniuersum; is nihilominus in improbitate perseverabit. Doctrinaque euangelica quasi fluuiorum aqua, orbem terrarum omnem lætificante; (huc enim pertinet illud, Et declinabo super eos, sicut fluuius pacis purgans, & uiuificans terram) haudquaquam is resipiscet, neque seipso melior fiet; seu, quemadmodum Symmachus extulit, minime obtufofcer.

*Fiduciam habet, quod irruet Iordani in os eius; in oculo suo excipiet illum, intortus perforabit nasum.* Symmachus, In fibula perforabit nares. Sua, inquit, calumniandi licentia fretus, diuinam gratiam petulanter insectatur, eamque uerbis irridet, atque contemnit. Idque molitur facinus per Græcos, Iudæos, Manichæos, qui redemptionem eam, quæ è Iordane extitit, non admittunt. Excipit autem Iordanem oculo, hoc est, contemplatur, uidetque eos, qui ad ad gratiam accedunt, & contra eos baccharur. Sauciatur autem Draco, atque adeo eiusdem nares perforantur, atque nefarij in Deum maledicti nasum dimittit, ubi ad crucem admo-

uerit.

\* Genus est herba palustris, que acie acutata, secleremq; habet: de qua Theophrast.

\* Sed à uisus. \* σω ταις παραφουδαι.

\* ἀγνε. Amerina seu uirticis, interprete Gaza.

uerit. Vel etiam illud ipsum, *Perforabit nares*, hanc habet sententiam subiectam, Scipse subiciet, à bobus sumpta translatione, quorum nares perfodiuntur, vt ita ducantur facilius. Quasi diceret, Et nasus & dentes & facies est Draconis omnis obruta. Attamen, si hæc eadem de quopiam animali, certone dicta sint, scilicet, hic fuerit illius magnitudo corporis, & vis declarata. Sic enim de eo verbis testatur, Si forte contingat, vt bellua hæc, vi quapiam abrepta, in continentem deferatur; cæteras, quæ in Tartaro, & aquis vitam agunt animantes, quibus ipsis immanis illa bellua hostiliter insidiatur, offerri lætitia. Quòd si hæc ipsa bestia in montem aliquem, saxosumue locum eiiciatur, corporis sui granditate non humiliores tantum plantas, sed maximas etiam protegere. Tantaque est eius corporis magnitudo, vt, quamuis multa sit aqua perfusum, minimè sentiat; quamuis aquis tegatur & obruatur. Nam Iordanem fermè omnem suo corpore complexa fuerit, ac diducto oculo, aquam comprehendit. Cuius tamen admiculo si feratur ad terram, atque ad saxum allidatur, quamuis corpore sit tanto, faciem comminuat vniuersam.

*Duces autem Draconem in hamo.* S E V E R. Cæteri, Leuiatham. Et superiorem eorum, & hunc, cuius meminit hoc loco, draconem, rem vnam atque eandem esse arbitror; quandoquidem Leuiatham, vox hebraica est, eadem vtrouque adhibita; qua quidem ratione haud soliti sunt Hebraei cæteros dracones nuncupare: suo enim vocabulo genus eorum appellant vnumquodque. Certo autem ac proprio nomine is draco, qui aduersariarum potestatum princeps est, Leuiatham est nuncupatus; vt qui tanquam suum ac proprium id sit nomen adeptus. Num igitur, ô Iobe, effeceris ipse, quod Vnigenitus postea effecit? O L Y P I O D. Is enim, carne sua, quasi quadam esca, obiecta, clavis suis, quasi hamis piscem captauit.

*Circumdabis autem anulum nari eius? aut ligabis circulum in naribus eius? armilla autem perforabis labrum eius?* Theodoro, Et freno perforabis maxillam eius? Armillam dixit pro \* septo. Armilla igitur & septo, eius labra conluit Christus, ne insolenter gloriatur. Nec aliter in eius nares anulum inferuit, atque is facere solet, qui taurum domat, cumque ferocientem, atque exultantem comprimit: clauus autem adactus ac circumactus, circulus euadit. Sic autem illum anulo & capillio deuinxit, vt facile posset esse ludibrio. Ad hæc armilla ad manus adhibetur ornatum; eiusmodi bonum est opus. Hanc ergo armillam qui habet, Draconis labrum perforabit. Ac Diabolus pudore impeditus, hominem frugi reuerbitur, nec contra eum hiscere audebit.

*Loquetur autem tibi orationes supplices molliter? Feriet autem tecum pactum?* Hæc ideò dicit, vel, quia supplicibus à Domino verbis Damones petebant, vt ne eos compelleret in abyssum; vel, quia Domino dixit Diabolus, Hæc omnia tibi dabo. Num igitur, inquit, te quoque blanda oratione compellabit? num tecum feriet fœdus, vt non amplius tecum armis decertet?

*Captes autem eum seruum sempiternum?* Aut voluntate sua quis seruus efficitur, vt is, qui Deo seruire sua sponte vult; aut etiam necessitate, vt is, qui comprehenditur, atque vincitur; quod genus seruitutis sustinet Diabolus.

*Undes autem ei sicut aui? vel ligabis eum, sicut passerem pueri?* O L Y M P. Vinxit hostem Dominus noster, eumque vinculis constrictum iis, qui conuersi sunt, & effecti sicut paruuli, vt passerem quempiam illudendum obiecit. O R I G E N. Magni & corroborati animi perfectionem declarat, quandoquidem ei perinde Draco traditus est, vt passer puerulo, à quo paruulus lædi non possit. Passer autem, quo pueri voluntas tulerit, circumfertur. Nimirum hoc pacto Domini benignitate, ac munere vincit Satan, infantibus, & lactentibus, (è quorum ore laudem perfecisti, Deus,) subiectus est.

*Pascuntur autem eo gentes, diuidunt autem ipsum Phœnicum gētes.* Aquila autem, Dimidiabunt illum inter Chananæos. O R I G. Quemadmodum fidelium cibus est Dominus; sic cibus impiorum est Draco; dedisti enim eum escam populis Æthiopum, id est, filiis tenebrarum, quorum mentes occupauit inscitia. Quemcumque enim

enim ipsi sermonem complectimur, aut eum tanquam cibum sumimus à Dracone traditum, si futiles, vanasque aures admouerimus; aut accipimus à Christo, si edificantes, iuuantemque sermonem amplexi fuerimus. Iam verò ipsa Phœnicæ, Chananæa prius est appellata: siquidem Syrophœnicillam illam Chananæam Euangelia vocant: Chananæi autem Idolis cultum adhibebant. Dicit igitur ab idololatriæ Draconem diuidi, ab iis, inquam qui cruore polluantur, aris imposito, quorum alij aliud nefarium scelus admittant, ac singuli Draconis partem sibi sumunt. Hæc iccirco dicta sunt, quia Chananæi, atque Phœnices flagitiosa flagrant infamia. Quòd si de Dracone, qui sensibus est obiectus, sermo habeatur, eius videlicet magnitudo, & vis sit hoc loco perspicua; illudque simul cognoscitur, vinciri eum, tradique puero, vt in eum tanquam in passerem illudat, minimè posse. C H R Y S. Adeo immani magnitudine illius est corpus, vt vni toti nationi satis esse possit. Nec verò hæc eò dicuntur, quò futura sint aliquando. Phœnicum etiam mentio propter mercaturam, nundinationemque facta est.

*Omne autem nauigabile conueniens non ferat corium vnum cauda eius: & in nauigijs piscatorum caput eius.* O L Y M P. Aut serotum valet, quod hic positum est, *Corium*, aut verò squamam, vt hæc tanquam in Draconem dicta conueniant. Ergo hoc dicit, Si cuncti vnà conueniant homines, qui vitam hanc, quæ mare dicitur, nauigant, nec leuem quidem insularum postremarumque Potestatum iniuriam per seipos esse prohibebunt. Sed tamè Dominus confregit caput Draconis. O R I G E N. Vt autem dicamus apertius, Homines, qui corporibus, vt nauigijs vtuntur, ima, extremæque Draconis perimere per se ipsa non possunt; diuina tamen vi, ac potestate circumsepti, & illum totum exportare, & necare possumus. Hæc enim ratione vnusquisque Diabolo, quantum in ipso est, necem adfert. Nam huc illud spectat, Deus autem conteret Satanam sub pedibus vestris velociter. Seu aliter, Piscatores ij sunt, qui in Ecclesia docendo præsunt; nauigia autem ipsa ecclesiæ: porrò Draconis caput infernalium Potestatum insularumque rabiem incitante. Ac variè quidem piscantium Apostolorum itineri, atque prædicationi conatus est is aduersari. Ili verò Dominum imitati, caput complexi Draconis contriuerunt; sui que Domini causa mortem oppetiuerunt. Et de cetero quidem haud est obscura sententia. Quamuis enim omnia, quæcumque sunt ad nauigationem idonea, congregantur, detrahi tamen de eius cauda pellis non possit; nec reperiantur nauigia, quæ caput appropinquans aut sustinere, aut capere queant.

*Impones autem ei manum, recordatus b. li. facti in corpore eius? & non amplius faciat?* C H R Y S. Bellum hic dicit, illius terrorem ac feritatem. Huius autem versus talis est sententia, Manum, inquit, iniice, ac belli, quod tibi cum Ceto gestum est, recordare; tuaque, si potes, virtute perfice, vt semel à te debellatus, obistere in posterum non audeat. Sanè formidolosum est bellum, quod aduersus Leuiatham incipitur, ipsaque bellua est ad expugnandum difficilis, & nos continenter oppugnat.

*Non vidisti eum? nec in ijs, quæ dicta sunt, es admiratus? Non timuisti, qui preparatus est tibi? Quis enim est, qui tibi resistat? aut qui resistet tibi, & sustinebit?* Huius loci planiore interpretationem instituētes, tale quidpiam à Domino Iobo suggeri affirmamus. An tu acie cõtra Satanam instructa, manum tuam dextram illi iniicies? præsertim cum pugnarum memoriam repetieris, quæ cum eo sunt à viris iustis pugnatæ? Vtrum belluz nec vides nec attendis ferocitatem? An non te stupore percellunt ea, quæ de huiusmodi bellua dicta sunt: illa inquam, Vt cypressus sublata cauda? impliciti nerui? costæ æneæ? dorsum ferro valentius? cuiusvis generis arbores vmbra corporis sui opacatæ? Auuius totus absorptus? cuncta nauigia, & quæ nauigationi sunt apta, haud esse idonea, quæ minimam ab eo partem possint auferre? Hæc omnia cum audis, non horres? nec bestiam expugnari non posse intelligis? Quanquam haud erit posthæc hæc ipsa fera formidolosa, neque eiusmodi, quæ superari non possit. Nam eius vincenda mea est omnis potestas; nullus est enim, qui mihi queat obistere; nullus, qui

meam possit iram sustinere.

*Si omnis, quæ sub celo est, mea est, non tacebo propter ipsum.* Quandoquidem rerum omnium opifex sum, & Dominus, cum, qui regionem, quæ celo subiecta est, populatus est vniuersam, non feram amplius; sed eam persequar, atque viciscar. Atque horum verborum à nobis explicatam sententiam cæterorum interpretum consentiens explanatio confirmat. Nam pro illo, *Ne fiat amplius*, Theodotio, Principatus eius mentitus est, reddidit; Symmachus verò pro illo, *Non vidisti eum?* Deus speciem eius destruet, interpretatus est. Ex quo planum sit, principatum, ac dominationem Diaboli, quam is per tyrannidem occupauit, fore mendacem, & inanem, ac Christi virtute fore delendam; fore etiam, vt illius splendor adulterinus defluat, & occidat. Amittet enim, quos habebat, captiuos, planè nudatus. Nec enim illum, inquit, feram amplius, neque cæteris, cum eum suscitato, misericordiæ claudam viscera: quam ipsam sententiam reliqui expresse runt.

\* διωμεις.

*Et verbo \* virtutis miserebitur æqualem sibi.* Et quid, inquit, mirum est, si pretiosissimum, & maxime proprium, atque meum peculium hominem, Diaboli dominatione oppressum, haud ipse despexero? quando nec æqualem suum homo contemnit; sed, quoad eius facere potest, illi ipsa opitulatur? sed nimirum eiusdem loci hæc à quibusdam aliis adfertur interpretatio. Eiusmodi, inquit, de Diabolo supplicium sumam, cum meæ potentia verbo fuero vsus, vt is, qui cum eo exæquabitur, Antichristus, miserandus videatur; quippe sit pari supplicio constringendus. Mihi verò hæc ipsa verba, ad proximè superiora attextenti, hanc nulla vi extortam habere videntur consequutionem; præsertim si ad hunc modum hæc omnis connectatur oratio, Nunquid manum impones ei? aut belli, quod cum eo gestum est, recordabere? Verum enim adeo animo, poneque metum: cum hæc de illo audis dici, mentem erige, ac te fiducia sustenta. Neque enim id eueniet amplius. Ipsa enim bellua est mihi ad necem proposita; nec eius causa ego, qui sum terrarum omnium dominus, tacebo. Quis autem mihi resistet? Quis ipsius æqualium Dæmonum misericordiam tribuet illi? non eam misericordiam loquor, quæ nuda est, atque operis expers; sed illam, quæ est potestatis verbo corroborata. Nec enim eorum est quisquam, qui huius misericordiæ & potentia verbo, aut Satanæ ferre suppetias, aut Domino queat obistere. Quamobrem aut hoc dicit, aut verò illud, neminem hominem cæteris eiusdem naturæ confortibus misericordiam impertiri potuisse, nisi solum Christum, Deum hominem. Non enim angelus, non homo, sed ipse Dominus salutem nobis dedit.

*Quis reuelabit faciem indumenti eius?* O L Y M P. Id est, nemo, me vno excepto. Faciem autem indumenti dicit diuersas, quas vicissim personas, quasi histrio suscipit. Ouis enim naturam, fingendo imitatur, cum lupus existat; nec non in angelum lucis transfiguratur, cum sit tenebræ. N I L I. Tanta eum, qui magister & doctor est, scientia præstare oportet, vt occultas luctandi rationes, quibus aduersarius vititur, iis, qui in ipsius fide sunt, ac tutela, possit ostendere, atque etiam vt eiusdem aduersarij prædicat insidias, quò sine labore disciplinæ suæ alumnis victoriam comparet, atque è certamine corona ornatos suos deducat: scilicet rarus sit hic doctor, nec facile reperiatur. Hoc demum magnus de seipso his verbis testatur Paulus, Non enim ipsius cogitationes ignoramus. Et hic quidem scriptum est, *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* Quibus verbis eiusmodi est subiecta sententia, Non ea, inquit, quæ apparet, illius est persona. Etenim multiplici amictu suam tegit improbitatem, quandoquidem ea, quæ est in conspectu persona, captiosè allicit; illa verò, quæ est in operto, interitum, exitumque insidiosè machinetur. O R I G E N. Quamobrem non dixit, *Quis reuelabit faciem eius?* sed addidit, *Indumenti?* Quid hoc loco vox sonat, *Indumenti?* Vt id, quod dicitur, planius percipi possit, à laruis & personis, quæ imponi solent hominibus, exemplum peremus. Sumunt igitur ij, qui in scenis versantur histriones, personas nonnunquã præfectorum, interdum regum, aliquando etiam mulierum. Et quidem, quæ illorum est propria persona, latet, & quod sunt, id non videntur; existimantium enim

iudicium fallunt. Talis est Draco; nunquam personam suam palam ostendit; verum eiusmodi personam gerit, qua fallere queat homines. Et hic quidem hostis variis tueretur, sustinetque personas, & ad singula vitia aptas singulas. Ergo quis demonstrare, quis retegere, quis in lucem, ad spectumque proferre possit intus latitantem Draconem? S E V E R I. Ad cuius impudens varium, testumque declarandum ingenium, atque ad variam earum, quas extrinsecus assumit, personarum commutationem significandam, corporatam quandam diuinus sermo, expressit effigiem; cum dixit, *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* Et quoniam huiusmodi, quæ extrinsecus apparet, varietas, veluti ex imo occultæ improbitatis eius loco existit; idè ad ea, quæ dixit, hæc item adiungit:

*Implicaturam autem pectoris eius, quis ingrediatur?* O L Y M P. Symmachus autem, In duplicationem \* Iquamæ eius quis subingrediatur? Multiplex, inquit, est illi pectus, & inuolutum. Nihil habet aperti, sed clausa occultaque omnia. Quis ergo in cordis eius consilia intret? sunt enim abdita. Quamquam Christi qui cupidi sunt, dicunt, Non enim eius consilia ignoramus. O R I G. In thorace, ac pectore est animi principatus. Verum haud nudum, & simplex eius est pectus, sed multiplex ac fraudis plenum; sed eiusmodi, vt in illud inferre oculos sancti, & penitus introspicere possint. Quamuis enim sit illud ipsum complicatum, homini tamen sancto haud est inuolutum.

\* φολιδος.  
squamae, cor-  
ticis, pellis.

*Portas faciei eius quis aperiet?* S E V E R I. Oris impudenter mentientium haud vnum est, sed multa sunt ostia, & è ianua quidem vna promere videntur sermonem; sed tamen multas intus continent clausas: at, cum abditarum cogitationum impudens artificium suaserint, quam maluerint, pro arbitrio referent, idè que vt ad perniciem, atque interitum quempiam aucupentur. O L Y M P. Quis igitur, inquit, consiliorum eius recessus, ac latebras peragrabit? facietque illufres? Sunt enim faciei eius aditus interclusi, vt illius consilia cerni planè non possint. Cum enim veterator sit, specie quoque boni oblata, lædere solet. Ita Iudam, intemperanter penitentia vsus, in aliam quandam voraginem præcipitem egit, cum à crimine proditoris ad seipsum strangulandum eundem adduxit. Ergo ea occultit, quæ in animo habet. Quis igitur talis vir fuerit, vt ipsa illa queat in lucem, ad spectumque proferre? palamque ostendere, quantam is fraudem, quantum virus, quantum scelus conceptura contineat? Quis, inquam, patefecerit? planè, præter me vnum, nemo.

*In circuitu dentium eius timor.* Theodotio, Circa dentes: de quibus scriptum est illud, Dentes peccatorum contriuiti: & illud, Dominus conteret molas leonum, Nequaquam talis est Dei timor. Et timor, inquit, in circuitu dentium eius. Verum enim, si Christum in teipso habueris, nulla te cura huius terror angat: Dominum enim tuum timebis, & extra illum, neminem præterea metues. O L Y M P. Dentes Draconis verba sunt facinorosa, falsi prophetæ, mendaces doctores, qui toto ore mordent. Est iis etiam horribilis, qui haud sciunt, quidquam per minas & metum sine Dei permisso fieri ab illo non posse.

*Viscera eius sicut aenea.* Aquila autem, Corpus eius superfusio clypeorum; Symmachus verò, Superbit procedens in clypeis. *Viscera eius,* hoc est, consilia eius veneno imbata sunt, nec mollia sunt, & quæ lecti peccant, sed obstinata, præfracta ac dura. Dogmata sensa, & quæ sunt abdita, clypeorum iacula sunt. Nempe eius cuncta præcordia clypei sunt, non molles, sed duri. A T H A N A S. Olim quidem Diabolus acer, ac vehemens extitit aduersarius, multa contra homines astutè & sceleratè agens, ac multos suis falsis visis, implicabat errore, neque cognitio & animaduersio facilis erat erroris. Vt iam de eo Spiritus sanctus dixerit, *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* & quæ sequuntur. Neque enim, quod erat, hoc item apparebat; verum ad illud ipsum, quod callide ac nefariè machinabatur, nullo se negotio fingebat, & mendacibus spectris accommodabat. Verum tamen, vbi Saluator aduenit, tum demum omnis est eius falsa visio, ac species patefacta. Quæ enim illius facinora fuerunt, antè ignorata, nunc (quod ipsum Christo acceptum est referendum) minimè sunt obscura; & in quibus rebus

quondam fallebat homines, in iisdem nunc ipsemet proculcatur. Quouis enim diabolico impetu, quouis Dæmonum furore est fides valentior. N I L I. A. ne se ipse, dum hæc ait, in eorum numerum adscriberet, qui Draconem ignorant, certa exponit signa ac notas, quibus vniuersam se Draconis portentosam conformationem tenere testatur. Nam, inquit, *Viscera eius suta ænea.*

*Nexus autem eius, sicut smerites lapis, vnus cum alio conglutinatus est.* O L Y M P. Ita est eius corpus conexum, & coagmentatum, vt vna pars sit apra ex altera; cuiusmodi smerites lapidis fertur esse natura. *Vnus enim cum altero conglutinatus est.* Dicitur hic lapis solidissimus esse, vt ad adamantem proximè accedat, & ferrum ad se rapere, & summa asperitate, atque aculeata duritie, vt etiam ad insculpendum in vitro adhibeatur. Nequitia quoque diabolica idonea sunt, quæ duros etiam atque rigidos ad se alliciant; quæ ipsa hæctenus, vt nequitia sunt, inter se cohærent, quamuis ratione quadam contraria videantur. Ex his Diaboli pertinacia ac dura barbaries demonstrata est.

*Spiritus non pertransit ipsam.* Id est, nec vna quidem anima eum vitet, eiusque effugiat improbitatem, cunctis struit insidias, nec vllum eum spiraculum later. Nam & infantes à parentibus traditum trahunt peccatum. O R I G. Illud verò, *Non pertransit,* non ideo dictum est, quod non transeat atque prætereat; sed quia nihil eum præterit; per eum transire vniuersos est necesse. Danda igitur nobis est opera, vt non in eius potestatem veniamus.

*Vir si irri suo agglutinabitur, coniunguntur & non auellantur.* Si vehementer nonnulli, inquit, conspirarint atque conenserint, vt pænè nullum inter eos diffidium possit existere; tamen hos ipsos adoritur. Ac vide, ne forte de flagitiis & de flagitiorum auctoribus Dæmonibus id dicat. Nam, sicut homines naturæ similitudine & cogitatione inter se ipsi sociantur atque conglutinantur; sic etiam Dæmones societate iunguntur; tamen si actionibus & facinoribus contrariis operam nauant. Etenim hic fortasse ad meretriciam libidinem & scditatem; ille verò ad superbiam impulsi: vnus est enim iis omnibus finis propositus, hominis exitium atque perniciem.

*In sternutatione eius elucet splendor.* C H R Y S O S T. & O L Y M P. Postquam, inquit, sternuit, lumen efficitur. Sternutamentum autem bonæ habitudinis est signum. Malis ergo delectatur, atque inter eos splendet. Sternutamentum purgandi cerebri vim obtinet. Quoniam igitur is transfiguratur se in angelum lucis, simulat se posse purgare. Statim ergo græci & præstigiatores quosdam sibi parant lustrationes, & rationem quandam lucis simulant: verum sordibus pleni sunt, ac referti. Mihi verò splendor ille ignis, qui in sternutamento micat, hoc significare videtur. belluam illam esse horrificam; quippe adeo est agrestis, adeo valida, adeo nil reformidans.

*Oculi autem eius species Luciferi.* O L Y M P. Verum id opinionis errore atque mendacio, neque enim veram lucem eius oculi habent, sed Draconis sunt oculi. Vt ij, qui insignem sibi vendicant eruditionem, atque scientiam, & hæresibus corrupti sunt; qui nec luciferi sunt, nec diei lumen habent; sed Luciferi vanam duntaxat speciem præferunt, scilicet vt eo artificio simulationis decipiant. O R I G. Oculi quidem eius Luciferi non sunt, sed *Luciferi species.* Transformatur enim in angelum lucis, in simulatam cælestis sideris formam sese induit, atque diei notam, insignemque ementitur. N I L I. Hæc dicit, vt nefarium eius simulandi artificium ante oculos ponat. Etenim, dum Luciferi formam suscipit, inruentium ad se oculos conatur allicere: interioribus autem illis clypeis, iis, qui propius accesserint, interitum machinatur.

*De ore eius egrediuntur lampades accense, & proiciuntur carbonem ignis.* O L Y M P. Id est, conuitia, atque sermones impiorum, atque eorum, qui athei sunt, doctorum. Ad eorum scelus amplificationem sermonem geminavit. O R I G. Equidem existimo omnes impios sacrilegorum dogmatum interpretes os esse Draconis; vt aliquam etiam ex his testam metaphora sententiam eruamus. Necnon hæc ij spectant sermones, qui interimunt. Quocirca, si quando sermonem auri-

bus acceperis, Christianæ pietatis specie testum, sed Opifici calumniam inferentem, verbi causa Marcionis, Valerini, Basilidis sententias impias ac nefarias iactantem; si quando ab his cæli, terrarumque parentem maledictis, & conuiciis verberari animaduerteris; si quando eiusmodi quidpiam videris; sanè tunc etiam cerbes ex ore horum carbonem, torrefque foras erumpere. Quò maior etiam nobis cautio adhibenda erit, ne illa nos quoque facies amburant, ne forte illa nos candentes craticula, ritione sue attingant.

*De naribus eius egreditur fumus fornax accensa igni carbonum.* O L Y M P. Lædit oculos fumus; peccatum autem atque mendacium intelligentes animi oculos obæcat. Et quoniam eius Draconis, quem animo duntaxat cerbere possumus, viscera fornax sunt; impura cum necesse est vri respiratione. Illud item scito, nares eius esse hæreticos. Quamobrem videndum id nobis est, nequid à Dracone efflatum ipsi hauriamus, vt ne nobis ipsi ignem admoueamus; spiritum ducamus, non fumum, quo facile, interclusa anima, suffocemur.

*Anima eius carbonem, flamma autem de ore eius egreditur.* Videtur animam eius dicere arrogantiam intolerandam. Gloriosa enim, contumeliosaque verba, quæ illius ore egrediuntur, nil aliud sunt, nisi quædam flammæ, quibus illi ipsi, qui vlturpant, exuruntur.

*In collo eius \* diuersator fortitudo.* O L Y M P. *Collis,* id est, mentis elatione. *Diuersator,* autem, quia nunquam quiescit, semper superba meditat. Et quæ erecto collo progrediuntur, vt inquit, Isaias, collum eius sunt, vim tantum ad fallendum habentes. Adhæc est potestas, & fortitudo quædam improba. Sed tamen infirmitas, quam mea causa Saluator meus & Dominus suscepit, quæ Dei infirmitas dicitur, illius vim potentiamque debellauit. Quod enim infirmum est Dei, inquit Apostolus, fortius est hominibus; ego verò dixerim; Draconis potestate fortius.

*Ante eum currit Perditio.* O L Y M P. Primum quidem labes animi quis concipit, id est, voluptates atque vitia, quæ quidem eum præcurrunt; deinde domum inuitat, accipitque Diabolum. O R I G. N. Quasi enim quidam eius est prodromus, & satellites ipsa Perditio. Quocumque enim is iter conuerterit, præcurrit illum Perditio: deinde sese ille insinuat. Ac, nisi quis prius Perditionem exceperit, Draconem minime excipit. Quando enim prolapsus quis fuerit, tunc vbi voluptate aures titillata fuerint, vbi perit, magistros querit, Draconem inuenit, atque illum tantis malis oneratum sua complectitur anima.

*Carnes autem corporis eius conglutinatae sunt.* Illius corpus sunt peccatores, & qui peccati architecti sunt, Dæmones, sicut & Ecclesia corpus est Domini. Nec verò dixit, *\* Vnitæ sunt;* verum, *Conglutinatae sunt.* *\* Nec enim quid vnū est penes Diabolum.* Neque enim eorum, qui dogmatum impiorum sunt principes, congruentes sunt voces, coniunctæque sententiæ, licet similia dicere videantur; nempe affectuum, & perturbationum glutine copulantur. Eius Ecclesia haudquaquam est vna: secum enim ipsa pugnat. Quippe tale est vitium, quod non solum virtuti, sed sibi quoque est ipsum contrarium.

*Effundit super eum; non commonebitur.* Symmachus, Carnes eius circumfusa sunt, ipsi immobiles. Cuius interpretatio hanc sententiam indicat, esse illi carnes, ex omni parte offusas; nec vim eius flecti posse ad bonum, quæ planè inexorabilis sit, atque immutabilis. Septuaginta verò hoc docent, Quacumque vtratur aliquis infusione, quocumque vtratur obsequio, quodcumque ei tandem adhibeat; fore tamen vt nihil is sentiat, curationem nullam admittat. Itaque vt eum & obfirmasse animum, & obduruisse ad improbitatem ostendat, subiungit;

*Cor eius concretum est, sicut lapis; stetit autem sicut incus indomita.* C Y R I L L I. Duræ atque implacabiles admodum sunt, quæ à Deo ad Satanam Potestates defecere. Serò etiam quodammodo opus aggrediuntur, & vix quidem diuinæ iræ moderationi obsequuntur. Satan verò ea feritate est, cui haud par sit oratio vlla, necnon summa est animi obstinatione, atque sententiæ. S E V E R. His pernicax nequitia Dæmons, quæ flecti non potest, & impudente, quæ ex improbitate oritur,

vis quasi certis quibusdam coloribus describitur. OLYMP. Inftar lapidis, inquit, concretum est cor eius, atque compactius; nec molli potest; nō rationi mōrgeratur; non sc̄ditur; sed planē obfirmatus est, & pertinax; non ducitur; non impellitur; non rationem sequitur; durus atque inexorabilis. Et tamen, si quis à Diabolo vim, potestatemque acceperit, hic quoque cor habeat implacabile atque indomitum; quod ductum impellentis minimè sequatur. Verum, si quis imitans aurum, auream orationem, rationemque sequatur, hic demum cedit, & obsecūdat, quoad aurea euadat bractea, diuinarumque literarū notas suscipiat.

Cum autem ille conuersus fuerit, terror bestijs quadrupedibus super terram saltantibus. OLYMPIOD. Symmachus autem, A motione eius verebuntur fortes. Cum is inquit, vel in eos etiam, qui sibi parent, quorum sunt mores efferati, qui more quadrupedum desipiunt, qui terrena sapiunt, conuersus fuerit; ab eo perterrefacti, saltant, & contremiscunt. Accidit enim sæpenumero, vt nec suis parcat Diabolus, sed illos ipsos pulset; & quia genus odit hominum vniuersum, afflicet ærumnis.

Si obuiauerint ei lanceæ, nihil terreant hastam sublatam, & thoracem. Hoc magis enucleatè expressit Symmachus, Cum apprehenderit eum gladius, non subsistet, neque lanceæ sublatio, & thoracis: ex quibus belluæ pernicacia, duritasque ostenditur. Illudque simul indicauit, omnibus, quas illi sancti adhibent, spiritualibus, hostilibusque machinis, nil commoueri sensu, sed eundem manere.

Reputauit quidem ferrum paleas; as autem, sicut lignum putridum. Spirituality, inquit, arma imbecilla ad suum interitum existimat esse. Vti paleas, putridumque lignum, quæ luculentam plagam infligere nequeant, illa ipsa ducit.

Non vulnerabit eum arcus æneus. EVAGR. Planè nihil Saratam sauciat. Temperantia autem & caritas eum interficit.

\* Est propriè machina bellica ad lapides excutiendos; sed Olymp. sumit pro fundæ.

\* Petrobolum reputauit sc̄num; sicut stipula reputati sunt mallei. OLYMP. Petrobolum funda est: quam obrem ceteri pro petrobolo, Lapides fundæ, dixerunt. Mallei verò, hoc est, plagarum ictus quasi inanes ac leues pro nihilo ab eò putantur.

Deridet autem iactationem vibrantem. Alius verò, Vibrantem clypeum. Sanè vita Deo cara, & quæ spiritu ferueat, vibrans, & ignifera fuerit. Hoc igitur dicit, Si quis, eiusmodi viuendi ratione, quæ sanctum hominem deceat, illum commouerit, nihilominus contemnat; licet vibrantis scuti iactatione procurbare quis eum adoriatur, huic etiam illudat.

Lectus eius, sicut obelisci acuti. Theodotio autem, Sicut ferrea instrumenta artificis. In luctuosis namque rebus, & asperis quietem capit. Ac, si de animante dici hæc volumus, duro & aspero corpore illud esse, vt in obeliscis etiam dormire, & nihil ex ea relædi, vulnerifue accipere possit, diuini testimonij auctoritate intelligimus.

Omne aurum maris super eum, sicut lutum indicibile. Maris, pro mundo positum est. Ac, licet Dominus dicat, Meum est argentum, & meum est aurum; nihilominus hic mentitur, ac sua illa esse confirmat. Ita Saluatori, quasi totius orbis terræ auro onustus, dixit, Hæc omnia tibi dabo. Et quidem animal, quasi lutum aurum ducit, quia eius minimè indiget.

\* καὶ χλάσει.

Feruere facit abyssum, sicut ferrarij officinam. Aquila autem, \* Feruore concitabit: siquidem animus illius ignis est, æstu omnem vitam commouens atque perturbans.

\* ἰζὺ λαίπ-  
τηοῦ.  
\* μερεψήθη-  
εἰς.  
\* ἀναβρασε-  
σι, μέθυ ἀ-  
ποστῶ.

Reputauit autem mare, sicut \* vas vnguentarium. Aquila autem, \* Vas vnguentarium; Symmachus verò, \* Condimentum ebulliens, est interpretatus.

Tartarum autem Abyssus, sicut captiuum reputauit: Abyssum sicut ambulationem. Insolenter se iactans hæc omnia putauit se posse, & maria delere, & Tartari imperium tenere. Idquod per eius personam Isaias his verbis significauit, Orbem terrarum vniuersum manu comprehendam, sicut nidum. Sed nimirum ex omnibus est locus eiectus, quæ stultus se occupaturum putauit. Er è celo quidem ab initio, è terra verò atque ex Inferno per ipsam Domini incarnationem. Itaque

que

que præter tenebras, quæ illi paratæ sunt, nullus est ipsi locus præter eam relictus. Exaliptron autem vnguenti est trulla: vt huius vitæ præturbationes, atque acerbitates voluptati ac iucunditati illi esse ostendat. Vel etiam vnguentarium vas pro re quapiam vili positum est.

Nihil est super terram simile ei. Symmachus autem, Nō est super terram potestas eius. Factus, vt illudatur ab angelis meis. Rectè dixit, Super terram; quandoquidem de cæli fornicibus eiectus est. Simile verò intelligitur tum potestate, tum nequitia. Et tamen tantum, inquit, ac tale monstrum ab angelis meis atque ab iis, quorum par angelis est condicio, ac virtus, illaditur. At Symmachi interpretatio aut hoc docet, nullam in terris potestatem existere, quæ cum illius conferri possit; aut verò post Saluatoris aduentum esse illum foras eiectum, nec eius vllam esse amplius potestatem.

Omne excelsum vider. Theodotio autem, Omnem superbum intuebitur. Totus enim superbia est, nihil humile mente pertractat.

Ipsæ autem est rex omnium commorantium in aquis. Id est, eorum qui mollem, fluxam ac voluptariam vitam traducunt. Pro quo Symmachus, Omnis \* virulenti, extulit, Theodotio, Filiorum \* sordidi artificij & quæstus. Quare orandus nobis est Deus, vt ne peccatum nobis dominetur. Quandoquidem hæc demum causa fuit, cur ad describendam Dæmonis nequitiam & pernicitiam fictas corporum similitudines, atque imagines diuini sermo adhiberet. Id enim studuit, vt, metu percussus, ad illum, qui seruitutis iugum capto Draconi imposuit, confugeremus. Et hæc quidem adumbrauimus, summamque perstrinximus. Is verò, qui descriptum Draconem cetum esse quendam, qui in sensuum iudicium incurrat, aiunt, hæc ipsi ratione satisfacimus. Si re ipsa cetus aliquis reperitur eiusmodi: tamen dubitandum non esse, quin sæpenumerò tum Diaboli, tum flagitiosorum callidorumque hominum mores, à belluis ducta similitudine, declaremus. Ac de Dæmonibus quidem his verbis testatus est Dominus, Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones: Herodis autem fraudulentum & rapax ingenium significare cum vellet, dixit, Dicite vulpi huic. Quod si nusquam bellua huiusmodi inuenitur, non amplius propter similitudinem vllam, sed verè ac propriè de persona Diaboli dicta hæc esse intelligemus.

\* βρομαδός.  
\* βαρβαριος.

Caput vigesimumnonum.

Suscipiens autem Iob ait Domino. Iobum antea dicere audiuius, Semel loquar, secundo autem nō adiciam. Illud igitur dignam quæstionem habet, quamobrem is secundo sermone vsurpet, quo se haud vsurum esse promiserat. Sed tamè huius ipsius quæstionis perfacilis est, & perexpedita explicatio. Quia enim post illam silētij pollicitationem Dominum audiuit, cum diceret, Nequaquam: sed accinge sicut vir lumbum tuum; scilicet diuinum iussum suo promisso anteponendum putauit. Præstat enim diuinis parere mandatis, quæ sua promissa exoluere. Nec verborum nostrorum sunt pondera examinanda, vbi diuina iis voluntas fuerit aduersata. Ita rectè fecisset Herodes, si, iureiurandi impietate contempta, Præcursoris caput minimè abscidisset: & Petrus quidem præclare, qui, cum dixisset, Non meos lauabis pedes; mutata deinde sententia, dixit, Non pedes solum, verum etiam caput. Iobus etiam præclare, qui, quod diuinæ naturæ præstantiam verebatur, promisso silentio, tamen rursus loquitur, promissi silentij religione illum Deo liberante.

CAPVT XLII.

Scio quia omnia potes, nihil autem est tibi impossibile. Quis enim est calans se consiliū? parcens autem verbis te putat calare? Ceteri autem, Et non auferetur à te cogitatio. Haud se nunc primum hæc didicisse profiteretur. Eius enim uerò inuictam esse potentiam, in omnium consilia eum sese penitus insinuare, nec quenquam esse, qui illius cuncta contententem oculum possit effugere; antea se habere perceptum. Quis, inquit, parèit verbis, & mentis arcana, tamquam non euocata cælate posse se credit?

Quis



*Quis autem annuntiabit mihi, quæ non cognoscebam? magna & admirabilia, quæ non sciebam: Quasi dicat, Præter te nemo. Tu enim & vexationis mihi meæ causam indicasti, & Diaboli pertinaciam, inhumantatemque docuisti; necnon ipse diuino tuo lumine illustratus, prouidentia teæ notitiam sum ampliozem adeptus. Hæc demum erant mihi antea ignorata.*

*Audi autem me, Domine, ut & ego loquar; interrogabo autem te, ut verò me doce. Merito hoc loco querendum videtur, Quamobrem, cum quæsiturum se esse receperit, is tamen nec à Deo quidpiam fuerit percontatus; nec vlium ab eo responsum abstulerit; verum nihil interrogans, nihil audiens, dicendi finem fecerit. Hæc ergo mihi huius loci videtur esse sententia, quoniam me, inquit, ea, quæ mihi erant ignota, docuisti, audi me, Domine; ac, si quidpiam eorum, quæ me fugiunt, te rogaro, docere me ne graueret, ut & mihi eadem enuncians potestas sit, atque eorum rerum sum ceteris magister, ac doctor. Vel etiam dici potest, ea, quæ mox sequuntur, interrogationis rationem obtinere.*

*Auditionem auris tuæ audiui antea. Reliqui, Audiuit e.*

*Nunc autem oculus meus vidit te. CHRYST. Non quia oculus viderit, sed quia clarius audierit. OLYMP. Tantò de te nunc, inquit, ampliora cognoui, quanto maior est oculorum, quàm aurium notitia. Fortassis etiam hæc ad Incarnationis mysterium retulerit, quod ipsum cum illi fuisset antea obscurius traditum; nunc demum eius rei splendore Sancti Spiritus circumfusum, absolutiorem fit notitiam consequurus.*

*Ideo despecti me ipsum, & extabui, reputaui autem me ipsum puluerem & cinerem. Idcirco, inquit, me ipse condemno, quòd scire me aliquid sum arbitratus. Nunc vero, cum perceperim ea, quòd ipse meis viribus niti non possum; conditionis meæ indignitatem fordesque perpexi. CHRYS. Hæc superiorum omnium dictorum est defensio. Atque hæc eadem cum Iobus loquebatur, nondum eius ærûna prostrigata erat. Verum, cum in malis etiam versaretur; palinodia est vsus. Nihil me, inquit, facio: priora duntaxat defendo; & his quidem prorsus eram indignus. Quid igitur Deus? nempe tum Iustû absoluit, cum se ipse condēnauit. OLYMP. Quænam sit sanctorum hominum ratio, cognosce; quemadmodum, cum maioribus ipsi honoribus, amplioribusque ornamentis cumulantur, de se tamen modestius sentiant, & loquantur. Ita Abrahamus, postquam Dominum vidit, dixit, Ego sum puluis, & cinis.*

### Caput trigesimum.

**F**actum est autem, postquam loquutus est Dominus omnia verba hæc Iob, dixit Dominus Eliphaz Themanite, Peccasti tu, & duo amici tui: non enim loquuti estis coram me rectum aliud, quemadmodum seruus meus Iob. Theodotio verò, Excanduit ira mea in te, & in duos amicos tuos: nò enim loquuti estis rectitudinem; siue, vt Symmachus, Rectè. Diuinæ sententiæ absolutam rationem considera. Namque hominum opinione præclare fecerunt amici, qui Dei sint causæ patrocinaris; Iobus còtrà haud rectè, qui de iure cum Deo disceptare voluerit. Nec his temporibus desunt aliqui, qui Iobi sermonibus, perinde vt illius amici, offendantur; præsertim cum in verborum tantum sonitu conualescant. Verum tamen diuino, incorruptoque iudicio secus est visum. Atque ideò dixit, *Coram me* Apud me, inquit iudicem nihil, quod verum esset, iuste loquuti estis; cum contra Iustum suffragia vestra ferretis. At Iobus seruus meus veritatis cupidus, cuncta est yerè loquutus. Neque is peccati vilius pœnas persoluit: sed ideo est passus ærumnam, vt eius innocentia esset illustris atque perspicua. Ecquis igitur eum verbo accusarit, quem Deus iudicio suo atque sententia laudarit? Ac vide quemadmodum Iobum seruû suum appellet, quo sane nomine Iustum ornauit, neque id semel, sed iterum, & sæpius. Videbatur autem Eliphazus dignitate reliquis anteire: quare & primas sermonis, qui cum Iobo est habitus, partes suscepit: & Deus etiam nunc ad ipsum præcipue orationem conuertit; sed eam, quæ tribus amicis omnibus aptè communi-

nicarà

nicari possit. Est item illud animaduersione dignum, quemadmodum benigne Deus, nec suorum preces repudiatis, loquutus sit; quo Iobi virtus, Dei testimonio ad omnium oculos, auresque manaret, Vera is, inquit, est loquutus, cum sua præclara facinora, honestaque virtutis officia commemoraret. Vos autem ipsi, cum illum vestris sententiis condemnastis, haud vera dixistis. Verum, quid est, quòd, cum Maria Moyse obrectasset, lepra infecta est? Iobi verò amici nihil mali sunt passi? Nimirum, quia illa non tantum Moysen, sed Deum etiam Moyse laudatorem voce violauit. Hi verò, cum Dei dignitatem, & laudem extulissent, hominem tantummodo in vituperationem adduxerunt. Hinc autem duo quædam discimus: vnum est, iustos accusare, esse nefas; alterum, ob honorem, qui iustis defertur hominibus, peccata condonari. Id quod ea, quæ statim consequuntur verba, non obscure declarant.

*Nunc autem sumite septem vitulos, & ite ad seruum meum Iob; & faciet \* sacrificium pro vobis. OLYMP. Pro, Sacrificium, Aquila & Theodotio, Holocaustum; Symmachus, \* Oblationem dixit. Numerus septem perfectus, atque honore dignus à diuina scriptura habetur. Ergo perfectas victimas iubentur offerre, vt qui magnopere peccauissent. Iubetque Iobum sacerdotis munere fungi debere, atque hostias immolare. Vsq; enim eò, inquit, iustus est, vt in aliena etiam causa queat esse deprecator. Et quidem ante legem homines per se ipsi sacrificia facerant, vt Abel, vt Noè, vt Abrahamus. CHRYS. Si Lex tunc viguisset, nequaquam id Deus imperasset. Fit igitur Iobus sacerdos, amicis victimam adducentibus. Et illud attende, vt is, qui pro suis liberis sacrificium facere solitus erat; nunc etiam pro amicis faciat. Viden, quemadmodum Deus, dum iniuriarum, quas illi Iobo imposuerant, obliuionem facit insignem, ipsos illos hominis virtutis testes efficiat? Victimæ autem magnitudine, illorum quoque peccati magnitudinem demonstrat. Neque enim tantis erat iis opus sacrificiis, nisi etiã crimina, quibus liberandi erant, grauia extitissent. Illud etiam docet, haud illa fatis futura esse sacrificia ad expiationem, nisi Iobi quoq; merita accessissent. Illius, inquit, causa vobis ignoui. Ex quo perspicuum est, propter Iobum ignotum illis fuisse.*

*Iobus autem seruus meus orabit pro vobis; quia si non accepero faciem eius. Alij autem, Suscepero.*

*Si enim non propter eum, perdidissem vos. Non enim loquuti estis verum contra seruum meum Iob. OLYMP. Quantum demum honoris sanctis Dominus impartitur? Nam & illud capitale esse pronunciat, iustis detrahere, & honoris, quem suis Deus tribuit, causa, necis condonare supplicium. Necnon illud attende, Quamuis ij pietatis erga Deum studio ad loquendum adducti esse videantur, esse tamen reprehensos, tanquam nihil veri dixissent; tamen religione erga Deum incitati, oratione sunt vsi: nam profectò veniam illis Deus nò tribuisset. Quocirca Iobus, eos accusans, merito est de illis ipsis conquestus. Hinc ergo intelligimus, haud leuiter peccare eum, qui iustorum hominum nomini erimen infert, illòsue accusat; necnon errari veniam ab iis peti debere.*

### Caput Trigesimum primum.

**A**biit autem Eliphaz Themanites, & Baldad Sanchites, & Sophar Minæus, & fecerunt, quemadmodum cõstituit sibi Dominus, & soluit peccata ipsi propter Iob. OLYMP. Symmachus autem, Et suscepit Deus faciem Iob. Simulatque Deum cum Iobo colloquentem viderunt, eidem cœperunt insignia dare victoriæ. Diuino enim congressu, doctrina ac testimonio dignatum esse, prima videlicet fuit Iobi laurea. Nunc autem ornata & præmia accipit secunda victoriæ, dum pro amicis deprecatoris partes amplectitur. Certaminum porrò munus ac trophæum reportat, cum amicis veniam imperat. Etenim damno ea res Iobo fuisset, si amici, qui consolationis adhibendæ causa ad ipsum commearant, pœnas interitu persoluissent. Omnino perinuis honor ac dignitas, precibus placatum Deum peccata con-

H h cedere;

\* ἀφροδίτη.  
\* ἀναφορά.

cedere; tūm verò maximè, cūm dixerit Iustus, Et ne statuas illis hoc peccatum. *Dominus autem auxit Iob. Cum etiam ille orasset pro amicis suis, dimisit eis peccatum.* Is, qui exulceratus erat, qui confictabatur inopia, qui stratus humi iacebat, iniuriarum obliterata memoria, pro iis, qui integra sunt valetudine, pro locupletibus deprecatur. Quare, si nos ipsi in his quoque temporibus egentem quempiam hominem aegrotantemque viderimus, eundemque pro cæteris supplicentem atque eius supplicationem eue in comprobata, diuitem Domini gratiam admiremur. Et, si fortè acciderit, vt nos iisdem malis vrgeamur, ne moleste feramus: fortassis enim nos quoque eximia Dei beneficentia complectetur.

*Dedit autem Dominus duplicia, quacunque erant antea Iob in duplicationem.* CHRYS. Permisit hoc Deus Diabolo, vt vires suas experiretur vniuersas, vt cunctas sagittas exhauriret. Postquam autem illas omnes excussit, nec vllum insidiandi locum sibi reliquum fecit; tunc demum è cauea Athletam Deus eduxit, quò illius aperta atque illustri victoria fieret. BASILIUS. Tentationum duo sunt genera; nonnulli enim egestate tentantur, alij autem exercentur diuitiis. Prioris generis exemplum in Iobo inuictò duce est nobis propositum; qui, cūm vim omnem Diaboli, quasi torrentis impetum, magno erectoq; animo exceperet, tantò est illius virtus & gloria tentationibus magis exaggerata, quanto petitiones in eum, quæ vitari vix posse videbantur, vehementiores coniecit. ORIGENES. Qui igitur tentationem est omnem perpeffus, altero tantò maiora iis, quæ antè possederat, sua videlicet tolerantia præmia adipiscitur. Nec verò Deus suis binis, sed centenis etiam partibus ampliora præmia dilargitur. CHRYS. Nec verò duabus partibus posteriores opes prioribus antecessissent, nisi Iobus quoque virtutem duplicatam prætulisset.

### Caput Trigesimum secundum.

**A** *Vdiuerunt autem omnes fratres eius, & amici eius omnes, quæ accidunt ei, & venerunt ad ipsum.* Scripturæ diuinæ suscepit consuetudo, vt cognatos omnes atque propinquos, fratres, sororesque appellet. Illud verò, *Audierunt, quæ Iobo acciderunt,* non ideo dictum est, quòd calamitatis essent ignari; sed quia vnusquisque cum altero de tentatione illa, diuinaque visitatione colloquebatur; eratque cunctis iucundum atque vtile de Iusto narrare atque audire. Fortassis etiam propinquorum inhumanitatem diuinus sermo perstringit, qui simulatam amicitia propinquitatisque speciem imitarentur; quandoquidem ab eo, cum premeretur ærumnis, longius abfuisent; vbi verò esset rebus tranquillitas restituta, tūc auditio ne superiora accepissent, atque gratulandi causa aduolauissent. Quemadmodum enim illius calamitatem tanta est derelictio consequuta; vt etiam eius vxor, quæ regina erat, mercede conducta seruitutem seruiret; ita, postquam eum gratia diuina reuifit, omnia vigerunt. Ita fit ad eum propinquorum cōkursus. Amici munera deferunt, epulas dant, dantque conuiuia, nec quidquam fuit illi deinceps non plenum suauitatis atque lætitiæ. Illud verò commutati status erat haud dubium argumentum, quòd ei, quem sic Deus honore affecerat, tãquam regi homines honorem deferre solerent, quòd etiam superiora omnia conuerterant illi in bonum, duplicataque essent vniuersa.

*Et omnes, qui tunc cognouerant eum à primo. id est, antea prius.*

*Comedentes & bibentes apud ipsum, consolati sunt eum, & mirati sunt super omnibus, quæ induxit super eum Dominus.* Symmachus, De omni malicia; malitia; vocabulo malum ipsum, afflictationemque declarans. Et sanè res admiratione perquam digna videbatur, Iustum hominem tam multa esse perpeffum, atque adeo miserè diuerxatum fuisse. OLIVIERUS. Nempe igitur Iobus peramans, atque immemor iniuriarum, necessarios & cognatos aduentantes excipit, & ea, quæ adferuntur ab iis, minimè repudiari; nec fecit, quòd multi solent; nec tali quapiam oratione venientes accepit. Quandoquidem nec me aegrotantem inuifistis, nec adiuuistis; vos item mihi haudquaquam estis complectendi, nec vlla re vestra indigeo. Quin etiam

\* In exempl. legitur, *συνήθησαν πρός αὐτόν, ὡς ἔθος ἔστιν, ὡς ἔθος ἔστιν, ὡς ἔθος ἔστιν.*

etiam & eos, qui conueniebant, comiter amplexus est, quasi nil ab iis mali accepisset, & cum iisdem conuiuia concelebrauit, atque idipsum, quòd agebatur, ei pro solatio fuit. Cūm enim factum esset diuinitus, vt ad eum certatim accurrerent, nequaquam illorum aduentum, id est, diuinum beneficium, sibi contemnendum putauit. Immò verò cunctos est benignè complexus. In quo autem Abrahami est virtutem imitatus. Is enim munera à Pharaone data accepit, ratus à diuina beneficentia illa esse profecta.

### Caput Trigesimum tertium.

**D** *edit autem ei vnusquisque agnam vnā, & tetradrachmum aureum non signatum.* Agnam adferunt, tanquam inuiti conuiuium. Tetradrachmum autem aureum, quòd numismatis est genus, vt eò honore afficiant Iobum. Aquila & Theodotio pro tetradrachmo, Inaurem auream. Symmachus verò, \* Narium ornamentum expressit. *Non signatum* autem, pro illo est, cui nulla forma est publica; cui nullus character impressus.

*Dominus autem benedixit nouissima Iob, quàm antea.* Prioris opes, non tanquam præmia virtutis, Iobo datæ fuerunt; verum vt in iis exerceatur; fueruntque illi diuitiæ certaminum leges. Posteaquam autem is pugnauit, & magister factus est omnibus, quemadmodum eos vti deceat diuitiis; posteaquam omnibus fortunis euersus cum egestate legitime decertauit; tūm demum Magnus agnotheta Deus geminam illi bonorum possessionem, quasi legitimum virtutis præmium largitur. Neque verò historia diuina duplicatorum bonorum numerum prætermittit, diuinamque benedictionem ea, quæ ad corpus referuntur, bona esse confirmat. Nimirum liberum, cæterarumque externarum opum copia apud præcos illos in diuinarum benedictionum numero habebatur, contra in maledictionum ducebatur, his ipsis rebus carere. Quoniam igitur Iobus, qui Legi ætate antecessit, tūm ad Legis, tūm ad Euangelij normam viuendi rationem expressit, sanè par erat, vt non solum, quæ bona Lex pollicita esset, consequeretur, sed vt eum illa quoque manerent, quæ sanctis in eo, quòd consequuturum est, æuo promissa sunt, quænis humana ratiocinatione, atque cogitatione longè superiora.

*Fuerunt autem pecora eius, ouium quattuordecim millia, camelorum sex millia, iuga bouum mille, asinae feminae pabulantes mille.* Superiora quidem probandæ virtutis materies fuerunt; hæc autem posteriora, remuneratio extitere victoriæ; atque ob id ipsum duplicata sunt.

*Gignuntur autem ei filij septem, & filia tres.* Sanè nauis & strenus miles Diabolum pudore affecit, eum omnem illius conatum, imperumque non solum repræsent, sed etiam in eundem ipsum caute reflexit. BASILIUS. Quidam igitur hinc consequutum est? Nempe morbus, qui in eum frustra inuaserat, nec quidquam profecit; est prostrigatus. Ad nouam quandam pubertatem, & iuuentutem caro reuifuit. Vita rebus omnibus, iisque duplicatis rursus effloruit. Domum diuitiæ vndique confluebant, vt iam & nihil amisisse Iustus videretur; atque ei perpeffionis merces esset persoluta. Sed quamobrem equos, mulos, camelos, oues, segetes, & quæ ad rem rusticam pertinent, denique affluentem bonorum omnium voluptatem, binis partibus, quæ priorem superarent statum, accepit: filiorum autem, qui deinde nati sunt, numerus demortuorum numero par extitit? Nimirum, quòd pecora ratione carentia, ac cætera fortunarum possessio, quæ suapte naturæ interit, omnino perierat vniuersa; filij autem, quamuis migrassent è vita, naturæ tamen præstantissima parte vivebant. Ergo, cūm rursus recente filiorum, filiarumque prole ornatur diuinitus, geminam quoque liberorum possessionem assequitur. Ipsi enim, qui parentes erant, ad exortos fetus oblectandos, manebant in vita: qui verò antegressi fuerant liberi, ei, à quo sati erant, præstolabantur: tunc illi coram adfuturi, cūm iudex humanæ vitæ cœtum omnem collegerit, cum tuba illa aduentus Domini nuncia, ad corporum exigenda deposita ipsa sepulchra sonitu vehementiore concusserit. Tunc enim ij, qui mortui videntur,

celerius quam viui, Vniuersitatis officem circumsistent. Hanc igitur duco causam, cur altero tanto amplioribus bonis à Deo cumulatus Iobus filiorum numerum iustitiæ suæ indicem, eundem obtinuerit. O L Y M P. Muta quidem, quod ratione minimè vigeant, & quæ ipsa interitum vitare non possint, duplicata fuerunt; filiorum autem posterior numerus priorem exæquauit: quia, licet cessissent è vita, nequaquam tamen perierant. Ita eos quoque geminatos recepit, illis quidem, qui iam decesserant, etiam uiuentibus; his verò exorientibus ac succedentibus.

*Et vocauit primam Diem, secundam autem Casiam, tertiam autem Amalthea cornu.* Videtur Iobus nominibus, quæ filiabus imposuit, bonorum, quæ sibi largitus est Deus, non obscuram voluisse significationem conficere. Ita primam Diem nominauit; idè quod ab obscurissima ærumnarum nocte ad felicitatem restitutam diuinitus, quasi ad dici lucem adspiciendam esset reuocatus. Secundam Casiam appellauit; quòd iam is odoris quadam suauitate, bonorumque voluptate fruere. Tertiam Amaltheæ cornu vocauit; quòd vitam deinde vixerit omni bonorum genere persluentem. Nam veteres illi Amaltheæ cornu ad bonorum copiam significandam transtulerunt; sic enim fides fabulis memoriæ prodiderunt; Rheam Iouis matrem exticisse; Ionem filium Amaltheæ alendum tradidisse; Amaltheam capræ illum subiecisse; Iouem verò ab ea capram eripuisse; alterum duntaxat cornu de capra detractum Amaltheæ dedisse, vt, quod sibi tandem collibisset, ipsum illud cornu efficeretur: nec verò Amaltheæ cornu ob eam rem dictum, quòd ea cornibus esset instructa; sed ea re maxime, quod huius capræ cornu circumferret, è quo vinum, mel, lac, & quicquid demum optasset illa, manaret, quemadmodum est in fabulis. Alij verò ad persuadendum magis idoneè dicunt, Amaltheam capram fuisse, hoc vocatam nomine; cornu terram effodisse; thesaurum defossum reuexisse; pastorem verò, illo ipso adepto, ex inope locupletem repente exticisse, atque ita Amaltheæ cornu ad opimum & beatum statum declarandum vsurpatum esse. Attamen, cum Scriptura aut cornu, aut Sirenum, aut vallis Titanum, aut gigantum mentionem facit, non, quia de his ipsis rebus, Græci etiam quædam falsò comminiscuntur, idè nobis quoque sunt sacræ scripturæ verba contemnenda: immo verò illorum sunt aniles fabulæ eiciendæ, veritati autem semper consulendum, atque ex ipsa, quæ diuinitus & afflata scriptura, ea, quæ utilitatem animis possunt adferre, nobis ipsis adsciscenda. Tria quoque præclara virtutis documenta, quæ tribus temporibus Iobus dedit, tribus formosis filiabus indicantur; siquidem & in diuitiis & in paupertate, & in restauratione rerum illius fuit spectata virtus. Ac, siquid etiam præterea Christiano dignum spiritu commentandum hoc loco sit, dicamus licet, Diem esse, cum Lucifer Domini ortus fuerit in cordibus nostris: nos autem ipsos suauem Christi odorem euadere, cum processus effecimus: tunc verò spiritualium charismatum nos vbertate compleri, cum augemur, atque ad perfectionem properamus. Quòd si alia quædam reconditiora hoc eodem scripto continentur, nos iis, qui cogitatione atque intelligentia longius progredi possunt, libenter relinquimus.

*Et non sunt inuenta sicut filie Iob, meliores ipsis in ea, quæ sub celo est.* Nihil promissum à Lege, non est ipse consequutus, qui, etiam si Legem non audiisset, in mente tamen Legem, scriptam ferebat, Legemque seruauit, quamuis, non à magistro acceperit. Itaque, cætera felicitate seposita, filias quoque liberali spiritu, atque egregia forma suscipit, vt earum adpectu omnis superioris ærumnæ memoria funditus interiret. Et uerò patrum est hæc item felicitas, liberos eximia facie procreare; quandoquidem & Sarræ & Iosephi & Davidis diuina scriptura commendat adpectum. Quanquam aliam quandam pulchritudinem, quæ propria animi sit, mihi considera; vt illud, *Meliores*, non magis ad corporis quam ad animi dignitatem & præclaram speciem referatur. Verum hoc ad intelligentiam. Tria quædam esse diximus tempora, quibus innocentis suæ Iobus specimen dedit singularare. In quibus sanè temporibus qui ei virtutis gloria par esset, acmo est re-

perius in terris; siue temporis, quod tentationem præcurrit; siue eius, quod refertum fuit ærumnis; siue eius, quod contentionibus tentationibusque successit, ratio habeatur. In quibus quidem tribus temporibus, quòd strenuè dimicauit, tres formosas filias habuisse dicitur; sed ita dicitur, vt nec ratione aliqua lædatur historia, atque ad tria illa tempora traducatur oratio, quibus est illi proles exorta virtutis.

*Dedit autem illis pater hereditatem in fratribus.* Id est, vnà cum fratribus. Vt ostendat omnes filios à Iobo in æquales partes hæreditatis vocatos esse.

*Vixit autem Iob post plagam, centumseptuaginta annos: omnes autem anni, quos vixit, ducenti & quadraginta octo.* Videtur magnus Iobus ipsos septè annos plagæ acerbiter tulisse; quorum iccirco est numerus prætermisus, quia ex ea annorum summa, quos vixit Iustus, merito excipiendi videbantur, cum ærumnosa vita mors sit potius quam vita existimanda. Etenim, si post detractam calamitatem Iobo duplicata omnia fuerunt, quin anni quoque duplicari sunt, dubitari non debet. Vixit igitur post depulsam ærumnam centumseptuaginta annos. Summa autem annorum vniuersa ducentiquinguaquinque; è qua quidem summa detracti sunt septem, vt arcanam temporis rationem, quo est mala perpeffus, intelligeremus.

*Et vidit Iob filios suos, & filios filiorum suorum, quartâ generationem.* Eo verbo *Vidit*, eam atque amabilem Iusti sobolem Scriptura demonstrat. Verbis autem illis, *Quartam generationem*, illius vitæ diuturnitatem declarauit.

*Et mortuus est Iob senior, & plenus dierum.* Cum diuina scriptura & seniore, & plenum dierum, nec vilius rei, quæ seu ad corpus, seu ad animum spectet, nò temporis, non vitæ, non virtutis Iobum indigentem fuisse, sed virtutis eum curriculum egregiè confecisse narrat, scilicet illius laudem ob signauit. Sed nimirum sciendum est, verbis illis quasi extremis, *Senior, & plenus dierum*, ab Aquila & Symmacho librum esse conclusum: quòd quidem fecerunt illi, eodidem sequenti Hebraicum: Theodotio autem vnà cum Septuaginta concludit.

*\* Scripsum est autem ipsum rursus resurrecturum, cum quibus Dominus resurgit.* Hoc est; aut die extrema, aut crucis tempore. Illud autem, *Rursus*, appositum est, vt prior ea intelligatur resurrectio exticisse, cum is ab ærumna fuit excitatus. Resurget autem cum Noè & Daniele, quibus eum ab Ezechiele numeratur.

*Hic interpretatur ex Syriaco libro.* Linguam, quæ Hebraica est, nunc Syriacam vocat, quoniam est Syrorum sermoni finitima. Nam duabus & viginti literis, quemadmodum Hebræi vtuntur, & Syriam Iudæam, Syros autem Palæstinos plerique nominant, vt etiam Herodotus, qui his verbis loquitur, Circumciduntur autem Indi & Aegyptij & Arabes, & qui in Palæstina sunt, Syri.

*In terra quidam habitans Auidide, in finibus Idumææ & Arabiæ.* Hinc perspicuum fit, Auididem prouinciam in Idumææ, & Arabiæ sitam esse confinio, & Iustum quidem Idumæum fuisse, & Iobum antea nominatū. Illud profecto nobis compertum est, sanctorum fuisse nomina commutata, vt Abraham, vt Israel, vt Petri. Quare & nominis prioris, quo vocatus est Iustus, immutationem ad eius virtutem significandam pertinere, dubitandum non est.

*Accipiens igitur uxorem Arabissam, genuit filium, cui nomen Ennon.* Quoniam antiqui nominis Iobi mentionem fecit, rectè etiam vxoris Arabissæ meminit, è qua natus est illi Ennon, siue is vnus aliquis primorum liberorum fuerit, siue etiam secundorum. S E V E R. Forsitan autem nec consentaneum, nec rectum erat, vt ea bonorum particeps esset, quæ certaminum tempore virum despexisset, atque è summo constantiæ ac patientiæ vertice præcipitè agere Athletam conata esset.

*Fuit autem hic è patre quidem Zara, Esau filiorum filius; matre autem Bosora; vt ipse quinquies sit ab Abraham.* In Paralipomenis extat genealogia. Nam ab Abrahamo ortus est Isaacus, Ab Isaac Esau, Ab Esau autem Raguel, à Raguele autem Zara, qui Iobi pater extitit. Quintus igitur est ab Abrahamo, è numero Abrahamo detracto. Quocirca eum ante Legem fuisse dicimus. Nam & ab Abrahamo numeratū, Moyses sextus occurrit ad hunc modum, Abrahamus Isaaci pater, Isaacus Ia-

H h 3 cob.

\* Hæc ipsa, que sequitur, extat in Septuaginta & Theodor. interpretatiõe, auctor est Origenes in epistola ad Iulium Africanum.

Job, Iacob Leui, Leui Cath, Cath Moyſis. I V L I A N I. Tareth vrbs eſt Idumææ, & Boſor Arabiæ, quæ nunc Boſtra vocatur, quæ nimirũ gentiles Iobi ſunt, atque cum diuini Iobi parentibus nominis ſocietate conianctæ. C H R Y S. Quo tempore fulgebat luſtus in terris, verfabantur in Ægypto Iudæi, vnde illis futurus erat adſenſus. Quare, ſi voluiſſent, haud paruam pietatis negociationem, lucrivè faciendi rationem reperiſſent. Neque enim probabile eſt, iuſti virtutes tunc in aperto fuiſſe. Quòd ſi etiam nunc illius demonſtrantur reliquiæ, quanto magis eo tempore ſeſe oſtendebant? quando eorum, qui in Arabia commorantur, nemo eſt omnium, cui licet reſ ipſæ mortuæ iam ſunt, non ſit Iobi facinorum, atque eorum, quæ ei acciderunt, magnitudo perſpecta?

*Et hi reges, qui regnaverunt in Edom, cui etiam regioni ipſe imperavit. Hæc item in Paralipomenis reperias. Quamobrem, cum de ſe ipſe dicit, Eram in medio eorum, ſicut rex inter milites eximio cingulo. Aut quia præ regno ob virtutem colebatur. Illud, ſicut, non propter ſimilitudinem adhibetur, ſed, vt reuera eum poteſtate regia vigiſſe, intelligamus.*

*Primus Balac filius Beor: & nomen civitati eius Ennaba. Succesſit quidem Balaco Iobus in regnum; ſed nequaquam illius impietati ſuccesſit. Abrahami enim eſt fidem, virtutemque imitatus. Verum illud hoc loco obſerua; non hũc fuiſſe Regem, qui ad fornicandum in Beelphegor iraelem impulerit. Ille enim, qui auctor ſceleris fuit, quemadmodum eſt in Numeris, Sepphor eſt dictus; hic autem, filius Beor, ſicut eſt etiam in Geneſi, & ille quidem Moab rex erat, hic autem, Edom.*

*Poſt Balac autem Iobab, qui vocatus eſt Iob. Poſt autem hunc Aſom, qui princeps fuit de Thamanitide regione. Poſt autem hunc Adad filius Borad, qui concidit Adiam in campo Moab, & nomen civitati eius Getham. Regionis principes narrat, eorumque nomina, vrbes, & reſ geſtas exponit, quò perſonarum dignitas ſit magis inſignis. Getham autem vrbs eſt Phœnicum.*

*Qui verò ad eum venerunt amici Eliphaz filiorum Eſau Thamanorum rex. Sed Theodotio, Filius Iofaphas, interpretatus eſt.*

*Baldad Saucheorũ Tyrannus. Theodotio rurfus, Filius Ammõ, qui fuit Chobor. Sophur Minorum rex. E V A G R. Eliphaz fuit filius Sophar, & Amalec, ei ex pellice natus. Eliphazus igitur & Sopharus diſcipuli Iacob fuerunt. Amalech autem Eſau. O L Y M P. Sanè præclare de amicis diuina hiſtoria rurfus meminit; ac ſi diceret, ipſamet perilluſtrium & minime ignotarum corruptarumve perſonarum tempora Iobi rebus geſtis, quæque ei euenerunt, teſtimonium dare. Etenim in ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum, vt ait diuina ſcriptura. Videtur autem Elius nõ vnà cum Iobi amicis ad eum viſendi cauſa veniſſe, ſed foruito aduiſſe, & in Iobum iam laborioſa ægritudine, ærumnæque multarum & in amicos propter illum ſedentes, atque cum eo diſputantes incidiſſe, calamitatis verò magnitudine commotum, cum illis tanquam eorum auditorem conſediſſe; quos cum in diſputando hæere atque æſtuare videret, diſputationis certamen iniſſe. Accidere enim ſolet, vt poſt inſtitutam diſputationem nonnulli conueniant, atque in diſputantium cœtu conſiſtant, atque ea, quæ vtrinque dicuntur, audiant, ſuas etiam ipſi rationes quaſdam, & ſermones obtrudant cuiuſmodi, vt iis deinde ſit diſputandi munus complectendum omnino. Amici igitur fortaſſis tanquam communis calamitatis ſenſu percuſſi, ad Iobum venerunt. Elius verò viſendi tantum cauſa adfuit, eaque re de illius aduentu ne verbum quidem diuina ſcriptura. Sonat autem Elius, Deus audiens, ſeu filius Deum enuſcians. Ergo hiſtoriz Iobi prima atque extrema ſunt huiuſmodi. Atque ita eſt nobis huius ipſius libri explanatio ad exitum adducta. Quòd ſi nonnulla coniectura potius quàm certa comprehenſione ducti, interpretati ſumus, ſanè certè id nec à primis nobis, nec à ſolis eſt factitatum. Sed hoc ipſum cum iis omnibus fuit nobis commune, qui huius libri interpretes & explanatores fuerunt. C H R Y S O S T. Vnuſquiſque autem eorum, qui legent, in hunc ſtrenuum athletam, veluti in primigeniam quandam formam atque exemplar intueatur, forritudinem imitetur, patientiæ æmuletur, vt cum eandem fuerit viam ingreſſus, idemque iter cõfecerit, cum ad-*

uerſus

verſus Diaboli artificioſas inſidias in acie ſteterit, genus illud bonorum quod Deum diligentibus deſponſum eſt, conſequi poſſit. Sint Beati huius afflictationes malorum noſtrorum medicamenta & turbulenti eius fluctus, ſæuæque procellæ noſtris calamitatibus portus. In rebus omnibus quæcunque euenerint, huius viri ſpecies nobis obuertetur. Atque cum vnius hominis corpus, acerbitates omnes, quæ in orbe terrarum reperiuntur, exhauſiſſe viderimus, nos quoque exiguum earum partem erecto, conſtantiſque animo perferamus. Ad hunc verò librum, tanquam ad matrem quampiam prolis amātem, & quouis loco manus tendentem, trepidanteſque natos excipientem, vſque conſugiamus. Nam

licet in nos miſeranda & grauiffima mala incurſent vniuerſa, tamen, omni moleſtia atque ægritudine extenuata, abire nobis licebit, Chriſto vero Deo iuuantem, quocum Patri, Sancto que ſpiritus gloria ſit in omnem æternitatem. Amen.

\* \* \*

F I N I S.

